Universidad de Deusto
Biblioteca

RAVISII

OFFICINA

1-2

Universidad de Deusto
Biblioteca

Estante 7
Plúteo 2

OFFICINA

IOAN. RAVISII

TEXTORIS.

TOMVS SECVNDVS.

Cum copiosissimo rerum, & uerborum Indice.



VENETIIS, Apud Ioan. Gryphium,
M D LXII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SERPENTVM QVORVNDAM NOMINA.

PYTHON, à poetis serpens fuisse dicitur, natus ex putredine terræ post diluuiũ Deucalionis. Hunc Apollo interfecit, & ab interfecti nomine dictus est Pythius. De hoc Ouidius libro 1. Metam. --sed te quoque maximè Python Tum genuit, populisq; nouis incognite serpens Terror eras, tantum spatii de monte tenebas. Hunc deus arcitenens, & nunquam talibus armis Antè, nisi in damis, capreisq; fugacibus vsus, Mille grauem telis exhausta pænè Pharetra Perdidit effuso per vulnera nigra veneno.

Hæmorrhois, serpens morsu sanguinẽ elicit. moratur in petrosis recessibus, colore partim sanguineo, partim nigro. tardè pigreq; serpit, nec nisi obliquo itinere. Lucan. li. 9. At non ilare suum miseris passura cruorem, Squamiferos in gens hæmorrhois explicat orbes.

Salpinga formam habet tubæ, eiusq; latebra, calcata mortifera est. Lucanus lib. 9. Quis calcare tuus metuat Salpinga latebras?

Basiliscus in solitudinibus Africæ habitat. Candida in capite macula, uelut diademate quodam, ornatus est. Acutissimum habet caput, os rude, oculos & colorem ad nigredinem vergentes. Palmum non excedit, solo tamen halitu serpentem quamlibet magnum suffocat, tanta est veneni acuitate. Eum si quis vel baculo attigerit, paullò pòst moritur. Hunc Plin. Regulum uocat. Sibilo omnes fugat serpentes. Nec flexu multiplici, nec vt reliquæ corpus impellit, sed celsus & erectus in medio incedens. Necat frutices: rumpit saxa: non contactas modò, uerùm & afflatas exurit herbas. Talis vis malo est. Huic tamen exitio est mustellarum virus eius cauernis illatum. Hominem si inspiciat, solo intuitu nerimit. Lucanus li. 9. Sibilaq; effundens cunctas terentia

pestes Ante uenena nocens, latè sibi submouet omne Vulgus, & in uagua regnat Basiliscus arena.

Ceraſtis in corpore eminere dicuntur quadrigemina cornicula, quorum motu, reliquo corpore occultato, solicitat ad se aues. Lucanus lib. 6. Aut uiuentis adhuc Libyæ membrana Ceraſtæ. Statius lib. 11. Crinalem attollit longo ſtridore ceraſtem.

Geminum caput habet Amphisibena, hoc est ad caput, & ad caudam, tanquam parum esset vno ore fundi venenum inquit Plinius Capite intrinsecus nitibundo, serpit tractibus orbiculatis. Luc. lib. 9. Et grauis in geminum surgens caput amphisibena.

Demorsis ab Aspide nullum est remedium, præterquam si confestim partes contactæ amputentur. Vnde natum adagium, Morsus aspidis, de malo immedicabili. nam, vt ait Aelianus, eius morsus immedicabilis est, precipuè si de rana gustarit. Nec ab vllo vincitur, præterquam à muliere quæ vel aspectu contactuque solo necat. Nicander apud Erasmum: Aspida crudelem cuius super omnia morsus Immedicabilis est. Aspis nunquam vagatur sine cõpare. Quod si contigerit alteram interimi, protinus altera persequitur percussorem in mediis quoque fori turbis agnitum. Ictus ab hoc serpente intra quattuor horas emoritur. Color huic niger, quandoque cinereus, interdum fuluus. Bellum generit internecinũ cum Ichneumone: cui quoniam se imparem uidet Ichneumon, multo se tergorat luto. itaq; ubi ad certamen venitur, aspis nihil potest arripere morsu, præter loricam terream: quo fit, vt obliquo capite hostem speculatus Ichneumon, eius fauces arripiat, monstrumq; examinet. Lucanus lib. 4. Aspidas vt Pharias cauda sollertius hostis Ludit, & iratas incerta prouocat vmbra, &c. Porrò Ægyptii reuerentur Aspidem, & in deliciis vnà cum pueris educant, adeò mansuefactum, vt mensis assistat, & vnà comedat pultem farinæ ex melle appositam. Eorum reges in diademate aspidis figuram portant, quòd imperii firmitatem portendat. Aspis quos percusserit, in mortiferum somnum redigit: vnde somniculosa dicitur. Lucanus lib. 9. Aspida somnifera cumida ceruice leuauit. Cinna apud Gellium: Somniculosam vt Pœnus aspidem Psyllus. Perrumpit omnes difficultates, permeat spatia, nec nisi amnibus arcetur, aut præceleri fuga. Hebetes habet oculos non in fronte, sed in temporibus. Gigni quandoque Aspidas quinum cubitorum, in libris est obseruatum.

Ichneumon nascitur in Ægypto, Aspidem odit vsque ad bellum. eiusq; oua sectatur, & inuenta perdit, vt à fœtu similiosus Ichneumon.

Viperæ fœtus enecta matre prodeunt, vt inter pisces Acus. Mas in coito exanimatur, capite in os feminæ inserto, præq; voluptate ab ea exciso. Sola serpentium Vipera terra conditur, ceterę arborum aut saxorum cauis. Oua parit vnius coloris, & mollia, vt pisces. Tertia die intra vterum catulos includit: deinde singulos diebus singulis parit, viginti ferè numero. Itaq; ceteri tarditatis impatientes, prærumpunt latera, & matrem enecant. Mantuanus: Et emoriens infausto vipera partu. Viperam ferunt exustam & in cinerem dilapsam mederi suo morsui auctor Lactantius. Apollonius apud Philostratum viperam esse visam refert, serpentes, quos peperisset, lambentem, quasiq; expolientem. Legitur in Theophrasti monumentis viperarum morsibus tibicinem scitè modulateq; adhibitũ mederi. Ab iis demorsos ferunt nemini vulnus suum uelle patefacere, nisi quos eadem vi morbi quandoq, iactatos compererint, ceu qui nõ experti sunt, naturam morbi nesciant. In Phœnicia solo Viperarum halitu pernecantur homines. Quod radicum illic succrescentium potentia creditur fieri.

Hydri in aqua viuunt, nulli serpentiũ inferiores veneno. horum iecur seruatum aduersus percussos ab iis, auxilium est. Poetæ fingunt, Hydram serpẽtem fuisse numerosis capitibus, quorum quum vnum ab Hercule demetebatur, mox renascebantur gemina. Percussis ab Hydro odor grauis excitatur: afficiuntur insuper obliuione rerũ, videnturque nebulam præ oculis habere, in horrorem ac rabiem agi. Tertia demum die pereunt.

Stellio serpens est Lacertæ similis, circulis quibusdam, & velut lucentibus guttis, in modum stellarum depictus.

Eius morsus hominem stupidum facit, rarò tamen interficit. Fel in aqua tritum mustellas congregare dicitur. Rore tantùm viuit. Nullum animal fraudulentius est. vnde crimen Stellionatus, & Stellatura dicuntur.

Salamandra figuram habet Lacerti, nunquam nisi magnis imbribus prouenit, à serenitate deficiens. Huic tantus rigor, vt ignem tactu extinguat, non alio modo, quàm glacies. Populos improuidos necare potest. Nam si arbori irrepserit, omnia poma inficit veneno, & eos qui ederint, necat frigida vi, nihil aconito distans. Quinimò si contracto ab ea ligno vel pede crusta panis incoquatur, idem veneficium est, vel si in puteum cadat. Eius venenum ab iis extinguitur, qui vescuntur illa.

In Cantharidum genere non reperitur femina. Mas in orbem sinuatus sese dies XVIII. fouet, mox fœtus paullatim excludit. Propterea Ægyptij statuis virorum fortium hoc animal impresserunt, quòd nulla muliebri mollitia virtus esseminata viris conueniat.

Anger genus est serpentis, qui aliter Cruciator, & Spatarius dicitur.

Cæcilia, serpens est, qui à cæcitate meruit nomen. Columella libro 7. Est & magnorum animalium noxium virus: nam & Vipera, & Cæcilia sæpe, quum in pascuis bos improuidè supercubuerit, lacessita onere morsum imprimit.

Chersydros serpens tam in aquis, quàm in terra moratur. Lucanus: Natus & ambiguæ coleret qui Syrtidos arua Chersydros.

Cæcinia parua est & gracilis serpens, nullius propè veneni.

Chelydrus eundo sese conuoluit per terram. Luc. Tractáque via fumante Chelydri. Emittit fumum qua serpit. Mantuanus: Clades fumosa Chelydrus. Pamphilus: O' quæ fœtu miuomos geris Chelydros. Virg. lib. 3. Georg.

Dipsas minor est Vipera. quos momordit, mardescunt sed ti: quam quum multo potu volunt extinguere, acrius incendunt, & ea paullò pòst emoriuntur. Vnde & nomen traxit. Dipsa enim Græcè dicitur sitis, & Dipsao sitio. Duas habet in cauda nigras lineas, corpore reliquo albicante. Eius ve-

nenis resistunt Lauri folia, cortex, & baccæ. De Dipsade Lucanus lib. 9. -stabant in margine ficcæ Aspides, in mediis sitiebant Dipsades vndis.

Echidna putatur eadé esse, quæ & vipera. Capitur & pro hydra ab Hercule occisa. Ouid. lib. 3. Fast. Sanguine Centauri lernææ sanguis Echidnæ Mistus ad auxilium tempora nulla dabat. Capitur & pro quocunque serpente. Ouid. libro 9. Metamor. Pars quoque lernææ serpens eris vnus Echidnæ.

Lacertarum duo sunt genera. Maiores, quæ & virides dicuntur: Minores, quas Calcides vocant. In utroque genere mas Lacertus dicitur. Virg. Nunc virides etiam occultant spineta Lacertos.

Natrix serpens aquas inficit veneno. Lucanus lib. 9. Et Natrix violator aquæ. Mantuan. in Alphonso: Et Natrix inimicus aquis.

Nepa scorpium significat. Cicero lib. 5. de Finibus: Serpere anguiculos, natare anaticulas, volare merulas, cornibus vti videas boues, nepas aculeis, suam cuique esse naturam.

Pharias dum serpit, sulcum in terra facit cauda, & super eam ferè ambulat. fuluus est colore, oculis velox, ore lato, morsu non maligno. Propterea veteres Aesculapio sacrum fecerunt. Pedes habet prope caudam. Lucan. li. 9. Et contentus iter cauda sulcare Pharias.

Prester quem momordit, extemplo reddit immobilem, & alienum mente; mox pilis defluentibus cum pruritu ac ventris solutione absumit. Lucanus lib. 9. Oraq; distendés auidus spumantia prester. Idem Nasidii à prestere percussi mortem hoc modo describit: Nasidum Marsi custodem torridus agri Percussit prester: illi rubor igneus ore Succédit, tenditq; cutem pereunte figura, Miscens cuncta tumor toto iam corpore maior: Humanumq; egressa modum super omnia membra Efflatur sanies latè tollente veneno. Ipse latet penitus congesto corpore mersus, Nec lorica tenet distenti corporis æstum. Mantuanus. -et inflatis prester qui faucibus æstum Exspuit.

Seps, modicus est serpens, cuius tamen ictu percussa pu-

trescunt membra: nam quidquid momordit, in putredinem resoluitur. Lucanus lib. 9. Ossaq; dissoluens cum corpore tabificus Seps. Colorem quem attigit, reddit. Quattuor dē tibus armatus est.

Boa, serpens in tantam excrescit magnitudinem, vt in aluo occisæ repertus sit infans imperante Claudio. Alitur primo bubuli lactis succo, vnde meruit nomen. Mantua. Tur pi Boa flexilis aluo.

Cenchris crebras habet maculas in milij similitudinem. Rectè serpit. Lucan. lib. 9. Et semper recto lapsurus limite Cenchris.

Crocodilus quadrupes est. Fit ex minimo maximus. Ex ouo enim ad xxii. cubitos excrescit. Quattuor menses hie males non comedit. Elinguis est ventre, dorso & cauda præ longus, squamis prædurus, ostrearum modo obtectus. Au dax in fugientes, in persequentes timidus. Sexagenis die bus fouet. Dentes habet, & mēses viuit eodem fere numero. Insidiatur his, qui aquatum eunt. Si in potu hirudines hau serit, aduersus solem in littore dehiscens extenditur: mox auis Trochilus, dapis illecebra captus, rostro oris prælongo hirudinē extrahit: quinetiā dormiētē excitat Crocodilū, si ab Ichneumone hoste parari videat insidias. Hoc animal vene rantur Aegyptij eiq; sacros dies statuerunt. Et si contingat liberos ab eo rapi, parentes lætantur, tanquam se deo pla cere existimantes, cui escam genuerunt. Contra verò Ten tyri populi reiiciunt, captumque arbore suspendunt, & mul tis prius affectum verberibus, postmodum comedunt. Re peritur in Nilo. Vnde Plinius, Crocodilum, inquit, habet Nilus, quadrupes malum. Qua parit humi, diem in sicco agit, totam noctem in flumine. Oculos habet fusillos, den tes magnos prominentes atque serratos. Inferiorem maxil lam non mouet, sed superiorem inferiori admouet. Vngues habet robustos, pellemq; circa tergum impenetrabilem. Inter aquas cæcus, sub dio perspicacissimus.

Enydris serpens est masculus & albus. Viuit in aquis. Ga za Lutricem conuertit.

Iaculus arbores subit, è quibus vi maxima turbinatus pe netrat quodcunque animal obuium fecerit fortuna. Luca.

Scincos similis est Crocodilo, minor Ichneumone con tra venena præcipuum antidotum. Idem ad inflammandam virorum venerem. Nascitur in Nilo.

Scytale tanta prefulget tergi varietate, vt notarum gra tia videtes retardet. Et quoniam reptando pigrior est, quos assequi nequit, miraculo sui captat stupentes. Pellem exuit hiberno tempore. Luca. Et Scytale sparsis etiam nunc sola pruinis Exuuias positura suas.

Sepa species est lacertæ, quæ in vino pota morsus suos sanat.

Spondylis serpens omnes persequitur radices. Plinius.

Aconciateli modo serpendo ruit.

Sipedum reptilis est, Hæmorrhoide aliquanto velo ciot. Iter obliquat, morsu profundè penetrat, plaga mox putrescente.

Porphyrus palmi est magnitudine, capite candidissimo, reliquo corpore purpureo. Innocuus est morsu, quia eden tulus. Inuenitur in vadosis Indiæ locis. Captum incolæ canda suspendunt, & defluentem ex ore viuentis liquorem excipiunt vasculis æreis.

Draco bellum, & odium genuinum exercet in Elephan tem, eiusq; oculus & iugulum petit, donec humi concidēs Elephas, simul & Draconem mole corporis occidit. oculos habet æstimatione gemmarum, dentes graciliores apro. Cristati sunt mares. Vnde Oui. lib. 4. Met. Lubrica perlu cent cristati colla draconis. Ferunt Indorum regem duos Dracones aluisse, alterum octogenum, alterum verò nona genū cubitorum magnitudine. Epirotæ Dracones in Apol linis templo venerabantur, ob interfectum Pythonem. Tranquillus scribit, Tiberium imperatorem habuisse Dra conē in oblectamentis, quem ex consuetudine manu sua ci batarus, quum consumptum à formicis inuenisset, moni tus est, vt vim multitudinis timeret. Plin. lib. 32. scribit, Draconem non habere venena, & primum eius spondylum id est, vertebram, mutcere aditus potestatum, eiusq; adi pem à venenatis refugi. aciem habet clarissimam, vnde & ferùdis thesauris plerunque adhibitus est, vt pomis Hespe

ridum, & aureo velleri apud Colchos, ſicuti volunt poetæ. Antiqui præterea Aeſculapio ſacrum facere, vt vigilantiſſimum, quod febri maximè conuenit. Aciem habet peracutam. Ferunt Herode apud Iudæos principante, puellam iam nubilem, & conſpicuam forma, adamatam à Dracone, ipſumq; Draconem amatoris inſtar prurientem ad virginis lectum plerunque acceſſiſſe, & inibi decubuiſſe. Cuius rei tædio ſimul & horrore percita puella, ſeceſſit longius, & integrum menſem abfuit, vt tam turpi belluæ amoris obliuionem induceret. Res tamen aliter ſe habuit: nec enim deſiit quotidie ad amaſiæ reditum vſque, eo loci deuolare. Quum ergo rediiſſet exoptata pridem puella, decumbentis cruribus ſe implicuit Draco, eamq; conuerberauit cauda: molliter tamen & amatoriè, vt interim palpo feriunt zelotypi. Si quis in hoc mihi deroget fidem, ſciat me ipſum veritatis loco aſſerere nolle, ſed cum Græcis loqui & ſcribere, quibus mentiri proprium eſt, & genuinum. Porrò oculis Draconis inueteratis, & cum melle tritis inunctos non paueſcere ad nocturnas imagines etiam pauidos cordis ait Plinius. Apud eundem Xanthus hiſtoriarum auctor teſtis eſt, occiſum Draconis catulum reuocatum ad vitam à parente, herba, quam Balim nominat. Dracones habet India tantæ magnitudinis, vt elephantes (quibuſcum certant) circumflexu facili ambiant, nodiq; nexu perſtringant: Indicis pares habet Aethiopia, vicenum cubitorum. Apud Aſachæos Aethiopum populos naſcuntur maximi, qui cratium modo impliciti erectis capitibus velificant ad meliora pabula.

Serpens latet hiberno tempore, æſtiuo prodit. Senectutem fertur exuere, quod in anguſto foramine (cui per vim ſe impenetrat) veterem deponat pellem. Tibullus: Crudeles diui, ſerpens nouus exuit annos, Formæ non illam ſata dedere moram. Viſum longo ſitu amiſſum feniculo recuperat. Ferunt ſerpentem baculo ſemel percuſſum, examinem reddi, ſed ſi iterum feriatur, reuiuiſcere. Plutarchus ait, Serpentes ex hominum cadaueribus, mediis medullis gigni, ſicut apes ex bubus gignuntur, ex equis fuci, ex aſinis crabrones. Terra, auctore Plinio, Serpentem non recipit homine percuſſo. Serpentum morſus nó petit ſerpentes.

Ferunt ictas ſaliua, maximè humani ieiuni oris, vt feruentis aquæ contactum fugere: quod ſi in fauces penetrauerit, etiam mori. His inimiciſſima eſt muſtella. Serpentes Pſylli, Marſiſq; populis non nocent. Nunquam in trifolio aſpiciuntur. Habentes Oniculum & Staphilinum herbas nõ feriunt. Lyſimachiæ herbæ odorem fugiunt. Incluſæ circulo Betonicæ herbæ, nequeunt exire, quin ſeſe interimũt flagellando. Dextri earum oculi adalligati contra epiphoras proſunt, ſi viuæ dimittantur. Aegrè extrahuntur, præterquam lęua manu. In India adoleſcunt ad tantam magnitudinem, vt ſolidos hauriant ceruos, taurosq;. Apud Rhindacum amnem in póto ſuperuolantes, quamuis altè pernicitérq; alites hauſtu raptas abſorbent. Earum frequentia nomen fecit Ophiuſæ inſulę. Populi ſunt Orientales Candei nomine, qui veſcuntur ſerpentibus. His aduerſantur cancri. Quum ſol eſt in Cancro, torquentur. Oua pariunt. Coeunt amplexu adeò circumuolutæ ſibi, vt vna exiſtimari biceps poſſit. Cornus ceruini odore fugantur & nidore galbani. Vinum appetunt. Plinius ait, viſas eſſe pedibus anſerinis. Hederam amant, & Fraxinum oderunt. De remediis aduerſus earum morſus vide Plinium.

Coluber vmbras nemorum incolit. Bibiturus venenum prius euomit, ne ipſum cum aqua exhauriat. Nudum hominem reformidat, audacior in veſtitum. Colubri in aqua viuentis fel habentibus & adipem, Crocodilus nihil poteſt nocere. Plinius lib. 32. cap. 4. Dicimus & colubra in ſeminео. Ouidius in Ibin: Pectoraq; vnxerunt herebeæ felle colubræ.

Ammodites ſerpens eſt concolor arenis, quibus ſe impenetrat. Lucanus lib. 9. Concolor exuſtis, atq; indiſcretus arenis Ammodites.

VEHICVLORVM GENERA.

Fſeda currus erant Britannis peculiares, quibus vtebantur in bello. Vnde & Cæſar in commentariis, Eſſedarios vocat milites Britannos, qui ex Eſſedis pugnabant, & ex his interim deſiliebant, rotarumq; ſtrepitu Cæſarianorum ordines conturbabant. Prop. lib. 2. Eſſeda

cælatis sistę Britanna iugis. Ouidius: Paruaq; quàmprimùm rapientibus Essęda Mannis. Horum tamen currum inuentum Gallis acceptum refertur. propterea Virg. lib. 3. Georg. inquit: Belgica vel molli melius feret Essęda collo. Interim Essędum promiscuè pro quouis curru accipitur. Sueto. in Augusto. Nos in essędo panem & palmulas gustauimus. Essędarij vocantur ductores essędorum. Idem in Caligula: Quum quodam die muneris essędario Porio ob prosperam pugnam seruum suum manumittenti studiosius plausum esset.

Petoritum Gallica vox est, auctore Gellio, significans aliud quoddam vehiculi genus, quattuor rotis ductile. Plin. lib. 34. Cœpere deinde & essęda, & vehicula, & petorita exornare. Hora. lib. 1. Ser. Atq; caballi Pascendi, ducenda petorita, nunc mihi curto Ire licet mulo.

Veha dicitur plaustrum, quo quid vehitur. Etymo satis noto.

Vehes etiam dicitur, vt placet nonnullis, qui apud Plinium legunt & scribunt lib. 36. cap. 15. Amplitudinem canuis eam fecisse proditur, vt Vehem fœni largè onustam transmitteret. Idem sibi vult Vehiculum, vocabulum generale.

Arcirna plaustrum est exile, aptum ferendis hominibus. Blondus Arceram vocat, aitque rusticum esse plaustrum, tectum vndique, quo senes & ægroti vectari solent. Phauorinus apud Gellium: Si homo in ius vocatus, morbo aut ætate æger ad ingrediendum inualidus est, arcera non sternitur, sed ipse aufertur, & iumento imponitur.

Basterna vehiculum est itinerarium, quod mollibus stramentis compositum à duobus equis, aut aliis animalibus deportatur. Ammianus Marcellinus, Quo comitatu, inquit, matronæ complures coopertis capitibus & basternis per latera ciuitatis cuncta discurrunt.

Benna vocabulum est Gallicum, significans quoddam vehiculi genus, in quo qui vehuntur, dicuntur Combennones, id est, sedentes in eadem benna.

Biga currus dicitur duobus equis volubilis, vt Triga tribus, Quadriga, quattuor. diciturque Biga quasi bijuga.

Plinius: Bigas primùm iunxerunt Phrygii, Quadrigas Erichthonius. August. Vinctos duos equos bigas vocamus. Suetonius in Tiberio: Natalem suum plebeis incurrentem, Circensibus vix vnius bigæ adiectione honorari passus est. Nota argentei nummi fuerunt bigæ atque quadrigæ. Inde Bigati & quadrigati dicti. Grammatici contendunt Bigas pluratiuo solùm numero dici debere, quoniam multitudinis numero tenentur. nam sicut quattuor equi iuncti quadrigas faciunt, ita iunctos duos equos bigas vocamus. Grammaticorum autem opinioni refragatur auctoritas veterum, qui bigam & quadrigam singulari numero dixerunt. Statius, Roriferum gelida tenuauerat aera biga. Plin. In summo mausoleo est quadriga marmorea. A Triga fit Trigariũ, id est trigarum certamen. Plinius: Ne equos quidem in trigariis præferri vllis vernaculis animaduerto. De quadrigis sic ait Gellius: Quadrigas Cæsar (etiam si currus vnus equorum quattuor vinctorum agmen vnum sit) pluratiuo semper numero dicendas putat.

Birotum, vehiculum est duas habens rotas, vt aperta dictionum monstrat compositio.

Est & Cantherium genus vehiculi. Seneca Epist. 3. M. Cato Censorinus, inquit, (quem è repub. tam fuit nasci, quam Scipionem: alter enim cum hostibus bellum, alter cum moribus gessit) cantherio vehebatur Aetiopico. Canthus verò ferrum est, quo rotæ vinciuntur, teste Quinctiliano. Persius Saty. 5. Nam quamuis prope te, quamuis temone sub vno Vertentem sese frustra sectabere Canthũ.

Carruca, vehiculum est, cuius auctores dicuntur Carrucarij. Spartianus de Alexandro Seuero: Carrucas Romæ & rhedas senatoribus omnibus vt haberent argenteas permisit: interesse Romanæ dignitatis putans, vt his tantæ vrbis senatores vectarentur. Antiquitus Carrucæ ex argento cælabantur. Plin. Carrucas quoque ex argento cælari inuenimus. Nero nunquam paucioribus mille carrucis iter fecisse dicitur. Mart. lib. 3. Aurea quòd fundi pretio carruca paratur.

Carpentum vehiculum est Petorito propè simile, dictum quasi Carmentum, mutatione vnius litteræ, à Carmenta

Euandri matre. Vnde Ouid. lib. 1. Fast.. Nam prius Ausonias matres Carpenta vehebant, &c. Cor. Tacitus, Suum quoque fastigium, inquit, Agrippina altius extollere, Carpento capitolium ingredi, qui mos sacerdotibus & sacris antiquis concessus, venerationem augebat feminæ.

Thensæ sacra erant vehicula, quæ in Circensi pompa deferebantur. Tranquillus in Augusto: Accidit votiuis Circensibus, vt correptus valetudine, lectica cubans Thensis deduceret. Seruius ait Thensam currum esse, quo Deorum portantur simulacra. Cicero in ultima Verrina: Omnes Diij, qui vehiculis Thensarum solennes cœtus ludorum initis. Thensæ autem dicuntur, quòd ante eas lintea tenderétur, quæ manu tangere gaudebant ductores. Asconius, Thensæ inquit, sunt sacra vehicula, pompa ordinum & officiorum. Sic hodie vocari possunt gestatoriola, quibus Eucharistia & sanctorum reliquiæ in supplicationibus circumferuntur.

Cisium vehiculum est duabus rotis volubile. Vnde Cisiarius, id est Carrucarius. Cicero 2. Phil. Inde Cisio celeriter ad urbem aduectus, domum venit capite inuoluto. Vitruuius: Sũt innumerabiles moderationes machinaméntorum, ut sunt rotæ, folles fabrorum, Rhedæ, Cisia, torni.

Comba Sabinorum lingua, significat lecticam.

Couinus, currus erat Britannicus, qui sine auriga equis pusillis trahebatur. Mart. lib. 12. O iucunda Couine solitudo, Carruca magis, Essedoq; gratum. Sulpicius ait Couinum currum esse cameratum Gallorum lingua, ubi carmé illud Lucani ex lib. 1. Phars. declarat, Et docilis rector mõstrati Belga Couini.

Currus dicitur vehiculum, quo veteres ad cursum utebantur. Hoc propriè veteres in bello, rusticis; & aliis necessitatibus utebantur. Plutarchus tamen de Cæsare, quum per Italiam, inquit, Cæsar curru veheretur, semper Antonium unà secum habuit. Diminutiuum est Curriculus, vel Curriculum. Curtius: Aliorum turbati equi in amnem præcipitauere curricula. Capitur etiam pro cursu. Cicero pro Rabirio: Exiguum nobis vitæ curriculum natura circumscripsit.

Rheda vocabulum est Gallicum, significans carrucam: vnde Rhedarius, id est, Auriga. Erat Rheda duarum semper rotarum, sed multiplicium quandoq; iugorum, qua omnibus etiam abiectissimis uti licuit, & multi simul ea commodè vehebantur, dummodo mularum & equorum iugæ adhiberentur, quæ sufficere possent oneri. Cicero pro Milone: Quum hic Milo cum vxore veheretur in Rheda penulatus, magno & impedimento ac muliebri & delicato ancillarum puerorumq; comitatu. Porrò mulis ad vehicula vsos fuisse veteres ostendit Lampridius de Commodo imp. scribens: Dedit & vehicula cum mulabus & mulionibus & iumentis argenteis, ut ita à conuiuio redirent. A Rheda fit vocabulum compositum & bigenum ex Græco & Gallico Epiredium, significans idem aut simile vehiculi genus. Virgil. Tritoq; trahunt Epirhedia collo.

Pilentum, vehiculum erat, quo ferebantur matronæ. erat consimile Petorito. Varro scribit ipsum veniſſe in consuetudinem sua primum ætate. Ita autem fiebat, ut ibidem considentes in puluinis feminæ pensiles esse viderentur, & in aere agitari. His aut similibus adhuc vtuntur Italæ mulieres. Olim quattuor rotis voluebatur: vnde nomen illi inditum, lingua Oscorum volunt. nam impetora Osci quattuor vocant. Solæ castæ vtebantur Pilentis. Pensilia gestatoria sunt, quos tremulos currus vocamus.

Sarracum vehiculum est, quo ligna & lapides vehi consueuerunt. Iuuenal. Sat. 3. Scinduntur tunicæ sartæ, modo longa coruscat Sarraco veniente abies, atque altera pinum Plaustra vehunt.

Traha vehiculum est sine rotis, quo vtuntur coloni, dictum à trahendo. Virg. Tribulaq; trahæq;, & iniquo ponderè rastri. vbi Epenthesim fecit.

Tribula, seu Tribulum, vehiculum est à tribus nuncupatũ lateribus, quo frumenta teruntur in area. Augustinus: Sub eadem tribula testæ comminuuntur.

Vestabulum dicitur à vectando, vt à vehendo Vehiculum, & accipitur pro lectica illa volubili, qua circunferuntur mulieres.

Octophorum fuit octo rotarum vehiculum, quo solus u-

sus est Caligula. Vnde Suetonius: Interdum segnitèr & delicatè incessit, ut Octophoro ueheretur. Alii Octophorũ uocant lecticam delicatam, quam octo serui humeris ferebant, iacentibus resupinis ibidem magnatibus. Martialis: Octophoro sanus portatur Auite Philippus: Hunc tu si sanum credis Auite, furis. Vt etiam Hexaphorum lectica dicebatur, quæ à sex ministris ferebatur. Martial. lib. 2. Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit. De hac intellexisse uidetur Iuuenal. scribens: -quum iam sexta ceruice feratur, Hinc atque inde patens.

Plaustrum, currus dicitur, in quo palàm est, & patens quidquid uehitur. unde tracta est origo nominis. Sunt qui Plostrum dicant, propter cognationem, quæ est inter au, & o, ut Aula & Olla: Lautus, pro Lotus: & contra Auscultã, pro osculum Cautes pro Cotes. Propterea Vespasianus (ut est apud Trãquillum) quum uideret Florum uelle emendare consuetudinem priscorum uocabulorum, & Plaustrum dicere, quũ prius Plostrum diceretur, die postero Flaurum salutauit. Horatius Plostellum dixit lib. 2. Ser. ubi ait: Ædificare casas, plostello adiungere muros.

Burdones fuerunt uehiculi genus, unico homini ferendo idoneum.

Lectica frequentissimum fuit apud priscos uehiculum, quo nobiles uiri & feminæ utebantur. integebatur uelis oculos à puluere, sole, & uentorum flatu defendentibus: quorum aliqua erant densiora, ad arcendam pluuiam, grãdinem, & alios rigores hiemis. erat duorum capax: ea tamen uni cus homo quandoque ferebatur. Suetonius de Nerone: Matris sæpe Lectica per publicum simul uectus est. Ei succollabant deni duodeniq; serui, quibus longo in itinere uicarii in laborem alii succedebant: conficiebanturq; eo uectationis modò & longa simul, & inquieta, & quàm libuisset accelerata itinera. Seneca: Non faciet te beatum turba seruorum lecticam tuam per itinera urbana aut peregrina portantium. Iuuenal. Namq; facit somnum clausa Lectica fenestra. Diminutiuum est Lecticula. Sueto. in Augusto: A cena in lecticulam se lucubratoriam recipiebat. Lecticarii dicuntur serui, qui dominum in lectica portant. Idem in Caligula

gula: At primum tumultum Lecticarii cum asseribus in auxilium accurrunt. Curtius ait Alexandrum Magnum crure uulneratum, usum fuisse Lectica militari in expeditione.

Fuit & Staticulum uehiculi genus, ut ostendunt Plinii uerba lib. 34. scribentis: Cœpere inde Esseda & uehicula & pecorita exornari. Simuli quoque modo ad aurea & argentea diaticula luxuria peruenit.

VASORVM DIVERSA GENERA.

Amphithetum fuit poculi genus, ita factum, ut quatuis ex parte positum staret, nullumq; certum habe ret fundum. hinc sumptum est adagium: Ex amplii theto bibisti, in eum, qui liberius potaret, ac meracius.

Ahenum uas est ære factum. Horat. Sub noctem gelidam lignis calefactat ahenum. Virg. Aut foliis undam tepidi despumat aheni.

Ampulla uas erat olearium, quo in balneis utebantur. Apuleius in Floridis: Hippias prædicauit ampullam quoq; olearium (quam gestabat) semet sibi fabricatum. Hoc genus uasis turgidum erat & uentrosum. hinc Horat. in Arte ampullas uocat uerba turgentia, ubi ait: Proiicit ampullas & sesquipedalia uerba. Suet. in Domiciano, Ampullam accepit pro uase uitreo, ubi ait: Quoties otium esset, alea se oblectabat, etiam profestis diebus, matutinisq; horis, ac laute uabat de die: prandebatq; ad satietatem, ut non temere supra cenam præter Martianum malum, & modicam in ampulla potiunculam sumeret.

Amula uasculum erat, quo ferebatur aqua Lustralis causa religionis & expiandorum scelerum. sumpsitque nomen ab amoliendis, id est auferendis malis. unde & Amuletum remedium aduersus inuidiam, & ueneficia uocabatur.

Ancæsa dicebantur ab antiquis uasa cælata, à circuncidendo. Quæ signis erant aspersa, uocabantur Anaglypha.

Aristophiorum dicitur uas, quo prandium defertur. Latinè uocatur Discus.

Armillum, uas erat uinarium, aptum sacris: ita dictum, quòd armo, id est humero deportaretur. Varro apud Nonium: Etiam pocula, quæ uocant capulas & Capides, quod

est poculi genus: item armillum, quod urceoli genus uinarium.

Amphora uas est uinarium, quod qui ferunt, uocantur Amphorarii. Horat. in arte:-Amphora cœpit Institui, cur rente rota, cur urceus exit? Martialis: Amphora non me ruit tam pretiosa mori. Reperio etiam Amphoras dictas fuisse de vasis aut foricis excrementitiis. monumentis enim proditur, Romę in Angiportis & angulis vicorum amphoras fuisse collocatas, in quibus transitores ebrij & vinolenti metere solebant. quod indicat Caius Titius Lucilii coætaneus, in oratione, qua legem Faniam suasit: Dum meiunt (inquit) nulla est in angiportu amphora, quam non impleant, quippe qui vesicam vini plenam habeant. Ad hoc faciunt verba Suetonij scribentis: Vespasianum nouum, sordidumq; tributum reperisse, pro amphoris in vrbe resciendis, quibus vesicæ commeantium exonerarentur.

Achana vas erat, quo recondebantur eorum cibaria, qui ad Theorias, id est rem diuinam Delphos mittebantur.

Amphotum vas erat vtrinque ansatum.

Aconita Græcis dicuntur vasa non illita, quæ calido diluta humore aquam in se trahunt.

Alabaster, seu alabastrum, dicitur perlucidum marmor, quo antiquitus vasa fiebant vnguentaria. Interdum tamen pro ipso vase capitur. Martialis libro 11. Quod Cosmi redolent alabastra, fociq; deorum. Cicero libro 2. Quæst. Acad. Quibus etiam alabaster plenus vnguenti putere videtur.

Arisanas, Aristeras, & Arystichos pro cyathis inueniri scribit Cælius, facta ab hauriendo nomenclatura.

Antlia vas est hauriendis aquis idoneum. Hinc Exantlare verbum, id est haurire. Mart. lib. 9. Curua laboratas Antlia tollit aquas.

Bacchar vas est vinarium, quod & Baccharum dici potest à Baccho, vt ethymum docet.

Est & Bacchium nomen uasis vinarij, quo in sacrificiis Bacchi vtebantur.

Bascauda, uas fuit peregrinum, & Britannis peculiares Mart. Barbara de pictis ueni Bascauda Britannis, Sed me ia mauult dicere Roma suam.

Batris vas est longo manubrio, quod Trullam nonnulli uocant.

Est & Batiola nomen uasis. Plaut. apud Nonium: Batiolam auream octo pondo habebat, accipere noluit.

Brochus, vas est vinarium, Gallis peculiare, deorsum versum rotundum & capax, sursum versum verò angustum. Brochus (inquit Budæus) vas fundendo vino acommodatum, implendis deplendisq; culeis & vasis conditoriis.

Carchesium poculum erat forma procera, & circa medium partem compressa, ansis à summo ad infimum pertingentibus. Nomen & formam accepit à similitudine cuiusdam nauigij: nam mediam veli partem Carchelon, summā verò Carchesium vocabant veteres. Macrobius ait, Carchesium poculum Græcis tantummodo fuisse notum. cui hac in re non est adhærendum: nam Liuius Andronicus, Latinorum poetarum uetustissimus hoc verbo vsus est, vbi ait: Florem antlabant liberi ex Carchesiis. Pherecides apud eũ dem Macrobium ait, Iouem Alcmenæ pretium cõcubitus Carchesium aureum dono dedisse. De Carchesiis Virg. Cape Meonij Carchesia Bacchi, Oceano libemus, ait. Idem: Hic duo rite mero libans Carchesia Baccho.

Ciboria propriè dicuntur Colocasiæ folia, in quorum similitudinem pocula facta, idem traxerunt nomen. Horat. lib. 2. Car. Obliuioso leuia Massico Ciboria exple.

Concha ab eodem Horatio pro vase ponitur, vbi ait: Funde capacibus Vnguenta de conchis.

Cacabus appellatur vas, in quo pulmẽtarium coquimus. nomen traxit à sono, quem supra ignem positus facit. Apitius: Capita porrorum simul elixabis in Cacabo nouo, vt aqua ad tertiam deferueat.

Cadus vas est vinarium, quo vinum ipsum conditur. Virg. in Coppa: Est & vappa cado nuper diffusa picato. Ouidius lib. 5. Fast. Promit fumoso condita vina cado. Rustici cados ligneos circulis cinctos primi in Alpibus excogitauerũt. Diminutiuum est Cadiscus, significatq; vasculum, quo suffragia colliguntur.

Calathus vas est vimineum, in quo mulieres suos fusos

& pensa reponunt, aut violas. Vnde Virg. de Camilla: non illa colo, calathis ve Mineruę Femineas assueta manus. Idem in Bac. Tibi lilia plenis Ecce ferunt nymphæ calathis. A' calathus fit diminutiuũ Calathiscus eiusdem significationis cum primitiuo. Catullus. Vellera virgati certatim diebant calathisci. Politianus in Ru. Aut cista exportant aut rasilibus calathiscis.

Caldarium dicitur ahenum, quo calida hauritur aqua, nam caldam, veteres calidam aquam dixerunt.

Calix vas est vinarium, licet Varro dictum velit ab aqua calida, quam veteres in eo bibebant: conuiuiis enim antiquitus calida & frigida adhibebantur. Iuuenalis: Calidæ gelidæq; minister. De Calice Horatius lib. 4. Prodat persicuus ne duo vina calix. Interdum Calix accipitur pro vase, in quo legumina coquuntur. Ouid. lib. 5. Fast. Stant calices, minor inde faba, olus alter habebat.

Calpar vas est fictile seu dolium. Varro apud Nonium: Quia antequam nomen dolii prolatum, quum etiam id genus vasorum Calpar diceretur.

Canistrum, seu Canister, dicitur Cista, seu fiscella contexta vimine. Ouid. lib. 3. Met. Prunaq; & in paruis redolentia mala canistris.

Cantharus proprium est Liberi patris poculum. Virg. de Sileno: Et grauis attrita pendebat cantharus ansa. Nomen autem sumpsit à similitudine nauigij eiusdem nominis: nã Cantharum nomen esse nauigij ostendit Macrobius, ex Menandri testimonio.

Capis capidis, nomen est poculi, dicti à capiendo. diminutiuũ est Capidula. Hac dictione vsus est M. Cato.

Cista vas erat mysticum, quo vtebantur in sacrificiis Bacchi. Catul. Pars obscura cauis celebrabant orgia cistis. Nunc pro capsa capitur, aut vase negotiatorio. Iuuenalis: Iamq; vetus Græcos seruabat cista libellos. Hinc Cistifer Mercenarius dicitur. Martia. lib. 5. Nupsisti Gellia cistifero. Diminutiuum est Cistella, capiturq; pro vasæ, quo suffragia populi in creandis magistratibus, legibusq; ferendis colligebantur. Cic. ad Here. Saturninus legem ferre cepit, collegæ intercedente: ille nihilominus cistellam deiecit.

Capsa à capiendo dicitur, significatq; loculamentum seu vasculum, quo aliquid includitur. diminutiuũ est Capsula.

Capsices, capitur pro Lecytho & oleario vase. Cyprianus lib. 2. Epist. Fidelia farris non deficiet, & capsaces olei non minuetur.

Capula, uas est uinarium, quo utebantur ueteres. ansatum erat, & manu facile capiebatur: unde inditum nomen. Varro: Capis & minores Capulæ à capiendo nominantur, quòd ansatæ sint. Est & aliud eiusmodi, quod Capisterium dicitur.

Caprunculum, uas est fictile detorto à capacitate etymo.

Carthallum, Hieronymus in Deuteronomio posuit pro canistro: Tolles (inquit) de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in carthallo.

Corbis, cista est uiminea, qua utuntur messores. Propert. lib. 4. Corbis in imposito pondere mesior eram. Cicero in oratione pro Sestio: Messoria se corbe contexit. Diminutum est Corbula. Cato dicit Corbulas amerinas quattuor pullico necessarias esse. id est, ex amerina salice contextas. Fuit enim Ameria urbs Vmbriæ, quondam salicibus ferax: unde Virg. Atq; Amerina paret lentæ retinacula uiti.

Catinus, seu Catinum, uas dicitur, in quo iurulentum aliquid ad escariam mensam reponitur. Horat. libr. 2. Serm. Angustoq; vagos pisces urgere Catino.

Chytra, seu Chytron, Latinè dicitur olla. idem sibi uolũt Chytrapos, & Chytrapida.

Cissimbium, dicitur ligneum poculum ex hedera, quod Homerus Cyclopi ab Vlysse datum scribit. Huius proculi Euripides & Callimachus apud Macrob. meminerunt.

Clepsydra, dicebatur uas uitreum modico foramine pertusum, horas dimetiens, in cuius fundo erat canalis guttatim aquam emittens. nunc Clepsydras plerique uocant ea uascula multis subter foraminibus pertusa, quibus æstiuo tempore horti irrorantur.

Coclum, uas æneũ aptum actionibus. Plautus: Æneis coclis excocta est mihi omnis materia. Marcus Cato utif. Colum, uas est uinarium, contextum uiminibus, dictum à colando. Virg. Colaq; prælorum fumosis diripe testis.

Cophinus, Græca est dictio. Corbem Latinè interpretatur. Priscianus. Iuuen. Sat. 3. Iudæis quorum Cophinus, fœnumq; , supellex.

Cotyla, uas est aptum bibendæ aquæ aut uino, quo Diogenem usum fuisse ferunt. Capit autem sex uncias. Martial. lib. 8. Post hunc in Cotyla rasa selibra data est. Capitur etiã Cotyla pro manus concauitate. Cotyla animalia dicuntur garrula.

Crateram, Nonius ait esse uas uinarium: Craterem uerò olearium. ego differentiam hanc credo nihili fieri ab auctoribus. Virg. Crateras magnos statuunt & uina coronant. Idem: Crateraſq; duos statuam tibi pinguis oliui. Ouid. 2. Fast. Coruus inauratum pedibus cratera recuruis Tollit. Rarissimè Cratera femineum reperitur, si reperiatur.

Craterra, uas est aptum hauriendæ aquæ, nos siculam uocamus. Neuius apud Nonium: Vidimus præter amnem crateris sumere aquam ex ponte.

Cucumæ, uasa sunt ænea ad calefaciendam aquam. Ambrosius: Dii tui aut ærei sunt, ex quibus Cucumæ melius fiunt ad usus hominum.

Culigna, uas est potorium. Cato: Culignam in fœnograco ponito, ut bene oleat. In eo uinum tantùm reponebatur.

Cumera, uas est frumentarium, seu quo frumenta reconduntur. Horat. lib. 1. Sermo. Cur tua plus cumeris laudes granaria nostris.

Cuppæ, dicuntur maiora uasa ex ligno ad condiendum uinum, in quibus unitores pedibus primùm uuas calcant. Lucan. lib. 4. Nanque ratem uacuæ sustentant undiq; cuppæ.

Cyathus, paruum est poculum uinarium. Hinc Cyathissare Plautinum uocabulum, id est, bibere. Stare ad cyathũ, dicuntur pincernæ & præguſtatores, qui principibus uinum præministrant. Horat. Puer quis ex aula capillis Ad cyathã statuetur unctis? C. Memmius obiecit Iulio Cæsari, quòd ad cyathum & uinum Nicomedi stetisset. auctore Tranq.

Cymbium, poculum est uinarium à cymbæ similitudine nuncupatum. Alii Cymbium per syncopam dictum putant, quasi Cyssimbium, ut est apud Macrobium. Varro apud Nonium. Item erant (inquit) uasa uinaria, sicut cymbium, Aquilinæ patere, gutti, Sextarii. Est tamen Cymbium lacti quoque poculum. Virgil. Inferimus tepido spumantia Cymbia lacte.

Crossus, uas est, cui oleum & unguenta imponuntur. Plutar. in Aristide: Subsequuntur lactis & uini libationes in amphoris: olei quoque ac unguenti Crossos liberi adolescentes deferunt.

Cyrtum, uas est piscatorium, quod in alueorum anguſtiis terræ infigitur, ut eò se intromittant pisces.

Cottabus, uocatur phiala seu peluis ænea. Interdum capitur pro genere potionis.

Cirnea, uas est uinarium. Plautus in Amphitryone: Cadus erat uini, inde impleui Cirneam.

Cululli, calices erant fictiles, quibus põtifices uirgineſq; uestales in sacris utebantur. Horat. lib. 1. Carm. Diues & aureis Mercator exsiccet Cululli Vina. Idem in Arte: Reges dicuntur multis urgere cululli, Et torquere mero, quẽ perspexisse laborant.

Crateriõn, Cranion, Cylichnides, pocula sunt apud Cęlium. Apud Lacones fuit Cothon. Vnde Acratocothonas uocant merum ubertim haurientes. Et ebrietas Cothonismus dicitur. Sunt & Cononiæ, de artificis nomine.

Cybellum dicitur à Græcis poculum ad interna proclinatum. Vocatur & amphicypellum, uelut undique introrsum flexum.

Depesta, fuit poculi genus, quo utebantur uetustissimi.

Diota, uas erat fictile, & utrinq; ansatum, aptissimum seruando uino. Horat. lib. 1. Car. Atque benignius Deprome quadrimum Sabina O Thaliarche merum diota.

Discus, uas est escarium, in quo reponuntur carnes, & alia cibaria. Apul. Cenarum reliquiis discus ornatus. Capitur etiam pro ludo & rotundo lapide, quem in sublime iaculabãtur iuuenes. Ouid. lib. 10. Splendescunt, latiq; ineunt certamina disci, Quem prius aerias libratum Phœbus in auras Miſit, & oppositas dissecit pondere nubes.

Dolia (inquit Nonius) uasa sunt grandia, in quibus uinum reconditur. Cato de re Rust. Eos conculcatos in dolia picata indito.

Decemmodiæ & Trimodiæ, uasa sunt rustica, quibus rustici in serendo frumento vtuntur. his vocabulis utitur Columella.

Fiscina, uas est vimineum, aut iunco textum. Plinius: Frondarias fiscinas quattuor implere fundatorem iustum esse autumat. Est autem propriè vasculum illud, quo exsiccatur casei. Virg. in Coppa: Sunt & caseoli, quos iuncea fiscina siccat. Diminutiuum est Fiscella, itidem uasculum virgulteum significans, quo lac colatur, dum caseus imprimitur. Virg. -et gracilli fiscellam texit hibisco. Tibullus lib. 2. Tunc fiscella leui detexta est uimine iunci. Vtraque etiã dictio capitur pro vase, in quo maioris summæ pecunia reponitur. Asconius: Sportæ, Sportulæ, & sportellæ nummorum sunt receptacula. Et sacci, sacculi, & saccelli, crumenæ, manticæ, & marsupia, item fisci, fiscinæ, & fiscellæ.

Fideliam, Nonius ait vas esse Samium ad plurimos usus. Plautus in Aulularia: Mulsi congialem plenam tibi faciam fideliam.

Frixorium, dicitur sartago, in qua quid frigitur. nomen à sono deductum.

Futis, uas erat aquarium, quo aqua in triclinium infundebatur.

Guttus, poculum erat, quo in sacrificiis utebantur, quòd forte oris esset anguſti, & guttatim distillaret. Plin. lib. 16. cap. 39. Manius Curius iurauit se ex præda nihil attigisse, præter guttum faginum, quo sacrificaret.

Gabatæ, uasa erant concauata, in quibus reponebãtur pulmentaria & edulia. Mart. lib. 7. Transcurrunt Gabatæ, uolantq; lances, Has uobis epulas habete lauti.

Gutturinum, uas est gutturosum, ex quo aqua guttatim manat ad lauandas manus. fluit autem stillatim propter oris anguſtias.

Gaster, genus est vasis. Gasterium dixit Aristophanes: Quali esset forma, non reperi.

Hydriam, Latinè vocamus vrnam aquariam. Budæus: Lagena vas est ea forma, qua hidriæ fictiles hodie à Bellouacis importantur.

Heracleum, dici volunt poculum, in quo enauigauerit Hercules, ac esse Solis proprium. In eo genere sunt Ethanium & Heniltomus. Fuit & Holmon, poculi genus Ceratio simile.

Ithmas, poculum erat Cypriis peculiare, teste Cælio.

Lauer, genus est dolii rusticani. Tibul. lib. 1. Aut mihi seruabit plenis in lintribus uuas. Est etiam lignum cauatum instar nauiculæ. unde & pro naui solet accipi.

Lanx, vas est latum & rotundum, minus excauatum quã patina. Apta erat lanx rebus diuinis. Virgil. lib. 2. Georg. Lancibus & pãdis fumantia reddimus exta. Capitur etiam pro uase escario. Iuuenal. Aspice quàm magno distendat pectore lancem.

Lasanum, uasculum est ad euacuandum ventrem. Horat. Te pueri Lasanum portantes Oenophorumq;.

Lebetes, dicuntur uasa ænea apta coquendis carnibus, aut aliis rebus. Ouid. lib. 12. Et prima pocula pugna Missa uolant, fragilesq; cadi, curuiq; lebetes. Virgil. lib. 3. Æn. Ingens argentum, Dodonæosq; lebetes.

Larcos, vas est, in quo feruntur carbones.

Lecythus, vocatur ampulla olearia. hinc prouerbium: Lecytho pinguior. Hiero. lib. 3. Reg. Hydria farinæ non deficiet, & lecythus olei non est imminutus.

Lepista, uas est ampullæ simile. Varro de uita patrum apud Nonium: Aliqui venditant oleum, Lepistæ etiam nunc Sabinorum fani, pauperioribus plerisque aut fictiles sunt, aut æneæ.

Luter, uas est, quo diluitur uinum, & immiscetur aqua. Hieronymus in Iouinianum utitur.

Labrum, vas est aptum balneis & thermis. Dictum à lauando. Cicero in Epist. Labrum si in balneo non est, fac ut sit.

Lebasium, & Lesbium, Cælius reponit inter pocula, & Lycurges, inter phialas.

Lagena, vas est fictile, ad formam hydriæ: à tereti enim collo dissenta laxitas sensim ad imum gracilescit. Martial. Nulla catenatis pila est præcincta lagenis.

Malluuium, seu malluuiæ, vas est, in quo lauantur manus.

Manſiſterna, urceus eſt aquarius, Plaut. Effer manſiſternam cum aqua foras.

Matella, vas eſt vrinarium, & in quod emittitur lotium. Mart. lib. 10. Diſpeream ſi tu Pyladi præſtare matellam Digmus es, aut porcos paſcere Pirithoi. Diminutiuum eſt Matellio, eiuſdem ſignificationis. Varro: Poſtularet Trulleum, matellionem, peluim. Mergus, mergoris, nomen eſt uaſis à mergendo dicti. Capitur fortè pro ſitula.

Metreta, nomen eſt menſuræ. Interdum accipitur pro amphora vinaria, ſeu alio vaſe. Martialis lib. 5. Plurimus Hiſpanas mittet tibi nauta metretas. Iuue. Saty. 3. At hic tignum capiti incutit, Ille metretam.

Miſtarius, vas, quo vinum aqua miſcebatur. Lucil. Vrceus aut gemina longus miſtarius vrna.

Mortariũ, vas, eſt in quo aliquit tunditur piſtillo. Plaut. in Aul. Cultrum, ſecurim, piſtillum, mortarium, quæ vtenda uaſa ſemper uicini rogant. Aquam in mortario tundere: adagium eſt de inani opera.

Mulctra quandoque capitur pro uaſe in quo mulgetur. Virg. lib. 3. Georg. Quàm magis exhauſto ſpumauerit vbere mulctra, Læta magis preſſis manabunt ubera mammis.

Metaniptrum, calix erat, quo poſt cenam utebantur teres, ubi lauiſſent.

Maſtus, à Paphiis nuncupatur poculum.

Matallides quoque eiuſdem ſunt vſus.

Naſſa, uas eſt piſcatorium, quò quum intrauit piſcis, egredi nequit. Cic. ad Att. lib. 15. Ex hac naſſa exire conſtitui, non ad fugam, ſed ſpem mortis meliorem.

Naſiterna, uas eſt aquarium, anſatũ, ac patens. Varro de Re ruſtica: Vt ex ære ahena, urceos, naſiternam faceret.

Nanum, uas eſt breue & latum. Calepinus ait, aliter dici Situlum barbatum.

Neſtorida, Cælius ait poculũ fuiſſe, quo ſit uſus Neſtor.

Obba, genus eſt poculi. Pont. in Leppidina: Obbam lactis, & hæc fumanti farta caniſtro.

Oenophorum, uas eſt uinarium, aptum ferendo uino, ut Græca compoſitio docet. Iuuenalis: Tandem illa uenit rubicundula totum Oenophorum ſitiens.

Olla, genus eſt uaſis. Varro: Cato ait uuam uimineam in ollis commodiſſimè condi. Plinius lib. 34. Quidam in ollis fictilibus tuſam urunt, ac lauant in mortariis, poſtea ſiccant. Aula in eadem ſignificatione poteſt accipi. unde Plautinæ Aululariæ inditum nomen.

Orca uas eſt capaciſſimum, Hiſpanis peculiare, quo ſalſamenta, uinum, & oleum, & ſalgama condebantur. Nomẽ traxit ab Orcæ marinæ ſimilitudine. Perſius: Anguſtæ collo non fallier orcæ. Item Varro apud Nonium.

Oxybaphum, dicitur uas acetarium. Cratinus poſuit pro poculo.

Onyx, calix erat ligneus.

Patella, uas eſt latum & aptum condendis obſoniis. Horat. libro Epiſto. Nec modica cenare times olus omne patella.

Peluis, uas eſt aquarium, in quo propriè pedes lauantur, quamuis etiam dicatur de aliis rebus.

Perſillum uas erat picatum, in quo ſeruabantur unguẽta.

Phiala, uas erat uinarium, aut aquarium. Iuuen. Saty. 5. Virro tenet Phialas, tibi non committitur aurum. Conflabatur enim auro. Noſtri Phialas uocant uaſa uitrea, in quibus acetum, aut aliquid ſimile reconditur.

Patera, poculum eſt latum ac patens. Virg. lib. 4. Aen. Ipſa tenens dextra pateram pulcherrima Dido.

Patina, uas eſt, in quo dapes elixæ & iurulentæ feruntur ad menſam: à patendo, ut liquet.

Pelluuiũ, ſeu Pelluuia uas, quo lauanẽ pedes, à perluẽdo.

Poculum uas, quo bibitur. Virg. Pocula bina noua ſpumantia lacte quotannis. Idem lib. 2. Georg. Pocula ſi quã do ſæuæ infecere nouercæ. Diminutiu ũ eſt Pocillum. Plautus: Tecum unà poſtea, tecum æquè pocilla potitet. Hinc Pocillatores dicuntur pincernæ.

Pollubrum, vas aquatile ad lauandas manus. Fabius Pictor apud Nonium: Aquam manibus dato, pollubrum ſiniſtra manu teneto.

Præferriculum, uas erat æneum ſine anſa, & patens, quod in ſacrificiis ſolebant præferre.

Pyxter, vas eſt ad vſum menſæ celebre, teſte apud Cæ-

lium Polluce. ipsum refrigerandi commoditatibus destinatum erat. Psycteres tamen Nicander posuit pro vmbrosis locis. Plutarchus pro vase, in uita Alexandri magni: Glaucum medicum (inquit) in Theatro nactus absentem, caprã prandit assatum, & ingentem vini Psycterem hausit.

Pyrsophorum, vas est grandius, cui succensa imponuntur ligna. Podoniptrum, vas est, in quo pedes lauantur: vnde & vocabulum inditum à Græcis.

Panathenaicum, nomen est poculi, apud Possidonium, quo etiam in genera sunt pellicæ.

Pellæ, seu Pellides, vasa sunt, quibus excipitur lac, dum mulgetur. Inter pocula etiam numerantur Pristis, Prochytis.

Panaria, dicuntur vasa viminea, quibus panes inferuntur ad mensam. Statius lib. 1. Sil. Hi panaria, candidasq; mappas Subuectant, epulasq; lautiores. Diminutiuũ est Panariola. Mart. Cum panariolis tribus redisti.

Paropsis vas est escarium. Mart. Cui portat gaudes ancilla paropside rubra Alecem.

Qualus vas est vimineum, per quod vinum è prelo gutatim defluit, quum calcatur uua. Virg. Tu spisso vimine qualos, Colaque prælorum fumosis diripe tectis. Capitur etiam Qualus pro calatho, in quo uirgunculæ suos reponunt fusos.

Rhytium uas est lunari specie. Martial. In Rhytio potaris Phœbe lauare pedes.

Sympiuium vas erat uinarium, quo utebantur in sacrificiis. Iuuen. Sat. 6. Sympiuium ridere Numæ, paruumq; catinum.

Sagana dicitur uas, in quo aliquid teritur. nomen est etiã veneficæ apud Horatium.

Salinum, uasculum est in quo sal reponitur, ad mensæ vsum aut sacrificia. Horatius: Viuitur paruo bene, cui paternum splendet in mensa tenui Salinum. Persius: Purum & sine labe salinum.

Sartago dicitur patella, in qua caro frigitur: aliter vocatur Frixorium. Hieronymus: Iussit ignem admoueri, & adhuc spirantem torreri in sartagine.

Scaphium, uas est excrementitium, & ad recipiendam corporis fœcem. aliter uocatur Matella. Iuuenalis Saty. 6. Et ride positis scaphium quum sumitur armis. Capitur quandoq; pro omni uase lati orificii. Lucretius lib. 6. Et ramenta simul ferri, furere intus ahenis In scaphiis.

Scyphus vas est potorium Herculi dicatus, quo veteres in conuiuiis & sacrificiis vtebantur. Cælius ait Scyphos quasi Scythos, à Scythis populis, quibus frequens est ebrietas. Hinc Scythissare, id est inebriari. Inter Scyphos laudantur in primis Bœotii, quibus Hercules primùm in expeditionibus vsus est; deinde Rhodiaci, sequentibus, Syracusiis. De Scypho Virg. Et sacer impleuit dextram scyphus.

Scutra seu Scutula, vas est forma rotunda, aliquanto minor disco. Martialis accepit pro vase octo vnciarum lib. 8. dicens: Bessalem ad scutulam longo peruenimus æuo. Nos etiam Scutel.um dicimus.

Scutrisca vas est itidem rotundum, quod à scuta videtur deduci, consule Catonem de re Rustica.

Seria, vas est oblongum & fictile. Liuius: Et in vico histrio, fontem tanta ui aquæ fluxisse, vt serias, doliaque (quæ in eo loco erant prouoluta) velut impetus torrentis tulerit.

Sitarchia, vas est repositorium cibi. Hieron. lib. 1. Regum: Panis deficit Sitarchiis nostris, & Sportulam non habemus.

Situla cista erat, qua suffragia populi colligebantur in creãdis magistratibus, legibusq; ferendis. dicimus & Situla. Cic. pro Cornelio: Neq; maius est legere codicem, quum intercedatur, quàm sitellam ipsam ipso cum intercessore deferre. Situla etiam capitur pro vase, quo aqua hauritur. Plautus: Si hanc situlam accepero, omnem illi puteo animam intertraxero.

Sporta, seu sportula, vas est vimineum, canistro non dissimile aliter potest vocari Corbis. Sallustius libro Historiarum canes Sportis demittebant. Capitur etiam pro distributione pecuniæ in populum, aut cibis ipsis, qui distribuebantur. Iuuenal. Satyr. 1. -nunc sportula primo Limi

ne parua sedet.

Suturnium vrceolus est, seu guttus, ex quo aqua in pelluuium distillat.

Sytropes Sytropedis, vas est fictile tribus fultũ pedibus.

Strigilecula est genus vasis. Apuleius: Iuxtaq; honestam strigileculam recta fastigiatione clausulæ, flexa tribulatione ligulæ, vt & ipsa in manu capulo, &c.

Solium, vas erat, quo lauabantur, qui nolebant in thermis sudare. Factum est olim tanto sumptu, vt esset argenteum, quo mulieres lauabantur. Mar. lib. 2. Zoile quid solium sub luto prodice perdis.

Syriscum vas erat plexile, in quod coniiciebantur fici.

Seleucides Athenæus pro poculis posuit.

Stamnium à Polluce numeratur inter vasa vinaria.

Sinum, vas erat sinuosum, aptum condendo lacti. Virg. Sinum lactis, & hæc tibi liba Priape quotannis.

Synthesis, vas est fictile, ex diuersis vasis compositum. Statius lib. 4. Sil. Vnam mittere synthesin quid horres Alborum calicum, atq; cacaborum?

Tepidarium vas est, in quo aqua temperatur.

Tinnia apud antiquos vasa fuerunt vinaria.

Triental vas est, tertiam partem sextarii capiens.

Trua, seu diminutium Trulla, genus est vasis, dictum à terendo. Eo vase aqua fundebatur in lauatrinam. Fiebat Trulla ex ære Corinthio, & argento. Martialis posuit pro Scaphio lib. 9. dicens: Clinicus Herodes Trullam subduxerat ægro. Horatius pro vase potorio, dicens: Qui Veientanum festis potare diebus Campana solitus Trulla nappáq; pro festis.

Trulleum vas est latum & aquatile, quo perluuntur manus. Varro apud Nonium: Itaq; ea sibi modò ponere ac suspendere quæ vtilitas postularet, Trulleum, matellionem, peluim, nasiternam.

Talarus vocatur calathus, qui contexitur viminibus, in quo coagulatur caseus.

Thargelus dicebatur olla, in qua percoquebantur fructuum primitiæ in honorem Apollinis.

Tragelaphum Cælius numerat inter pocula.

Thericlæum poculum est vinarium, in quo bibitur, à Thericle quodam inuentore nominatum. Hinc natum adagium, Thericlæi amicus: in parasitos, & amicos mensæ.

Vannus feminei generis, vas est latum & vimine contextum, quo sordes à frumentis auferuntur. Alii cribrum cereale vocant. Columella: Ipsæ autem spicæ melius fustibus tunduntur, vannis expurgantur.

Vrna vas est fictile, quo hauritur aqua. Pontanus. Non riui crepitantis opem, non fictilis vrnæ. In vrna etiam quandoque vinum & oleum reconduntur. Cato de re Rustica: Vrnæ oleariæ, vrcei aquarii, vinariæ vrnæ, & alia vasa ænea Capuæ. Dicimus etiam Vrnarium. testis apud Nonium Varro.

Vrceus vas, quo aqua effunditur in vrnam. Diminutiũ est Vrceolus. Cato de re Rustica, de hoc & aliis compluribus sic ait, Item in cella olearia hæc opus sunt: Dolia olearia, & opercula, & labra olearia XIV. Conchas maiores duas, & minores duas, Trullas æneas tres, Amphoras olearias duas, vrceum aquarium vnum, vrnam quinquagenariam vnam, sestarium olearium vnum, Labellum vnum, infundibula duo, Spongias duas, Vrceos fictiles vrnales duos, Trullas ligneas duas.

VESTIMENTORVM GENERA.

Abolla vestis erat tragica & grauiorum personarum. ea vtebantur externi reges: erat enim magni splendoris & pretii. Martialis lib. 4. Cærea quem nudi tegit vxor Abolla grabati. Idem libro 8. Nescit cui dederit Tyriam Cryspinus abollam. Suetonius scribit Pompeium quendam baculo percussum fuisse à Caligula, quòd spectacula ingressus, conuertisset omnium oculos fulgore purpureæ Abollæ. De hac Iuuenalis Saty. 3. Atque audi facinus maioris Abollæ.

Adasus tunica erat ab humeris non consuta.

Amictorium, indumentum erat pectoris, quo dormientes se integebant, ne nocturno frigore offenderentur. Erat autem ex lino, mulieribusq; maximè in vsu.

Aulæa, teste Nonio, genus erat vestis peregrinæ. nos Aulæum dicimus velamen belluatis intextum picturis. Ali-

ter dici potest Peripetasma, peristroma, & tapes, seu tapetum. Virg. lib. 1. Aenei. Aulæis iam se regina superbis Aurea composuit sponda.

Amphitapæ dicuntur vestes, villos vtrinque habentes. Lucilius apud Nonium: Amphitapæ villis ingentibus molles, & si aliud quid deliciarum.

Arsineum, auctore Festo, ornamentum erat capitis mulieris.

Anaxyrim Cælius ait indumētum fuisse Persis peculiare, nos Pileum dicimus.

Brachialia dicuntur brachiorum tegumenta, ut Tibialia tibiarum. Plinius lib. 25. Nec vllo malo medicamento laedi posse, aut veneno (si quis in brachiali habeat) arbitrantur magi.

Erat & Burrhanicum genus cuiusdam vestis.

Braccha vestimentum erat Gallis quondam peculiare, Vopiscus: Gallicis, inquit, Bracchis ornatus Tetricus in triumphum est ductus. Lampridius ait, Alexandrum primi pem inter militaria vestimenta bracchas donasse. Hoc etiā utebantur Sarmatæ.

Bardocucullus, vestis erat Gallica, vnicuiq; tempori idonea, cum qua milites imbrium tempore iacebant in castris & in agris rustici. Lucanus lib. 1. Vrbica Lingonicus, Tyrianthina bardocucullus.

Batrachides, vestes erant viriles & floridæ, quę nomen traxerunt à colore ranæ, quæ Batrachos Græcè dicitur. Similis propè erat Bardiacus, sed sine cucullo, id est capitis ligamento.

Birri genus est vestis Gallicæ, quo capita integuntur.

Cyclas vestis est feminea, & in rotunditatem formata. Sidonius ait, pronubam Cyclade honorari, sicut toga senator honoratur. Alexander Romanus imp. (auctore Lampridio) dicere solebat, matronas regias contentas esse debere Cyclade, quæ sex vnciis auri plus non haberet. De Cyclade Iuuenalis Satyra 6. Hæ sunt, quæ tenui sudant in Cyclade. Cycladati dicuntur induti Cyclade. Tranquillus de Caligula: Sæpe depictas, gemmatasq; indutus Penulas, manu leatus &: armillatus in publicum processit. Aliquando seri

catus & Cycladatus.

Cento vestis est crassa, uariisq; pannis & partibus consuta, ad quam allusisse uidetur Horatius in Arte dicens: Purpureus latè qui splendeat unus & alter Assuitur pannus. Iuuenalis Saty. 6. de Messalina imperatrice: Intrauit calidū ueteri Centoni lupanar. Nomades, auctore Strabone, tentoriis utuntur Centonum instar pilo contextis. Centones per similitudinem uocantur carminis genus, ex diuersis carminibus, & carminū fragmentis, hinc atq; illinc accersitis, consutum: qualis est Ausonij Cento nuptialis, ex Virgilianis carminibus concinnatus. Hinc natum adagium, Farcire centones: id est, commentitiis nugis auditores ludere. Plautus in Epidico, Quin tu inquit, alium quæras, cui Centones farcias, id est, quem tu glorioſis mendaciis expleas.

Calantica, tegmen erat capitis muliebre. Tullius in Clodium: Quum calanticam capiti accommodares.

Caliga, tegumentum est tibiarum. hinc Caligati, caligis induti imperator Caligula nomē sumpsit à caligis, quas margaritis refertas primus portauit. Ausonius: Caius cognomen caligæ cui castra dederunt.

Calyptra, genus erat uestimenti, quo mulieres integebant sua capita.

Caltula, uestis nomen sumpsit à Calta herba, seu uiola coloris lutei.

Capitia dicuntur tegumenta capitum. Varro apud Nonium: Nec capitia, nec strophia, neque zonas.

Capidulum, idem significat quod capitium.

Caltula dicebatur palliolum, quo puellę nudæ infra pallas præcingebantur. Varro: Castulam mulier sumpserat pro succula. Hæc etiam Perizonium, & Præcinctorium appellatur.

Causia, seu Casea, tegmen est capitis ad calores. Valerius Maximus: Quemadmodum Antigonus caput Pyrrhi texit Causia, qua uelatum caput more Macedonū habebat.

Chalasis tunica erat laxa & muliebris, (uel ut alii malūt) nodus tunicæ muliebris, quo connexa circa ceruicem tuni ca sumitur.

Campestre dicitur lumbare, seu subligar, quo integuntur lumbi. Horat. lib. 1. Epist. Penula solstitio, campestre niualibus auris.

Chirodita vocatur tunica prolixa, ultra brachia manus operiens. Peculiaris est Dalmatarum genti. Eius pannum Galli Dalmascum uocant.

Chlamys, dicitur uestis militaris pallio strictior, & breuior. Val. Flac. lib. 6. Non auro depicta chlamys, non fiaua galeri Cæsaries. Plautus adornatum militis ait opus esse chlamyde, machæra & petaso. Tranquillus in Tiberio accipit pro ueste puerili: Munera, inquit, quibus à Pompeia, Pompeij sorore, in Sicilia donatus est, chlamys, & fibula. In Caligula uerò posuit pro ueste militari, dicens: Vt sæpe chlamyde, peltaq; & galea armatam, & iuxta ad equitantē militibus ostenderit. Chlamydati dicuntur induti chlamyde. Plautus in Pseudolo. Quis hic homo chlamydatus est, aut unde est?

Chlæna uestimentum erat, quod aliis omnibus superponebatur. nos Lænam dicimus.

Colobium, tunica erat sine manicis, qua utebantur quondam Romani.

Crocotula uestis crocei coloris. Plautus: Paragiatam, Caltulam, aut Crocotulam.

Crocoton, genus est uestis rotundæ, ac fimbriatæ, qua utebantur diuites matronæ. numeratur à Festo inter delicatas uestes. hinc adagium natum, Feli Crocoton dare, quū indignis honor exhibetur.

Candys, indumentum erat Persicum, & regis quidem Halyporphyros. Plutarchus in Alexandro Magno: Nunquā tamen ut Mœdorum amictum barbarum nimis & ab se alienum assumeret, induci potuit, semper anaxyridas, Candin, tyaramq; repudians.

Cucullus, uestis erat, quæ implicabatur collo. nostri monachorum gestamen uocant, quòd relinquere planè sit nefas. Cucullam tamen dicere malunt fratres heremitani. De Cucullo Martialis lib. 10. Pullo Meuius alget in cucullo. Iuue. Saty. 6. Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos. Geor. Valla ait breue esse tegmen, & uile, quo cāput humeriq; ad arcendam pluuiam conteguntur.

Chiton uestis erat prætenuis, & simplex, quæ fiebat lino. Capitur etiam pro thorace: unde & Homerus Chalcochitonas Achæos uocauit, tanquam æneis præmunitos tunicis.

Conopeum, genus erat tentorii ad culices prohibendos, quo maxime utebantur Alexandrini, qui Conopeis lectos operiebant, ne à culicibus infestarentur. Propert. lib. 3. Fœdaq; Tarpeio Conopea tendere saxo. Horat. in Epo. Interq; ligna turpe militaria Sol aspicit Conopeum.

Cinctus Gabinus toga erat sic in tergum reiecta, ut lacinia eius reuocata hominem cingeret. Ea utebantur Roma ni consules bellum inducturi. Virg. lib. 7. Aeneid. Ipse quirinali trabea cinctaq; Gabino Insignis reserat stridentia limina consul. Porrò Cinctus uirorum erat, Cingulum mulierum.

Cæsitium linteolum erat purum, & candidum, sic dictum, quòd oras haberet circunciſas, auctore Nonio.

Carbasus (inquit idem) pallium est quo flumina amictūtur, aut opulentiæ: Sericeum erat, aut lino tenui. Virg. li. 3. Aen. eum tenuis glauca uelabat amictu Carbasus.

Culcitram Nonius ponit inter genera uestimentorum. Est autem tela illa, seu linteum, quod dormientibus nobis ad quietem supponimus, cuiq; plumam inculcamus. Mart. Fraudata tumeat facilis tibi culcitra pluma.

Casiaca nomen est uestis, qua utebantur Græci milites, Casianam uocauit Eustathius, à nomine Casi montis.

Capyris tunica erat Persarum manicata.

Calasiris fuit itidem Persarum uestis omnium pulcherrima. Herodotus in Euterpe: Vestibus amictuntur lineis circa crura fimbriatis, quas Calasires appellant, super quas cā dida ferunt amicula tanquam superiecta.

Massilienſium erat Corthæus, Babyloniorum Caunaces.

Diphthera, pastoritium erat indumentum ex pellibus. Herodotus scribit Ionas Biblos dicere Diphtheras, quòd aliquando Biblorum, seu papyri penuria, pellibus vterentur tum caprinis, tum ouillis. Alio nomine uocatur Beta.

Diplois, dicitur duplex pallium, ut dictio monstrat. Di-

ploidion Cælius numerat inter ueſtes mulierum proprias.

Dalmatica genus eſt ueſtis, quæ à Dalmatis populis (apud quos frequens fuit eius uſus) nomen ſumpſit. Hac diſtione uſus eſt Lampridius: Dalmaticatus, inquit, poſt cenam ambulabat.

Dextrocheria dicuntur dextrarum manuum ornamenta. alio nomine uocantur Dextrariola. Iulius Capitolinus ſcribit, Maximinum imperatorem pollice fuiſſe ita vaſto, ut uxoris dextrocherio uteretur pro annulo.

Dorſualia, dicuntur tegmenta, quibus integuntur equi. Iul. Capitol. Proceſſerunt, & c.

Endromis ueſtis erat hirſuta & longiore uillo, quibus utebantur in gymnaſio & theatro ad munera arenæ exercenda. mittebatur autem ex Gallia ob peritiam textorum, qui illic habebantur præſtantiſſimi. Martialis lib. 4. Dona peregrinam mittimus Endromidem. Hæc ueſtis exigui erat pretij, licet à diuitibus tantùm uſurparetur: nam ſoli diuites in gymnaſiis ſolebant exerceri. Idem Martia. Pauperis eſt munus, ſed non eſt pauperis uſus, Hanc tibi pro togula mittimus Endromidem.

Encimibomata, ueſtes erant quædam puellares. Cato de liberis educandis apud Nonium: Vt puellæ habeant potius in ueſtitu chlamydes, encimibomata & parnacidas, quàm togas.

Epheſtris à Græcis dicitur, quam milites armis ſuperponunt.

Epitogium dicitur pallium, quod ſuperponitur togæ, uerbum eſt bigenum, ex Græco & Romano compoſitum.

Exomides erant ueſtimenta quædam, quæ aliis tunicis ſuperponebantur. Sunt qui Comicorum fuiſſe putent.

Flammea, erant indumenta capitis, quibus matronæ & nubentes utebantur ad uelandum pudorem in nuptiis. de his uidetur intellexiſſe Seneca: Cui coniugio corpora uelas captiue pudor. Lucan. li. 2. Lutea demiſſos uelarunt flammea uultus.

Forenſia ueſtimenta erant, quibus Romani utebantur in foro. aliter uocantur togæ forenſes. Suetonius in Auguſto: Forenſia autem, & calceos nunquam non intra cubicu-

lum habuit.

Feminalia, ſeu Femoralia dicuntur feminum ſeu femorum tegumenta. Femina enim pro femoribus capiuntur. Plin. Prioribus pedibus femina onerant, propter id natura ſcabra. De feminalibus Sueto. in Auguſto: Hieme quaternis cum pingui toga tunicis & ſubucula, & thorace laneo & feminalibus & tibialibus muniebatur.

Gauſapina ueſtis erat uilloſa, non tamen oneroſa. Martialis: Et dolet, & queritur, ſibi non contingere frigus, Propter ſexcentas Baccara gauſapinas.

Galericulum, capitis indumentum, quo crines operiebantur. in uſu erat palæſtritis, ne capilli eorum cæromate contaminarentur. Suetonius ſcribit, Othonem Galericulũ capiti propter raritatem capillorum adoptaſſe: ubi Galericulum accipit pro adulterina coma, quæ ex alienis capillis inſtar galeri compingitur, & ita graphicè capiti annectitur ut à uera coma internoſci nequeat. De hoc Martia. Ne lutet immundum nitidos cæroma capillos, Hac poteris mandidas condere pelle comas.

Galerus, dicitur capitis tegumentum factum inſtar galeæ. poetæ fingunt Mercurium in ferendis Deum mandatis uti galero. Claudianus lib. 1. de Raptu: Cyllenius aſtitit ales Somniferam quatiens uirgam, tectusq; galero.

Gabanium, habitus eſt Græcanicus oblongis manicis, quo nunc utuntur plerique Itali.

Hemitogium dicitur media pars togæ. ratio dictionis nota.

Hypotichos dicitur ſubucula, eſtq; pontificum. auctor Hieronymus.

Hemidiploidion numeratur inter muliebres ueſtes.

Ianthina dicitur ueſtis uiolacia. Mart. Coccina formoſæ donas & Ianthina mœchæ.

Impluuia, ueſtis erat, qua ſacerdotes per imbrem utebantur. Varro: Salium quoque ſereno tempore Impluuia amictum fuiſſe criminabantur.

Induſium ueſtis erat, quæ ſuper ſubuculam induebatur.

Induſiatus, id eſt, induſio ueſtitus.

Infulæ, dicebantur faſciæ factæ inſtar diadematum, à

quibus utrinque dependebant uittæ. Virg. -Nec te tua plu
rima Panthu Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.
Infulati dicuntur infula operti.

Las, nomen est uestis apud Herodotum, scribentem: In
quas quum alia ratione animaduertere non possent, uestem
illarum in Iadem mutauerunt.

Lacerna uestis erat militaris, & coccinea. Erant & La-
cernæ albæ apud ueteres, quibus vtebantur in spectaculis,
& ad vsus theatrales. His albentes togas (ut indicat Epi-
grammaticus) contegebant. De his intellexit Suetonius in
Augusto, dicens, Ne quem posthæc de cetero paterentur,
in foro circo ve, nisi positis lacernis togatum consistere.
Plin. li. 16. Statimq; augent lacernarum pretia. Proper. li.
3. Tu tamen iniecta tectus vesane Lacerna. vbi de militari
intelligit.

Læna vestimentum erat, quod superponebatur tunicis
omnibus. Virg. Tyrioq; ardebat murice Læna Demissa ex
humeris. Græci Epigraphon dixere. Ab huius vestis vsu
nomen traxerunt Lænates Romani.

Lanetū, genus erat vestimenti confectū ex lana succida.

Latusclauus, vestis erat senatorij ordinis insigne, vt &
Calceus lunatus. Tunicæ purpuram Plinius Latum clauum
appellat. Suetonius in Augusto: Sumēti virilem togam tu-
nica laticlaui resuta ex vtraque parte ad pedes decidit. Cla
uus etiam & Latusclauus (quod etiam Laticlauium dicitur)
capitur pro senatoria dignitate: vt Ius annulorum aureo-
rum, pro equestri ordine. Ouid. Curia restabat, claui mē
sura coacta est. Tunica laticlaui texi cœpit Plinii tempori-
bus, qui latiore clauo Tullum Hostilium è regibus primum
vsum prodidit. Dictus est autem à textura, qua in mappis
vsos fuisse docet Mart. Et lato variata mappa clauo. Ab
hoc vestimento Laticlauij dicuntur senatores, & senatorum
filii. Suetonius in Augusto: Binos plerunq; laticlauios præ
posuit singulis alis.

Limbus erat vestimentum muliebre, purpuram in imo
consutam habens. Virg. lib. 4. Aen. Sidonia picto chlamydē
circundata limbo.

Lumbare, quo integuntur lumbi, Hieronymus: Sicut ra

posuisti lumbare istud ad lumbos tuos.

Leuidensa genus est uestis vile, raro tenuiq; textu. Hinc
Munus leuidensæ, prouerbiali figura dicitur munus mini-
mi pretij. Cicero ad Dolab. 9. Epist. Sed ego hospiti vete-
ri & amico munusculum mittere volui Leuidensæ, crasso fi
lo, cuiusmodi ipsius solent esse munera.

Mastrugæ, seu Mastrucæ vestes erant Sardis peculiares.
Plautus Mastrugatus & plenus puluere.

Mollicina vestis à mollitie nomen sumpsit.

Multitia, vestes erant tenues & lucidæ & delicatis aptis-
simæ: fiebant serico. Dicebantur autem Multitia, quòd sua
uitate sua mulcerent. Iuuenalis Satyra 2. Non facient alii,
quum tu multitia sumas.

Mantile dicitur linteum, quo terguntur manus. Virg.
Tonsisq; ferunt mantilia uillis. Dicimus & Mantelū. Plau
tus: Nec his sycophantiis, nec fucis vllum mantelum ob-
tiam est.

Manicæ, dicuntur manuum tegumenta. Hinc Lanicatæ
vestes, quæ olim probro datæ sunt, & molliciei. Virg. Et
tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Mamillaræ, indumentum erat ad compescendas papillas
mulierum mammosarum. Martialis: Taurino poteras pe-
ctus constringere tergo. Nam pellis mammas non capiti-
sta tuas.

Myoton Armeniorum fuisse vestimentum dicunt, muris
figura variè ornatum.

Erat & Mandya vestimenti genus, quo se vt lorica mu-
niebant, Latini Mantellum dicunt.

Nebrides, vestes erant villosæ factæ pellibus ceruorum,
quibus in sacrificiis Bacchi vtebantur. Sidonius: Rotat En
thea thyrsum Bassaris, & maculis Erithreæ Nebridos
horrens.

Otho, apud Homerum nomen est candidi amiculi ex la-
na non ex lino, inquit Cælius.

Paludamenta ornamenta erant, & insignia militaria. Ideò
quum ad bellum exiit imperator, Paludatus dicitur profi-
ciscī. Cic. in Pisonem & Gabinum: Exierunt duo paludati
vulturi. Paludamenta dicuntur à palàm, quòd his induti pa

làm conſpicerentur. Plin. ſcribit, Coccum fuiſſe dicatum paludamentis imperatoris. licet autem bellicum & caſtrenſe imperat. eſſet indumentum: paludati tamen erant lictores. Liuius: Cum paludatis lictoribus profectus ab vrbe Brunduſium venit. Paludati (ut iam exemplis docuimus) dicuntur paludamentis ornati. Iuuenalis Satyra 6. Cumq; paludatis ducibus præſente marito, Ipſa loqui recta facie, ſtrictisq; mamillis. Paludamentum hodie Cottam armorum vocamus, inquit Budæus.

Penulæ, ueſtes erant ſeruorum, & pauperiorum. Optimæ texebantur ex lana Appula. ea vtebantur ad arcendam pluuiam, ſed nunquam imperatores. Galba amico roganti Penulã non, pluit, inqt, nõ opus eſt tibi: ſi pluet ipſe vtar. De Penulis Lãpridius in Alexãdro Seuero: Penulis intra vrbem frigoris cauſa, ut ſenes uterentur, permiſit, quum id veſtimenti genus ſemper itinerarium, aut pluuiæ fuiſſet. matronas tamen intra vrbem penulis vti vetuit, in itinere permiſit. Horat. lib. 1. Epiſt. Incolumi Rhodos & Mitylene pulchra facit quod Penula ſolſtitio brumale niualib⁹ auris. Notatus eſt Caligula, quòd penulis vteretur, quæ Imperatorem minime decebant. Sueto. Sæpe depictas, gemmatasq; indutus penulas, manuleatus, & armillatus in publicum proceſſit. Auguſtinus Penulam accepit pro grammaticorum indumento lib. 1. Confeſ. vbi ait: Quis penulatorum magiſtrorum, inquit, audit aure ſobria, ex eodem puluere hominem clamantem & dicentem, fingebat hæc Homerus. Vlpianus Iuriſcon. inter communia veſtimenta (quibus ver & mulier promiſcuè vtuntur) penulas numerat. Penularium dicitur penulæ repoſitorium, & Penulati penulis veſtiti. Mart. libro 2. Non ipſe Codrus alpha penulatorum.

Puluinar, Puluinus, & Puluillus dicitur, quod dormientium capitibus ſupponitur, à Plumis pullorum, quibus fit. Catullus poſuit pro plumeo lecto, & geniali thalamo, in quo noua nupta quieſcit cum ſponſo, vbi ait: Puluinar vero diuæ geniale locatur. Idem: Puluinar complexa ſuo velabat amictu.

Palla, dicitur honeſtæ mulieris veſtimentum, Statius

libro 7. Theb. Et fibula raſilis auro Tænariam fulua mordebat laſpide pallam. In Gallia viri etiam vtebantur palla. Mart. Dimidiasq; nates Gallica palla tegit.

Parnacides, veſtes erant puellares. Varro apud Noniũ.

Patagium erat chlamys aurea, quæ pretioſis tunicis ſuper indui ſolebat. Patagiarii dicuntur veſtimenti huius textores, Patagiati, eo induti.

Peplum, ſeu Peplus, veſtis erat ſolennis, quæ uiro vel fœminæ iniiciebatur. Plaut. Nunquam ad ciuitatem veni, niſi quum infertur peplum hodie. Virg. Crinibus Iliades paſſis, peplumq; ferebant. Lactantius grammaticus ait, peplum dici veſtem candore eximio, aureis diſtinctam clauis, ſine manicis, quam veſtitores deorum ſimulacris iniiciebãt. Peplum primõ inſtituerunt Athenienſes. texebatur matro narum manibus, intraq; triennium numini offerebatur, ſed Mineruæ in primis. Seruius ait Peplum pallam eſſe femineã Mineruæ conſecratam. Xenophon ſcripſit Peplum etiam cõ uenire viris. Lactantius Peplos dixit in maſculino genere. His peplos (inquit) induméta pretioſa, quibus vſus velamis nullus eſt, his aurum & argentum conſecrant.

Periſcelis, dicitur pectoralis mulierum faſcia, ſeu ſimile aliquod indumentum puellare, aut (vt alij malunt) brachio rum eſt ornamentum, quod, aliter Dextrocherium vocatur. Hor. li. 1. Epiſt. Nota refert meretricis acumina, ſæpe catellam, Sæpe Periſcelidem raptam ſibi flentis. Mænander ſcripſit puellas geſtare periſcelidas. Gremialia vocat Cæli⁹.

Perizonium pallium eſt præcinctum, quo nudæ virgines infra papillas præcingũtur. aliter Præcinctorium vocatur.

Pileus, ſeu Pileum, dicitur virile tegumentum. Perſius: Hanc nobis Pilea donant. Cælius Sabinus iuriſperitus teſtis eſt apud Gellium pileatos ſeruos venum ſolitos ire: quo indicabant veteres, venundandi legem non eſſe operiendã. Corona ſignum erat captiuorum venalium: pileus verò impoſitus demonſtrabat eiuſmodi ſeruos venundari. hinc pileus interim pro libertate capitur, cuius inſigne eſt. Liuius Poſtero die ſerui ad pileum vocati, & carcere vincti, emiſſi. Suet. in Nerone: Tantumq; gaudium publicè præbuit, ut plebs pileata tota vrbe diſcurreret. Idem in Tiberio: Ser-

uis ad pileum frustra vocatis in Siciliam profugit. Serui enim (qui manumittebantur) accipiebant pileum capiterafo. Sex. Aurelius: Omnis (inquit) Roma adeò interitu Neronis exultauit, vt plebs induta pileis manumissionum, tanquam sæuo exempta domino triumpharet. Mar. libro 1. Permittis puto pileata Roma. In Saturnalibus ad exprimendam libertatem pileata erat Roma. vnde idem Mart. Dumq; decent nostrum pilea sumpta Iouem.

Petasus, dici potest capitis tegmen, seu umbraculum ad instar pilei formatum. Suet. in Augusto: Domi quoq; non nisi petasatus sub dio spatiabatur. Cicero ad Cassium: Sed tabellarij petasati ueniunt, comites ad portas exspectare dicuntur. Plin. lib. 36. scribit in summo labyrinthi Italici petasum unum omnibus pyramidibus impositum fuisse.

Poderis, dicitur talaris tunica duplici syndone. Iosephus Byssinam vocat. hæc adeò arcta est, & strictis adeò manicis, vt nulla sit in veste ruga. tales interdum habent milites, ut onere expediti aptiores sint torquendis hastis, aut uibrandis sagittis.

Polymitus nomen sumpsit à multiplici liciorum varietate: nam mitos Græcè, filum dicitur Latinè. hinc Polymita uestis dicitur multis liciis contexta. Plinius: Plurimis uero liciis texere, quæ Polymita appellant, Alexandria instituit. Polymitarii dicuntur, qui huiusmodi uestimenta conficiunt.

Prætexta uestis erat patriciorum, ab eo dicta, quòd purpura prætexabatur. hinc prætextatus Papirius dictus est ob loquendi, tacendiq; prudentiam in ætate prætexta. Et Prætextatus sermo, dictus ab antiquis qui nihil haberet obscenitatis. Pompeius sextus lib. 16. de uerbis priscis: Nefas inquit, apud ueteres habitum est, uti prætextati pueri uerbis obscenis uterentur, ideoq; prætextatum sermonem appellarunt, qui nihil obscenitatis referret. Quam sententiam apud Macrobium uidetur probare Vectius prætextatus: Nam toga, inquit, prætexta ea ratione pueris additur, ut ex colore purpureo ingenuitatis pudor regeretur. diuque negatum libertinis fuit, uti prætexta. unde etiam prætextatæ fabulæ apud antiquos dictæ sunt, quibus præcepta & monitiones ad optimos mores pueris tradebantur. Hor. in Arte: Vel qui prætextas, uel qui docuere togatas. Contrà tamen Suetonius in Tito Vespasiano, uerba prætexta vocat impudica, qualibus solent uti lasciuientes pueri: Erat, inquit dicacitatis plurimæ & sic scurrilis ac sordidè, ut ne prætextatis quidem uerbis abstineret. M. Tullius in oratione pro Murena scribit, filios triumphantium maximè prætextatos sedere consuesse in equis triumphatoris.

Pallium, vestimentum erat Græcis peculiare. hinc palliatæ comœdiæ, quæ scriptæ sunt secundum ritus & habitus Græcorum palliatorum, palliati, & palliolati dicuntur induti pallio. Suet. in Cæs. dictatore: Vno quo sagati palliati ve, altero quo togati cũ illustrioribus prouinciarũ discumberent. Martialis: Hanc volo quæ facilis, quæ palliolata vagatur. De pallio Suetonius in Augu. Togas insuper ac pallia distribuit. Idem in Cæsare Tiberio: Redegitq; se deposito patrio habitu ad pallium & crepidas.

Pallium quoque vestimentum erat philosophicum. Herodes (ut est apud Gellium) quendam barbatum, palliatumq; (qui ex eo habitu philosophus videri uolebat) ita taxauit: Video barbam & pallium, philosophum nondum video. Diminutiuum est Palliolum. Iuuen. Satr. 3. Vxorem comœdus agit, vel Dorida nulla Cultam palliolo. A Pallio fit aduerbium palliolatim. Plautus: Palliolatim amictus sic incessi ludibundus.

Phelonem pro quodam tuniculæ genere accipit Cæl.

Perinesa antiqui vocabant indumenta, in quorum extremitatibus affuta esset purpura, quadam insulæ imagine.

Rhenones vestes erant pelliceæ, quibus auctore Cæsare Germani vtebantur. Sidonius: Viridantia saga limbis marginata puniceis, penduli ex humeris baltei vel gladii balteis supercurrentibus struxerat clausa bullatis latera Rhenonibus.

Ralla vestis dicta est à raritate filorum. Plautus apud Nonium: Tunica Ralla, toga spissa.

Recludimna, seu Recidipna, vestes erant peregrinæ, quibus vtebantur in Gymnasiis. Iuuē. Sat. 2. Rusticus ille tuus sumic recidipna Quirine.

Recinium vestis fuit antiquissima quadrata, cuius media partem iaciebant post humeros. eadem Ricinus, & Ricinium dicitur à reiiciendo. Festus: Recinium est omne vestimentum quadratum.

Regilla vestis erat regia, vnde etiam tractum nomen, ea erat auro, & purpura intexta, & regibus peculiaris. Plautus: Basilicam an Regillam induam tunicam?

Richa vestimentum erat, quod nos sudarium dicimus, Serenus: Aut Zonulam, aut auem, aut richam.

Reticulum capitis tegmen muliebre. Varro: Suisq; supendit laribus marinas molles pilas, reticula & strophia. Capitur etiam pro quodam instrumento, quo antiquitus panes ferebantur. Iuuen. Sat. 12. Mox cũ reticulis & pane, & ventre lagenæ.

Rhiza, vestimentum fuit Thracium.

Strophium dicitur fascia pectoralis ad deuincendas puellarum mammas. Nonius ait, Strophium breuem esse fasciã, quæ virginearum papillarum coercet errorem. Martialis Fasciam vocat pectoralem, vbi ait: Fascia crescentes dominæ compesce papillas, Vt si quod capiat nostra tegatq; manus. De Strophio Catullus: Non tereti strophio lactantes vincta papillas. Capitur etiam Strophium pro religiosa, quadam corona, qua vtebantur antiqui sarcerdotes. Plinius: Tenuioribus coronis vtebantur antiqui, strophia appellãtes, Diminutiuum est Strophiolum. auctor hymni (qui in honorem diui Ioannis Baptistæ canitur) posuit strophia pro villoso corporis tegumento, vbi ait: Præbuit hirtum tegimen Camelus Artubus sacris, Strophium bidentes.

Sagum erat militare vestimentum, quod teste Cicerone, sumi solebat in bello, & quando in sagis tota ciuitas erat. consulares viri solebant esse togati. Martialis libro 1. Ibis ab excusso missus in astra sago. Plinius lib. 27. Sacerdos cauda veste cultus arborem scandit, Falce aurea demetit: Cui dido id excipitur Sago: Iuuent. Sat. 6. An saga vendenti nuba caupone relicto. Sagati dicuntur sago induti Sagarij dicuntur venditores sagorum.

Sagulum diminutiuum est à sago. Virg. lib. 8. Aen. Virgatis lucent sagulis, tum lactea colla Auro innectuntur.

Hinc etiam Sagulati sagulo induti. Suet. in Vitellio: Vrbẽ quoq; ad classicum introiit paludatus, ferroq; succinctus inter signa atque vexilla sagulatis militibus.

Semitogium vocatur breuis & dimidia toga. vnde Semitogati dicuntur.

Stragulum vestis est, qua lecti sternuntur, colorum & figurarum multitudine variegata. Tibullus lib. 1. Nam ne quæ tunc pluuiæ, nec stragula picta soporem, Nec sonitus placidæ ducere posset aquæ. Martialis: Stragula purpureis lucent villosa tapetis. Idem tamen accepit Stragulum pro ephippio, vbi ait: Stragula succincti venator sume veredi. Varro: Quidquid insternebant, à sternendo stragulum appellabant. Hier. posuit pro veste muliebri: Stragulatam (inquit) vestem fecit, Byssus & purpura indumentum eius.

Strigium, vestis erat Hispanica. Plautus: Nudus est, Iurat se strigium oppigneraſſe.

Subucula veestis erat interior, q̃ sub alia induebatur. Varro: Postquãm binas tunicas habere cœperunt, instituerũt vocare subuculam. Horatius lib. 1. Epist. -rides, si fortem subucula pexę Trita subest tunicæ, vel si toga dissidet impar.

Sudarium dicitur linteum ad detergendum corporis sudorem, & purgandas nares. Suet. in Nerone: Neque quidquam serio iocoue egerit, nisi astante Phonasco, qui moneret, parceretq; arteriis, ac sudarium ad os applicaret. Ex Setabi Hispaniæ vrbe mittebantur optima lintea, quæ sudaria dicebantur. Catullus: Nam sudaria Setaba ex Iberis Miserunt mihi muneri Fabullus & Verãnius. Diminutiuum est Sudariolum. Apuleius: Quanti sudores innocentibus hoc vno sudariolo afferãtur, possum equidẽ pluribus disputare.

Syrma, vestis erat, quæ in recitandis granioribus poematis trahebatur ab hystrionibus. Mart. lib. 4. Musa nec in fano Syrmate nostra rumet. Ea veste maximè vtebãtur Tragœdi, quod etiam innuit illud distichon Mart. lib. 12. Trã stulit ad tragicos se nostra Thalia cothurnos, Aptasti tragicum tu quoque Syrma tibi.

Supparus, seu supparum dicitur leuis & angusta toga. Festus ait uestimentum esse puellare ex lino. nos Subuculam & Camisiam dicimus. Nonius ait. Supparum esse linteum

femorale vsque ad talos pendens, quod subtus appareat. De supparo Atranius. Puella non sum, supparos ti indutus sum. Lucan lib. 3. -humerisq; hærentia primis Supparа. Seneca pro velis accepit in Medæa: Et alto rubicunda tremūt suppara velo.

Subligariæ vestes erant, quæ coxas vsque ad vmbilicum à genibus contegebant. his vtebantur Mimi in theatro. Mart. lib. 3. Iuuen. Sat. 6. Aliter vocatur Subligaculum, Cic. in offic. Scenicorum quidem mos tantam habet vetere disciplina verecundiam, vt scena sine subligagulo prodeat nemo. Imperitus subligaculum indutus omnibus id ostentat, adagium est in eos, qui propter insolentiam etiam ineptissimis rebus efferuntur.

Syndones, vestes erant candidæ ex lino, quibus magi vtebantur. erant autem subtilissimæ, & tenuissimis filis intextæ. Mar. li. 4. Nec sic in Tyria syndone tutus eris. Syndones verò populi sunt in Mæotidis confinio, teste Pomponio Mela.

Subarmalia, saga erant & chlamydes, quibus arma super induebant. Singuliones, genus erat vestis barbaræ, inquit Baptista Egnatius.

Stola, erat talaris tunica, qua matronæ vtebantur. Tibull. lib. 1. -quamuis nec vitta ligatos Impediat crines, nec stola longa pedes. A stola, pudor dicitur Stolatus, id est, matronæ conueniens, Mart. lib. 1. Et stolatum permittit meretricibus pudorem.

Instita, erat fasciola, quæ partem vnam stolæ ambiebat. Hor. -sunt qui nolunt tetigisse nisi illas, Quarum subsuta talos tegit instita veste.

Synthesis, genus est uestis breuis & negotiis aptæ, qua Romani omnes toga deposita in Saturnalibus vtebantur, consuta erat & composita quadam compositione versicolori, vnde inditum nomen. Mart. De nostra prasina synthesis empta toga. Synthesiatus hac dicitur indutus veste.

Toga, communis erat Rom. vestis, qua vtriusque sexus homines vtebantur. accipitur interdum pro peculiari habitu clientum, & salutatorum, qui togati salutatum ibant, ut sportulam consequerentur. Mart. Mane vel à media nocte

togatus ero. Toga pretexta vestis erat magistratuum. Togatæ fabulæ, quæ scriptæ sunt secundum ritus & habitus Romanorum. earum scenici actores vocantur togatarii. toga pura & virilis dicebatur, quam adolescentes tyrocinii die, posita prætexta puerili, sumebant in Capitolio. De toga Mart. lib. 3. Gallia Romanæ nomine dicta togæ.

A Toga Romani dicuntur Togati. Virg. Romanos rerum dominos, gentemq; togatam.

Tyara, tegumentum erat capitis, Persarum genti peculiare, quo reges & sarcerdotes utebantur. simile propè erat mytræ aut galero. Iuuen. Sat. 6. Et Phrygia vestitur bucca tyara. Hier. ad Fabiolam: Quartum genus est vestimenti rotundum pileolum, quale pictum in Vlyssæo conspicimus, quasi sphæra sit diuisa, & pars vna ponatur in capite: hoc Græci & nostri Tyaram, nonnulli Galerum vocant. Non habet acumen in summo, nec totum vsque ad coma. caput tegit, sed tertiam partem à fronte inopertam relinquit. atq; ita in occipitio vitta constrictus est, vt non facilè labatur ex capite. Est autem Byssinum & sic fabre operatum linteolo, vt nulla acus vestigia forinsecus pateant. Ouid. lib. 11. Tépora purpureis tentat velare Tyaris. Reperitur etiam in masculino genere, & frequentissimè. Virg. Sceptrumq;, sacerq; Tyaras.

Tibialia, dicuntur Tibiarum indumenta, atque etiam arma, quibus crura muniuntur. Suet. in Augusto: Subucula & thorace laneo, & feminalibus, & tibialibus muniebatur. Paulus Iurisc. Si tibiale, vel humerale miles alienauit, castigari verberibus debet.

Tunica, vestis erat breuior, & sine manicis, qua vtebantur uiri. Manicata decebat feminas, vt arguit illud Virg. Et tunicæ manicas, & habent redimicula Mytræ. Plautus: Mauleatam tunicam habere hominem decet. Gellius libro. 7. Tunicis (inquit) uti virum prolixis vltra brachia, & vsque in primores manus, ac proprè in digitos Romę, atque omnibus in Latio indecorum fuit: propterea Pub. Afric. Paulli filius P. Gallo, homini delicato probro dedit, quòd tunicis vteretur manus totas operientibus. Diminutiuum est Tunicula. Gell. lib. 1. Elegans illa vestis & molles tunicułæ

ab æmulis aduersariisq; probro datum. Tunicati dicuntur tunica induti. Horat. lib. 1. Epist. Vilia vendentem tunicato scruta popello. Tranquillus in Augusto: Vt stare interdum per totum diem iuberet ante prætorium tunicatos.

Tunica talaris est, quam Græci vocant Poderim. Idem Suet. Cum palla, tunicaque talari prosiluit.

Tyrianthinæ, uestes erant purpureæ, sumpto nomine à Tyriis, qui vsu purpuræ claruerunt. Mart. Vrbica Lingonicus, Tyrianthina bardocucullus.

Tapetum, seu Tapes, vocatur tegmen diuersis coloribus & figuris uariegatum, quo præcipuè aulæ & cubicula diuitum ornari solent. aliter uocatur Aulæum, peristroma, peripetasma. Virg. 7. Instratos ostro alipedes, pictisque tapetis.

Trabea, uestis erat togata purpura circunducta sub tegmine puniceo, quam aureæ fibulæ annectebant. Virg. Ipse quirinali lituo, paruaq; sedebat Succinctus trabea. Ouid. 1. Fast. Hoc igitur vidit trabeati cura Quirini. Trabeatus dicitur trabea indutus.

Ventrale, uentris tegumentum, ut femorale femoris, brachiale brachii, humerale humerorum, tibiale tibiarum Plinius: Patris mei memoria cepere Amphimala nostra, cut uillosa, etiam uentralia.

Vensica, tegumentum erat & mitella capitis subtilissima, qua Germanorum crines contegebantur. Mart. lib. 8. Fortior intortos seruas uensica capillos.

Vmbella, itidem erat indumentum capitis, quo radii solis arcebantur. Mart. lib. 11. Vmbellam luscæ Lygde feras dominæ.

Xerapellinæ, uestes erant matronales, dictæ ab Ampelino colore, qui medius est inter coccum & muricem. Merula ait Atrabicas fuisse appellatas. Iuuen. Sat. 6. Et Xerapelinas uestes donauerit ipsi.

Xystis, auctore Celio, dicitur talaris tunica & muliebris, alii Tragicum putant indumentum. Xystus uerò appellatur lata porticus, in qua athletæ hiberno tempore exercebantur. unde & Xystici athletæ dicti sunt. Suet. in Aug. Nec tamen eo minus aut Xysticorum certationes, aut gladiatorias pugnas

pugnas se uerissimè semper exegit.

Porrò acu uestes facere Phryges inuenerunt, ideoque Phrygiones appellati. Aurum intexere in Asia inuenit Attalus rex Pergami: unde nomen Attalicis. Colores diuersos picturæ intexere Babylon celebrauit, & nomen imposuit. Mart. Non ego prætulerim Babylonica picta superbæ Texta, Semiramia quæ uariantur acu. Plurimis liciis texere, quæ Polymita appellant, Alexandria instituit. Scutulis dividere, Gallia. auctor Plin. lib. 8. cap. 48. Vestimentorum omnia aut lanea, uel linea, uel serica, uel bombicina. omnia item aut uirilia, aut puerilia, aut muliebria, aut communia, aut familiaria. Afri, Mauri, Sarraceni, Scythæ gaudent colorum uarietate. Græci crepidati incedebant. Fuerunt & priuatæ quorundam uestes. Adam & Eua priusquam peccassent, degebant nudi: post peccatum texere foliis uerenda, crudis pellibus humeros amicti. Ioannes Zachariæ filius in heremo utebatur ueste camelorum seris contexta, scorteaq; cingebat zona. Vnica fuit CHRISTO uestis inconsutilis, quæ nullo vsu detrita est. Palliũ Barptolemæi per annos x x. neque sordes vllas, neque vetustatem sensit. Iacobus apostolus, qui e corporis similitudine frater CHRISTI dictus est, lineo utebatur amiculo. idem intonsus uixit, nunquam cinctus, nunquam balneo usus. Paulus primus heremita uestem habuit palmaceis cõtextam foliis. Mortui exuuias induit Antonius abbas dietam, & adeò deformarunt, ut à Panutio in solitudine repertus, fera primo aspectu sit creditus, non homo. Onuphrius heremita consumpta ueste nudus egit, foliis verenda tegentibus. Franciscus Assisias crassi panni tunicam induit, quam funiculo compressit: nudis pedibus ligneos subiecit socculos. Maria Ægyptia consumptis uestibus nuda egit in heremo. Herculem Nemæi leonis exuuio indutum Græcia fabulata est. Diogenes vnico pallio uixit contentus. Porcius Cato nunquam toga vsus est, pluris, quàm centum drachmis empta. Pythagoras alba utebatur ueste, & coronam gestabat auream. Empedocles Agrigentinus utebatur ueste purpurea, æreisq; calceamentis. Hippias & Gorgias

purpureis. Porphyrius à purpura nomen sumpsit, quum Maichus diceretur. Fuit Aristoteles uictu uestituq; delicioso, & ob id Platoni aliquantulum infensus. Cethegi exertonudoq; erant brachio. Cæsar laxiore tunica. Augustus hiberno tempore thorace laneo, tibialibus & quaternis tunicis. Mecœnas mollioribus uestibus: unde & Malacinus ab Augusto cognominatus est. Demosthenem Gellius scribit fuisse cultu corporis nitido, & nimis accurato. Hortensium quoque multa cum munditia, & circumspectè fuisse indutum.

De coloribus uestimentorum nunc aliquid adiiciamus. Cymatilem colorem dixerunt marinum & cæruleum. Glaucus pro uiridi ponitur, habetq; uirori commistum alborem. hinc glauci oculi, glaucæ salices & oliuæ. Impluuiatus color, quasi fumato stillicidio. Crocinus & croceus à croco. hinc croceata uestis. Cerinus à ceræ colore. Ferrugineus, à ferro. Ostrinus, subruber. Murex fuit purpureus. Amethracinus niger. Anthrax Græcè dicitur carbo. Amethystho ut uiola prope purpureum ponit Plinius. Molochinum dixerunt colorem similem maluæ. Luteum croceum à luto herba.

VESTES GENTIVM propriæ.

PAllium Gabinium: Casiaca Græcorum: Toga & prætexta Romanorum: Mastruga Sardorum: Braccæ, bardocucullus, Gallorum: Germanorum Rhenones: Aulæa Britannorum: Strigium Hispanorum: Arsineum, tyara, candis, capyris Persarum: Chorteus Massilienssium: Myconton Armeniorum: Dalmatica Dalmatarum: Peplum Troadum: Caunaces Babyloniorum.

VESTES QVÆDAM memorabiles.

ANtisthenes Sybarita uestem elaborauit. in qua mariæ deorum effigies erant depictæ. hæc quotannis in Liciniæ Iunonis templo suspendi miraculi causa solebat. Athenienses magno pretio eandem sibi comparunt.

Lollia Paullina tunicam habuit ex margaritis æstimatam quadringentis sestertiis. Plin. cap. 35. & 48. lib. 3. & 9.

Tarquinius Priscus aurea triumphauit tunica, testis Verrius apud Plinium.

Habuit Nero triclinaria Babylonica c c c c. millibus empta. Syloson, uestem habuit, quam quum Dario Hystaspis filio dono dedisset, totam ab eo & urbem, & insulam Samiorum in hostimentum muneris accepit. Valerius Maximus de Gratitudine. Saxo Grammaticus scribit Frontoni cuidam uestem fuisse, qua circumamictus nullo telorum acumine lædi poterat.

CALCEAMENTORVM GENERA.

CAlopodium genus est calceamenti lignei, alio nomine dicitur Soccus.

Sandalium, genus est calceamenti Etruscis peculiare, ut docet Iul. Pollux. Legimus in lib. Iudith, quemadmodum illa induit sandalia in pedibus suis, assumpsitq; dextrariola & inaures. De Sandalio, Terentius, Comminuam tibi Sandalio caput. Apollo Sandaliarius dictus est, a uico eiusdem nominis, ubi Athenis colebatur. & Sandaliarii etiam dicuntur calceolarii.

Peronem, Seruius ait esse rusticum calceamentum è crudo corio. Virg. lib. 7. crudus tegit altera Pero. Iuuen. Satyr. 14. Nil uetitum fecisse volet, quem non pudet alto Per glaciem perone tegi. Peronatus dicitur perone indutus.

Socci, dicuntur calceamenta comœdorum, ut Tragœdorum cothurni. Actores enim comœdiarum proscenium intrabant cum soccis, ut hi cothurnis. hinc soccus plerunq; capitur pro versu comico. Horat. in Arte: Hunc socci cedere pedem, grandesq; cothurni. Diminutiuum est Soccullus. Idem Suet. in Vitellio: Pro maximo munere à Messalina petiit, ut sibi pedes præberet excalceandos, detractumq; soccum dextrum inter togam tunicasq; gestauit assiduè, nonnunquam osculabundus.

Cothurnus, aptus est utriq; pedi, fiebatq; in modum crepidarum. hinc adagium natum: Cothurno uersatilior,

in homines inconstantes. Congruebat hoc calceamentum viris pariter & mulieribus. Virg. Purpureoq; altè suras vincire cothurno. Quòd interim pro tragico versu accipiatur varia docent exempla. Statius lib. 5. Sil. Terrifico super intonuere cothurno.

Carpatinæ, calceamentum erat rusticum, quod fiebat ex recentibus coriis bubulis: sic appellatum à Caribus, vt scribit Iul. Pollux li. 9. ad Commodum Cæsarem. Aristoteles in 2. de animalium historia scribit, camelos calceari carpatinis, ne in exercitu longiore fatiscant itinere. Cacull. Cullos & crepidas lingere Carpatinas. Sunt qui Crepidas carpatinas dicant esse calcamenta stercorata.

Hopistocrepides, genus est calceamenti feminei.

Hypodesis, seu hypodema, calceum latinè significat.

Mullei, primùm fuerunt calcei regum Albanorum, purpurei coloris, qui postea patriciorum. Vopiscus, calceos mulleos, & hederaceos, & albos viris omnibus abstulit, mulieribus reliquit.

Sculponeæ, calcei sunt ex lana confecti. Plautus: Qui quæso potius quàm Sculponeis, quibus batuatur tibi os. Nævius: Sculponeis batuêda sunt latera. Cato scribit Sculponeas bonas alternis annis dari oportere familiæ rusticæ.

Tentipellium, calceamentum est ferratum, quo extenduntur pelles.

Solea, calceamentum est, quo calces plantarum obtegun tur, ceteris pedum partibus propè nudis, ipsis tamen pedibus coriaceo vinculo superne vinctis. Plautus: Date iam soleas, atque intrò me actutum ducite. Fiunt etiam ex ferro, quæ pedibus equorum & mulorum subiiciuntur. Solea interdum pro calceo ponitur. Propertius: Prosilit in lata nixa pedem solea. Soleati soleis induti.

Crepida, Græcanicum fuit calceamentum coriaceis superinctum ligulis. Persius: Non hic qui in crepidis Graiorum ludere gestit. Gellius lib. 13. cap. 20. ait Crepidas & Crepidulas esse, quas Romani soleas vocant. Cicero apud eundem Gallicas vocat, dicens: Cum Gallicis & lacerna cucurristi. Eius item sutores Crepidarios dixerunt. Sempronius Asellio lib. 14. rerum gestarum: Crepidarium, iaquit, culcellum à crepidario sutore.

Crupezia, auctore Cælio, tibicinum sunt calceamenta.

Nymphides, calceamenta sunt mulierbria & sponsalia.

Harpides calceamenta sunt multiplici sutura: similes sunt crepidis.

Carpicum, seu Carpisculum, genus est calceamenti, auctore Flauio Vopisco, qui ait Aurelianum absentem à senatu vocatum fuisse Carpicum. Hodie quoque Italia Scarpos vulgo crepidas vocant.

Phecasii dicebantur veterum sacerdotum calcei.

Græcanici calcei ex Polluce sunt Basilides, quibus utebantur Athenis. Crepides gestamen militare. Embades sumptuosum calceamentum. Crotopezium ligneum calceamentum, dictum à sonitu. Sunt item Schistæ, singæ, compedes, asireæ, embacles, vtrique sexui communes. Hypocesma virile calceamentum, Proschema senile, Peribates ancillarum, Ploearia & Acontia mererricum, Radia varium & circunuolutum erat, Baucides sumptuorum. rursus crocotides, aphracta, opitocrepides, amphisphyra, acrosphyra, canobia, gynepodia, nyclipedeces, mesoperficæ, phytracides, seleucides, nissides, ambracides, muliebria fuerunt. Vtrique sexui communia, phares, ledarium, chiton, xystis.

LATRONES, ET SACRILEGI.

PRometheus Deucalionis pater & Iapeti filius post factos homines, auxilio Mineruæ ascendit in cælum, & ignem ferula de rota Solis surripuit, quem hominibus indicauit. quapropter irati Dij febres & morbos terris immiserunt. Prometheum autem per Mercurium Caucaso alligauerunt adhibita aquila, quæ eius cor exederet. Virg. in Bucc. Caucaseasq; refert volucres, furtumq; Promethei.

Scyron latro fuit prope Athenas, qui hospites è saxo præcipitabat in mare. hunc interfecit Theseus & in mare deiecit, vbi eiusdem ossa mutata sunt in saxa, quæ propterea vocantur Scyronia.

Cacus Vulcani filius, boues & armenta suffurabatur in Auentino monte, quæ uersis vestigiis cauda trahebat in suâ

Universidad de Deusto Biblioteca

speluncam, ut furtum non agnoscereturhunc Hercules dedit morti. Propert. lib. 4. Sed non infido manserunt hospite Caco Incolumes, furto polluit ille locum, &c.

Auctolius Mercurij & Lychiones filius, euasit clarissimus latro, imitatus patrem.

Procustes, latro fuit insignis in Attica, qui hospites interimebat. tandem & ipse interfectus ab Hercule. Ouid. libro 7. Vidit & immitem Cephesias ora Procustem.

Scinis, latro fuit in Isthmo Corinthiaco, qui homines arboribus alligatos discerpebat in fruſtra. Hunc Theseus interemit.

Brennus, dux Senonum, cupiditate prædæ inflammatus, Apollinis Delphici templum inuasit. Propert. lib. 3. Torrida sacrilegum testantur limina Brennum, Dum petit intonsi Pythia regna dei.

Martialis lib. 6. Epigrammatum arguit furti Cilicem quédam his uerbis: Fur notæ nimium rapacitatis Compilare Cilix volebat hortum.

Autolycus, Mercurii fuit filius, q̃ proxima Parnaso loca furtis infestauit. Mart. li. 8. Nó fuit Autolyci tã piceata manus.

Martialis libro 12. incessit Hermogenem & Massã fures. hunc nummorum, illum mapparum: vbi ait:

Hermogenes tantus mapparum Pontice fur est,
Quantus nummorum vix puto Massa fuit, &c.

Spartacus fuit latro quispiam, & gladiatorum princeps, qui collecta fugitiuorũ & perditorum hominum manu, bellum Romanis intulit. hunc vicit P. Crassius. Lucan. lib. 2. Vt simili causa caderes, qua Spartacus hostis.

Tyttigias, latro fuit, & plagiarius in Arcadia, qui res alienas (quas furto abstulerat) vendebat, eoq; quæstu diues factus est. Zenodotus apud Erasmum.

Cercyon Atticam regionem latrociniis infestauit. Ouid. Cercyonis letum vidit Cerealis Eleusis.

Capiton latro quum aliquandiu latrociniis vacasset, pertæsus vitæ illius, transiuit ad heremum, vbi annis quinquaginta durauit in quodam antro.

Sisyphus, Aeoli filius, latro fuit in Isthmo, quem Theseus occidit.

Stamatus homo Cretensis, sancti Marci thesaurũ Venetiis exspilauit. auctor Volaterranus.

Dauid, latro fuit apud Hermopolim, qui cum aliis triginta prædonibus quæstum solo parabat furto. tandem meliore ductus spiritu, inclusit se monasterio, vbi ad mortem vsque sanctissimè vixit.

Dismas fuit latro, qui ad CHRISTI dexteram in cruce pependit, & scelerum veniam impetrauit.

Tortellius ait Marclykã fuisse latronẽ in silua Dodonæa.

Antiquitus Argiui furacitatis infamia laborarunt: unde adagium, Argiui fures.

Pamphilus veteris Comœdiæ conuiciis notatus, est quòd ærarium expilasset.

Poetæ faciunt Mercurium furem, atq; etiam Deum furum. Lactantius: Fur ac nebulo Mercurius, quid ad famam sui reliquit, nisi memoriam fraudum suarum. Mantuanus: Thetidosq; cubile Peleus incestat, rector Neptunus aquarũ Phorcida, Deucalidẽ fraudis, furũq; magister Mercurius.

Bargulus, nomen est latronis apud Ciceronem lib. 2. de Offic. qui propter æquabilem prædæ partitionem magnas opes assecutus est.

Fuit & Viriatus Lusitanus latro, cuius ferocitatem Lælius prætor fregit & comminuit.

Voranus, fuit Q. Lutatij Catuli furacissimus libertus, quem nummularius nummos de mensa subtrahentem, & in calceos infarcientem deprehendit. Cælius lib. 10. cap. 49.

L. Tubullus, fuit homo admodum flagitiosus, & rapinator egregius, qui quòd multis sacrilegiis & peculatibus vitam infamasset, multamque pecuniam malo cepisset dolo, Lucilij satyris notatus est. Asconius Pedianus ait uirum fuisse prætorium ætate patrum Ciceronis, qui propter multa flagitia de exsilio accersitus, ne in carcere necaretur, venenum hauserit.

Eurybatus latro fuit astutia singulari, quem deprehensum quum custodes vellent cogere, vt ostenderet quibus nam modis consuesset domos conscendere: ille aptatis spongiis, & stimulis, ferreisq; retinaculis irrepsit in parietem, & spectantibus illis, artificiiq; nouitatem mirantibus, prehenso

laqueari per tegulas effugit, eoq; modo periculum euasit. hinc Eurybatiſſare verbum, id eſt malis moribus vti.

Attabas, & Numenius latrones fuerunt famoſiſſimi, qui ſequenti adagio locum fecerunt: Conuenerunt Attabas & Numenius. quoties improbus aggregatur cum improbo. Diogenianus apud Eraſmum.

Ammianus Marcellinus ſcribit Arſacem Parthorum regem inter adoleſcentiæ rudimẽta doctorem fuiſſe latronis, verum mutato poſtea in melius propoſito, multa glorioſe & fortiter egiſſe, ſuperato etiam Nicanore Seleuco Alexandri ſucceſſore.

Amaſis, Herodoto teſte, quum pecunia voluptati non ſufficeret, ſolebat circumeundo furari. & quum repoſcerentur ab his, quos expilauerat, eoſdem ad oraculum ſiſtebat, à quo tamen ſæpe conuictus eſt, & frequenter abſolutus. neque tamen deorum templa habuit curæ, qui furtis eius pepercerant.

Baliſta ludimagiſter quiſpiam ob infamiam latrocinioru lapidibus coopertus eſt, in quem Virg. hoc diſticho luſit:

Monte ſub hoc lapidum tegitur Baliſta ſepultus, Nocte die
que tuum carpe viator iter.

Barrabam fuiſſe latronem docent ſacroſancta Euangeliſtarum verba.

Tetrinius, teſte Suetonio, fuit latro, qui quum poſtularetur, & qui poſtularent Tetrinios eſſe ait Caligula imperator, hoc eſt ipſos accuſatores latrones eſſe, & tales, qualis dicebatur Tetrinius.

Expilauit Nero prouincias, ſpoliatis etiam in vrbe templis, quòd triumphis & religioni vniuerſus populus R. in metu ſacrauerat. per Aſiam & Achaiam non dona tantùm, ſed ipſa etiam numinum ſimulacra quantuliſcunque ornata diuitiis abripuit. Corn. Tacitus.

Dionyſius Siciliæ tyrannus fana deorum expilauit, eoſdẽ iocularibus verbis irridens. nã (vt eſt apud Valerium) quũ ſano Proſerpinæ Locris ſpoliato, ſecundo vento veheret, ridens amicis uidetis ne, inquit, quàm bona nauigatio ab ipſis diis immortalibus ſacrilegis tribuatur? Valer. Max. de religione.

C. Verres Siciliam compilauit, ſublatis deorum ſimulacris, ornamentisq; fanorum. eum propterea Cicero comparauit Dionyſio. Lactantius lib. 2.

Pyrrhus è theſauro Proſerpinæ Locrenſis pecuniam ſuſtulit. vlciſcente demum numine, ſaxis illiſus in mari naufragium fecit. Idem Lactantius eod. lib.

Fuit etiam Harpalus inſignis & felix prædo, qui auctore Tullio lib. 3. de Natura deorum diis illudebat, quòd in illa fortuna tandiu viueret.

Sambicus latro templũ Dianæ expilauit in Elide. quod flagitium quum fateri nollet, annum perpetuum exquiſitiſſimis cruciatibus ad mortem vſque tortus eſt. hinc adagium Sambico grauiora pati.

Leo imper. filius Conſtantini Capronymi coronam Mauricio principe deo dicatam nefario capiti impoſuit, captus gemmarum & auri ſplendore. Bap. Egnatius.

Fuluius Flaccus cenſor tectum marmoreum Iunonis Laciniæ ſpoliauit, vt ædem, quam dedicauerat Equeſtri Fortunæ, tegeret. Liuius lib. 42.

PYRATÆ.

Pyratæ dicũtur prædones marini, qui nauigia cum mercibus inuolant, eoq; furto quæſtum faciunt. in his Baſilus à Lucano ponitur, vbi ait, Et Baſilum videre ducem noua furta per æquor.

Sextus Pompeius, Pompeii Magni filius, pyraticam itidem exercuit. idem Lucanus: Sextus erat magno proles indigna parentæ, Qui mox Scyllæis exſul graſſatus in undis, Polluit æquoreos Siculus pyrata triumphos.

Cerpalum Tortellius inter pyratas numerat.

Icarion quoque nomen fuit ſæuiſſimi pyratæ.

Mnas quoque fuit pyrata, qui ſub Sexto Pompeio oras Italiæ & omne circum pelagus prædatoria claſſe infeſtabat. Saxo Grammat. Rothonem quendam inter pyratas numerat: Ea tempeſtate (inquit) Rotho Rutenorum pyrata patriam noſtram rapinæ & crudelitatis iniuriis profligabat. Eodem Teſte Thorias & Bero pyraticum munus exercuerunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

genera.

CYprianus apud Cælium prodit Vngulam fuisse tormenti genus, aitq; Ascias & Runcinas inter seuitiæ tormenta periri.

Rota tormentum est Germanis peculiare. Aristophanes apud Cælium: Rota torquere te illic necesse est, vt exculpatur, quòdperperam feciſti. Erat autem seruile supplicium. Rotæ inserebantur noxii, & membratim radiis rotarum eó usq; lenta morte perimebantur.

Centra stimuli erant, quæ admouebantur reis.

Scalæ Gemoniæ, seu Gemonii gradus, lacus erat eminens, qui gradibus quibusdam conscendebatur. eò trahebantur damnatorum corpora. legimus enim M. Claudio (quòd fœdam cum Corsis pacem feciſſet) adéptam libertatem, mox & spiritum extinctum: corpus demum contumelia carceris & detestanda gemoniarum scalarum nota fœdatum. Dicuntur autem Gemoniæ à loco gemitus & calamitatum. Suetonius in Cæſ. Tiberio: Imputauit etiam, quòd non laqueo strangulatum abiecerit in gemonias.

Suspendium, est supplicij genus, quo ducti ad furcas maleſici faucibus laqueo constrictis infelicem reddunt spiritum, quæ mors maximè erat probrosa. nam in pontificalibus libris cautum fuerat, vt tales insepulti abiicerentur. vnde & Virgilius de Amata Lauiniæ matre sic ait: Et nodum infortunis leti trabe nectit ab alta. Plerique mortem hanc præposteram vocant. ea hodie apud nos puniuntur latrones & homicidæ.

Vncus, etiam nomen est tormenti: nam infames multisq; flagitiis adobruti, post mortem vnco trahebantur in sentinas, & sordium receptacula. Mortuo Commodo imperatore, senatus hunc in modum acclamauit: Qui senatū occidit, vnco trahatur: Qui omnes occidit, vnco trahatur: Qui templa spoliauit, vnco trahatur. Hoc & alia instrumenta carnificinæ quum ostentaret carnifex, ferunt Neronem ad voluntariam mortem coactum. Suetonius de Vitellio scribens ait: Tandem apud gemonias minutissimis ictibus excarnificatus, & confectus est, & inde vnco tractus in

Fustuarium, dicitur castigatio fustium, virgarumq; supplicium. T. Liuius: Fustuarium meretur, qui signa relinquit, aut præsidio decedit. Antiquitus in militari disciplina duo fuerunt suppliciorum genera, Fustuarium, & Decimario. Eum, qui virgis cædit, Plautus Virgatorem vocat. Liberum erat, cædi fustibus; virgis, seruile. Erat & Crates supplicium apud priores, quo quis deiectus in aquam, crate supernè iniecta, sagis congestis obruebatur.

Pausanias Anchoram ferream eorum ceruicibus adalligabat, quos crudelius vellet castigare, eaque affectos ignominia vniuerso populo videndos exponebat.

Neruus ferreum erat vinculum, quo impediebantur pedes. eo etiam ligabantur ceruices. hinc Cato apud Gellium festiuè dicit, priuatos fures in neruo & compedibus vitam agere, publicos in auro & purpura visi.

Icrion erat instrumentum, quo martyres cruciabantur.

Paratilmos supplicium erat, quo pauperes in adulterio deprehensi puniebantur. ditiores enim pecunia se redimebant, vt constat ex verbis Ciceronis, qui scribit, Sallustiū venalem exposuisse domum paternam, vt se adulterii crimine purgaret.

Aporaphanidosis supplicium erat, quo Raphani in pudendas reorum partes impingebantur.

Cyphon ligneum erat vinculum aut ferreum, quo maleficorum colla inuoluebantur. Cynophismus ipsum est supplicium, hoc adhuc nostra ætate visitur.

Archiuus, seu Archiuum, locus est, ad quem damnati ducebantur, in quo qui legum placita risui habuisset, diebus viginti vinctus Cyphone perseuerabat nudus, melle & lacte delibutus, quò molestæ essent illi apes & muscæ.

Draco vnicuique, & quantulocunque furto extremum supplicium, id est mortem irrogauit.

Colasis genus erat pœnæ, quæ adhibebatur causa castigandi, aut emendandi.

Colus, masculini generis, tormentum erat carnificinæ sæueritatis, quo rei flagellabantur. ipsum erat Coriaceum, auctore Festo.

Crurifragium supplicium erat, quo crura malefícis mitilabantur, & infringebantur. Apul. lib. 9. Tunc vxor egregia diras in eum deuotiones deprecata, & crurifragium eius abominata exangui formidine trepidantem adulterum abscondit. Eodem modo Plautus Lumbifragium vocat Lumborum fracturam in Amph. dicens: Nam si me irritassis, hodie Lumbifragium hinc auferes à me.

Damnari ad metalla, supplicium fuit apud antiquos, quo vincti sontes in opus metalli trahebantur, seu in metallicas mittebantur fodinas. In Calcariam quoque & Sulphurariã damnabantur aliqui. nam iurisconsulti inter pœnas metalli nominant Sulphurariam & Calcariam: hoc est, fodinas calcis & sulphuris. Item Lathomiam, vbi cæduntur lapides. Plautus: Tyndarus in Lathomias lapidarias ab Egione damnatur. Fuit & Lathomiæ locus carceris Romæ, & Syracusis carcer. De Metallorum pœna Tranquillus in Caligula: Multos honesti ordinis deformatos prius stigmatũ notis ad metalla & munitiones viarum aut ad bestias condemnauit, aut bestiarum more quadrupedes cauea coercuit, aut medios ferro dissecuit. Plinius in Epist. Erat fustibus cæsus, damnatus ad metallum, strangulatus in carcere.

Culeus, saccus erat, in quo simia, serpens, canis & gallus gallinaceus cum paricida includebantur, ac demum præcipitabãtur in aquas. Iuu. Sat. 8. de Nerone: Cuius supplicio non debuit vna parari Simia, non serpens vnus. Valerius scribit M. Tullium duumuirum culeo insitum in mare abiici iussum esse à Tarquinio rege, ob librum secreta sacrorum continentem, quem exscribendum dederat.

Stigma dicitur nota, quæ inuritur fronti reorum, perpetuum probri monumentum. Martialis, Frons hæc stigmate non meo notanda est. Iuuenalis Sat. 10. Mitius id sanè, quod nó & stigmate dignum Credidit. Quinctianus in Cleopoli: -nota nulla dolosi Criminis, hanc presso signabit stigmate frontem. Suetonius de Augusto: Valerium Catullũ (à quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulauerat) satisfacientem eadem die adhibuit cenæ. Vbi stigma metaphoricè posuit pro infamia & sugillatione. A stigma fit stigmaticus, idest publica notatus infamiã. Cic. O' miserum, qui fideliorem & barbarum & stigmaticum putaret, quàm coniugem. Plin. scribit columbino fimo deleri stigmata.

Ad bestias damnari etiam supplicium erat apud antiquos, quo rei cum bestiis, ferisq; agrestibus & ieiunis depugnabant. propterea apud Gellium legimus, Androdum à domino datum ab bestias. Bestiarii erant, qui bestiis obiiciebantur, aut in eas decertabant. Tertullianus: Iupiter est Romæ, quem ludis suis proluunt sanguine bestiariorum.

Gyaros est insula in mari Aegæo, quò mittebantur noxij. Iuuenalis Sat. 1. Aude aliquid breuibus Gyaris & carcere dignum, Si vis esse aliquid.

Exsilium, seu mutatio patriæ, numeratur inter pœnas reorum. exsules aliter dicuntur relegati & deportati. differunt tamen: relegatis enim licebat vti bonis propriis in exsilio; deportati verò nihil possidebant ex suis bonis.

EXSVLES NONNVLLI.

MÆmilius Lepidus quum vellet exsules in vrbẽ reuocare, ipse vrbe detrusus est. reuersus demum ad obsidionem vrbis, à Catulo consule & Pompeio pulsus, & hostis patriæ iudicatus, exsulauit in Sardinia, vbi dolore animi periit.

L. Apuleius Saturninus tribunus pl. quum propter Agrariam legem (quam per vim tulerat) aliasque item factiones videret se odiosum plerisq; summatibus, Rhodum profectus est in voluntarium exsilium. Liuius lib. 69.

Aristides Athenienſis post multa in remp. beneficia, tandem sua virtute incidit in odium malorum, quorum inuidia pulsus est in exsilium: vbi tamen deos precatus est, vt omnia Athenienſibus pro uoto & animi sententia benè succederent.

Boetius, imperante Zenone, exsilio damnatus est à Theodorico rege, ob affectatæ libertatis suspicionem.

Clisthenes Athenienſis, qui primus legem tulerat de exsilio, primus exsulauit.

Conon dux Athenienſis impatiens cladis, quam à Lysandro Lacedæmonio in conflictu nauali acceperat, spontaneũ

delegit exsilium, fugitq; ad Artaxerxem regem Persarum in Cyprum, cuius auxilio libertati patriam asseruit, cui prius seruitutem attulerat.

Demarathus Lacedæmonius, quum apud Athenienses exsularet, non potuit tamen furtim non monere patriam bellici apparatus, qui Athenis fiebat.

Dion Syracusanus quum plerunque monuisset Dionysium iuniorem, (apud quem in summa dignatione & familiarita te viuebat) vt patriæ libertatem restitueret, factus ei suspectus & in exsilium pulsus est. vbi tamen ad liberandas Syracusas animum semper adiecit. nam facto Apollini sacrificio, habitaq; ad milites concione contra tyrannum copias mouit, quem facta deditione coegit exsilium capere, quod prius aliis dabat. hinc Adagium natum: Dionysius Corinthi. de his, qui à prospera fortuna ad humilem redacti sunt.

Athenienses Demosthenem in exsilium miserunt, quòd pecunia fuisset corruptus ab Harpalo, qui fugerat ab Alexandro, & Athenas se receperat.

Egesistratus Ephesius ob tribulis sui necem exsulauit.

Eustathius Pamphilius, præsul Antiochenus, sub Constantino principe in exsilium pulsus est Traianopolim Thraciæ ciuitatem, quòd Arrianorum placita refelliisset.

Eusebius Vercellensis præsul ob religionem & doctrinam à Constantino principe missus est Cappadociam in exsilium.

Hilarius præsul Pictauiensis, qui scripsit in Arrianos, relegatus est in Phrygiam.

Ioannes Gotthus præsul Gerundensis, quum sub Phoca principe Arrianam sectam oppressisset, ab hæreticis relegatus est.

Hyppias dux Athenienſis pulsus in exsilium, Darium in patriam commouit. Iustinus lib. 2.

Liuius Salinator quum de Illyriis triumphasset, inuidiæ sibi gloria comparauit. iudicatus enim reus peculatus, in voluntarium exsilium profectus est, postea tamen reuocatus Hannibale Italiam opprimente.

Lucifer præsul Caralitanus à Liberio pōt. ad imperatorē Constantinum missus, ab eodem relegatus est Palæstinam.

Decius Magius quum Hannibali Capuam intranti solus assurgere nollet, ab eodem relegatus est. quum autem in exsilium traheretur, aperto capite vociferans, Habetis, inquit, libertatem Campani, quam petiistis. semper enim patriæ deditionem dissuaserat. Liuius lib. 23.

M. Marcellus, Pompeianarum partium vbi uidit Cæsarem victorem, Athenas profugit in exsilium. vnde procon sul Africæ, Domiciani tempore damnatus repetundarum, quòd Africam diceretur expilasse, actus est in exsilium.

Meletius præsul, Arrianæ hæresis sectator, sub Diocletiano pulsus est in exsilium, quòd præter opinionem fidem nostram defendisset, quum tamen Arrianam vellet tutari.

Metellus Numidicus (qui de Iugurtha triumphauit) relegatus est, quòd in legem Apuleiam per vim latam iurare noluisset.

T. Annius Milo Massiliæ exsulauit, quòd cliens fuisset Ciceronis, in causa cædis Clodianæ.

Montanum Vatienum oratorem, patria Narbonensem, Tiberius relegauit ad Baleares.

P. Nigidius Figulus, quem Lucanus astrologiæ peritum fuisse scribit, mortuus est in exsilio, teste Eusebio.

L. Opimius post Cos. Flaccum virum consulare & C. Gracchum tribunitium oppressos, iudicio circunuentus & in exsilium actus est.

Oribasius Sardianus mortuo Iuliano principe, quocum in summa familiaritate vixerat, inuidia succedentium principū & bonis spoliatus est, & in exsilium detrusus: vbi tamen in omni calamitate, constante manſit animo, seq; philosophum verum exhibuit.

Paulus Diaconus Aquileiensis à Carolo Magno relegatus est ad Diomedis insulam, quòd Desiderio Longobardorum regi eiusdem Caroli inimico faueret.

M. Popilium Romani in exsilium egerunt, quòd missus contra Numantinos, rem sua culpa malè gessisset.

Protagoras Abderites, Menandri filius, & auditor Democriti, accusatus ab Athenienſibus, quòd Persarum magiam & religionem didicisset, sponte exsulauit.

Philistum Syracusanum (qui res Siculas libris duodecim

complexus est) Dionysius senior in exsilium pepulit, vbi tamen bonam historiæ partem absoluit.

Tullia, Seruij Tulli filia, acta est in exsilium, quòd super faciem parentis mortui currum traxisset.

Tarquinius Superbus, qui occiso Seruio Tullo regnũ sceleste occupauit, missus est in exsilium cum Tarquinio Collatino filio suo, propter stupratam ab ipso filio Lucretiam.

P. Rutilius cons. Cn. Manlij collega relegatus est à Sylanis. deinde quum reuocaretur, Malo, inquit, ut patria exsilio meo erubescat, quàm reditu mœreat.

Thrasybulus dux Athenienſis relegatus est à triginta tyrannis, Athenas per uim occupantibus: quos demum collecta aliorum exsulum manu, iuuante Lysandro Lacedæmoniorum duce expulit, patriæq; libertatem peperit.

Thucydides Athenienſis missus Amphipolim (quam rex Philippus per uim occupauerat) quum in proditionis suspicionem uenisset, actus est in exsilium, quam tamen fortunam constantissimè tulit.

Cicero ob Clodii inimicitiam actus est in exsilium, quod ægrè adeò tulerunt Romani, ut uiginti hominum millia uestem mutauerint. tandem tamen rediit magno omnium plausu, & uniuersa propè Italia illũ suis humeris reuehẽte.

Hostasius Rauennæ dominus à suis ciuibus relegatus est, quòd in otio & ignauia torpesceret, publicæq; administrationi ineptus uideretur.

Berengarius imp. & Albertus eius filius, ab Othone uicti, & in exsilium pulsi sunt.

Benedictus pont. maximus ab Othone imperatore, relegatus est, suffecto Leone octauo.

Xenophanes annis LXV. exsulauit à patria.

In exsilio supra septem annos uersatus est Ouidius, ubi tamen barbaras gentes adeò sibi demeruit, ut in eius obitu Gethæ ac Tomitani lacrymas cohibere nequiuerint.

Sponte Pythagoras Samon liquit, Athenas Solon, Lycurgus Lacedæmona, Romam Scipio. interrogatus Socrates, cuias esset? Respondit se ciuem mundi.

VIRI

in alienaterra.

SAmos genuit Pythagoram, texit Metapontus.

Ciceronem Arpini ortum, nutritum Romæ, sinus Caietanus uidit exanimem.

Plinium infantem lauit Athesis, grandæuum extinxit Vesuius.

Virgilium dedit Mantua, Brundusium abstulit.

Genuit Ouidium Sulmo, ponticum exsilium suffocauit.

Terentium Carthaginiensem, quem Roma docuerat, Arcadia sepeliuit.

Horatium Apulum, Ennium Calabrum, Statium Narbonensem, Ausonium Burdegalum, duos Senecas & Lucanum Cordubenses, Plautum Arpinatem, Lucilium Aruncum, Pacuuium Brundusinum, Iuuenalem Aquinatem, Propertium Vmbrum, Valerium Antiatem, Catulum Veronensem, Varrum Cremonensem, Gallum Forliuiensem, Actium Pisaurensem, Cassium Parmensem, Claudianum Florentinum, Persium Volaterranum tumulauit Roma.

Alexandrum Pella genuit, Babylon peremit.

Cyrum Persis tulerat, Scythia truncum tulit.

Crassum & Pompeium tulerat Roma, hunc Aegyptus, illum Assyria sustulit.

Catoni principium & nomen dederat Roma, finem & cognomen Vtica.

Cornelios Scipiones Roma genuit, Hispania obruit.

Decii extra patriam ceciderunt, pater cum Latinis pugnans, cum Ethruscis filius.

Æmilium Paullum Cumæ, Claudium Marcellum Venusia, Tiberium Gracchum tumulauit Lucania, omnes natos Romæ.

Drusũ, obiit in Germania, Marcellinus Baionæ, Tarquinius Cumis, Sylla Puteolis exspirarunt. Augustus Cæsar apud Nolam Campaniæ.

Tiberius apud Campaniæ Misenum.

Traianus in occidente natus, in oriente mortuus est.

Septimius Seuerus ortum habuit in Africa, imperium in Italia, tumulum in Britannia.

Theodosiũ ortum in Hispania, Mediolanũ terra operuit. Hannibalem Africæ lumen cepit urna Bithynica.

Theseum, Themistoclem & Solonem Athenienses sepelierunt Syrus, Persis, Cyprus. hæc exempla debes Petrarchæ, lector optime, qui in dialogo de moriente extra patriam hæc affert. faciamus nunc auctarium nostro labore.

Sextum Turpilium Romæ natum abstulit Sinuessa. Hermolaum Barbarum natione Venetum, Romæ pestilentia suffocauit. Qu. Cornificum, Ro. militaris factio foris abstulit. Æmilius Macer Veronensis obiit in Asia. Cn. Norbanus à Sylla uictus, apud Rhodios uoluntariam oppetiit mortem. Nero extra urbem seipsum confodit. Otho apud Bebryacum mortuus est. Labeonem Marsum Romanum tumulauit Macedonia. Magnentium imperatorem uidit Roma, Lugdunum habuit mortuum. Cleomeni Lacedæmonio tumulum præbuit Ægyptus, Demostheni Athenienſis Calabria, Critolao duci Achæorum Thermopylæ.

Themistocles Athenienſis in Perside taurinum hausit sanguinem, eoq; periit. Iugurtham peperit Numidia, mortuũ uidit Roma. nascentem Æneam uidit Simois in Asia, raptũ sorbuit Numicius in Italia. Didoni patria fuit Phœnicia, Carthago tumulus.

Aiacem Oilei rapuit mare, quem Græcia tulerat. Leandrum Abydenum, Aegeum Athenienſem, Aegyptiũ Pharaonem, Menandrum poetam, Palinurum & Misenum non sua, sed piscium extinxit patria. reperirem huiusmodi exempla numero propè infinita, nisi timerem, ne nimia copia saturis plus æquo stomachis nauseam excitaret.

CONTEMPTORES DEORVM.

Glaucus quum sacra Veneris contemneret, illa iratа eius equabus furorem immisit, quibus vtebantur ad currum, eumq; morsu dilacerauerunt.

Aiax Oilei filius Cassandram in templo Mineruę stuprauit: dea facinus vlciscente, fulminatus est in mari, dum eversõ Ilio redire vellet in patriam.

Pub. Clodius Pompeiã Q. Pompeij filiam & Syllæ neptẽ inter publicas Bonæ deæ cæremonias adulterauit.

Lycurgus rex Thracum, contemptor fuit Bacchi: propterea vlciscente numine cruribus suis asciam illisit, dum vellet amputare vites. Propertius lib. 3. Vesanumq; nouanequicquam in uite Lycurgum. Propterea à poetis Bipennifer & Securiger appellatur, quòd securi seipsum offendit. Ouidius lib. 4. Met. Penthea tu venerande, securigerumq; Lycurgum.

Pentheus Echionis & Agaues filius, dum sacra Bacchi despicaretur, à matre, ceterisq; Mænadibus interfectus est. Propertius: Pentheos in triplices funera grata greges.

Herodotus scribit Cleopem Aegypti regem templa omnia obseraſſe, ne populus sacrificaret diis.

Amasis quotiescunque accusabatur furti (erat enim maximus prædo, vt iam diximus) causam deferebat ad deos, velut iniustè accusatus hominum querimonia. conuictus à diis, neque eorum templa curæ habuit, nec illis sacrificauit, tanquam malè de eo mererentur, quòd falsa (ut dicebat) oracula redderent. Herod. lib. 2.

Teutis fuit quispiam princeps, qui ad expeditionem Troianam cum Græcis nauigare volens, dum in Aulidis rupes impegisset, indignatus Palladem vulnerauit hasta. vnde exitiali morbo correptus est.

Non erubuit Pyrrhus, Achillis filius, Priamum senio confectum ad aram Iouis Ercæi interficere. Virg. lib. 2. Aen. -hoc dicens altaria ad ipsa trementem Traxit, & in multo lapsantem sanguine nati Implicuitq; comam læua, dextraq; coruscum Extulit, & lateri capulo tenus abdidit ensem.

Inter contemptores diuum numeratur Mezentius à Virgilio lib. 7. vbi ait: Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris Contemptor diuum Mezentius. Fuit enim impius in homines sine deorum respectu, inquit Macrobius.

Lycaon, rex Arcadiæ, quum Ioui pararet insidias, ab eo dem mutatus est in lupum, vt fabulantur poetæ. vnde Iupiter apud Ouid. lib. 1. Met. sic loquitur: An satis o superi tutos fore creditis illos, &c.

Alcithoe fuit etiam contemptrix Bacchi. Ouid. libro 4. Met. At non Alcithoe Mineias orgia censet, &c.

Erisichthon Thessalus, Cereris (quam aspernabatur) lu-

cum abscidit: vlciscente dea ad tantam redactus est famem, vt sua ipse membra corroserit. Ouid. lib. 8. Met.-pater huius erat, qui numina diuum Sperneret, & nullos aris adoleret honores, &c.

Prœtides filiæ Prœti Argiuorum regis Iunoni se præferentes ab eadem mutatæ feruntur in vaccas. alii fabulantur hoc factum, quòd Venerem spreuissent.

Atalanta & Hippomenes Venereo concubitu templum Cybeles profanarunt. vterque demum leones facti sunt, vlciscente numine. Ouid. lib. 10. Met.

Diomedes, Tidei filius, Venerem in bello Troiano læsisse fertur. Ouid. lib. 1. Elegia. Pessima Titides scelerum monumenta reliquit. Ille deam primus perculit.

Cambyses, rex Persarum, templa & leges ludibrio habuisse fertur. vbi enim potitus est Aegypto, Vulcani templum ingressus, risu & conuiciis insectari cœpit. alia etiam simulacra per summam iocorũ licentiam cauillatus exussit. apertis item conditoriis mortuorum, cadauera introspicere maximæ duxit voluptati.

Capaneum scalarum repertorem (quem poetæ fulminatum fuisse dicunt) deorum contemptorem vocat Statius lib. 1. Theb. vbi ait: Sed enim ipse manu prægressus auorum Fata, diu tuto superum contemptor, & æqui Impatiens.

Iam diximus in capite de Latronibus, & Sacrilegis, Dionysium Syracusanum templa deorum spoliasse, suisq; furtis gratulatum, diis ipsis illusisse.

Xerxes rex Persarum notatur impietatis, quòd Neptuno maris deo compedes, & Soli tenebras minaretur. Strozæ pater: Nec veluti Xerxes, Neptuno vincla minamur, Classibus insolitum quum patefecit iter. Idem Templa in Græcia inflammauit, quòd parietibus includerent deos, quibus omnia deberent esse patentia ac libera, quorum hic mundus omnis templum esset ac domus. Cicero libro 2. de legibus.

Plegyas, rex Lapytharum, & Ixionis pater templum Delphici Apollinis incendit. hinc ad inferos detrusus, ibidem grauissimè punitur. Virg. lib. 6. Aen. Phlegyasq; miserrimus omnes admonet, & magna testatur voce per vmbras, Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos.

Salmoneus, Aeoli filius, Iouis fulmina in aere simulabat, vt Deus in Elide crederetur. Virg. lib. 6. Aen. Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas, Dum flammas Iouis, & sonitus imitatur olympi. Celmis vnus fuit ex Idæis Dactylis, qui matrem deorum Rheam violauit stupro.

Diagoras Melius Athenienſium sacrorum mysteria & cærimonias adeò neglexit, vt permultos auerterit à religione idem arcana mysteria (quæ non licebat profanis inuulgare) omnibus detexit. propterea Athenienses eum in exsilium pepulerunt, talento proposito, si quis hominem compertũ occidisset.

Theopolemus, & Hiero fratres, Apollinis fanum expilarunt. quo facto pœnam iudicii reformidantes domo profugerunt. Cic. in 5. Verrina.

Cyanippe Syracusanus soli Baccho sacra facere neglexit. iratus deus tantam ei ebrietatem immisit, vt repertam in temenebris filiam nefando coitu stuprauerit.

Contemptor eius numinis Armitus ebrius factus est, & Medulinæ filiæ vlciscente deo se commiscuit.

Theron rex citerioris Hispaniæ, furore correptus templum Herculis apud Gades expugnare voluit, & incendio dare. iratus deus fecit, vt eius naues improuiso igne corriperentur. auctor Macrob.

Leo imperator apud Constantinopolim sanctorum imagines depositas incendit: iussitq; Romano pontifici, vt idẽ faceret, si imperialem gratiam sibi promereri vellet.

Tertius post Neronem seuiit in Christianos & religionẽ catholicam Traianus imperator, sub quo Clemens III. pontifex, Symeon Hierosolymitanus episcopus, Ignatius Antiochenus episcopus passi sunt.

Imp. quoque Decius multa Christianorum millia dedit morti. quod etiam fecerunt Valerianus & Galenus filius. vnde pater à principe Turcarum deo volẽte captiuus abductus, in misera seruitute consenuit.

Diocletianus per annos quattuor eadem rabie debacchatus est in orthodoxæ fidei cultores.

Athanarichus seu Athanicus, Gotthorum rex, multos iti

dem Christianos variis tormentorum generibus enecauit. alios detruncauit gladio, quosdam in exsilium pepulit, & ibidem fame & siti languere ad mortem coegit. hinc iusta numinis ira miserum exhalauit spiritum, sanguinis fluxu toto corpore erumpentis.

Euarix rex Gotthorum templorum aditus spinis obsebat & sepiebat, vt introeundi raritas obliuionem religionis induceret. Clericos carceribus includebat. nullum omittebat tormenti genus, in quo feritatem suam non exerceret.

Demonax philosophus Hadriani tempore adduci nunquam potuit, vt ad Eleusina sacra ac ministeria accederet; propterea accusatus à populo, vt religionis contemptor, iudicium excusauit, testatus ea sacra meritò esse sibi suspecta, quę in occulto fierent. nam si bona essent, dicebat ea manifestari oportere: si mala, debere refugi.

Anaxagoram Clazomenium Athenienses in vincula coniecerunt, quod solem ignitum dixisset esse lapidem, non deum: quem tamen illi pro deo habebant.

Imperante Constantino, Manuelis filio, quum Turcæ Constantinopolim cepissent, nullæ scelerũ facies defuerũt: nulla dignitatis sexus, aut ætatis habita est ratio: stupra cædibus, cædes stupris additæ: templa sanctorum diruta sunt: ossa martyrum canibus & suibus obiecta: Redemptor ipse iterum cruci affixus, luto limoque deformatus est. nullum omissum est ludibrium, quod prius exercuissent Iudæi. Princeps tantæ feritatis Othomanus, vbi satis in sanctorum reliquias & simulacra sæuitum est, feritatem conuertit in vtriusque sexus homines, quos omnes more porcorum gregatim occidit, præter nonnullas liberali forma feminas, quas ad maiorem libidinis ignominiam reseruauit. hoc autem factum est in annum salutis MCCCCLIII.

Leo Armenius imperator, parta de Bulgaris victoria, diuorum imagines deleri penitus iussit: paullò pòst à Michaele Traulo per insidias iugulatus.

Theophilus quoque imperator post Michaelem Traulum, quum sanctorum imagines itidem odio haberet, multos earum cultores ad mortem cædi iussit.

Genserícus princeps Vandalorum, quum Carthaginem cepisset, omnesq; opes interfectis ciuibus in ius suum vertisset, animum ad ecclesiarum spoliationem adiecit, quas sacris vasis exinanitas, & sacerdotum administratione priuatas, equorum suorum fecit stabula.

Herostratus templum Ephesiæ Dianæ toto orbe nominatissimum, & inter septem orbis miracula nominatum incendio dedit, ut immortalitatem nominis sibi compararet.

Brennus dux Gallorum Senonum tẽplum Apollinis Delphici causa prædæ ingressus, ira numinis se interfecit. Valerius, & Iustinus lib. 24.

Fuluius Flaccus in censura tegulas marmoreas ex Iunonis Laciniæ templo detraxit, & in ædem Fortunæ equestris, quam Romę faciebat, tranſtulit. post quod factum negatur mente constitisse. quinetiam per summam animi ægritudinem exspirauit, quum ex duobus filiis in Illyrico militantibus alterum decessisse, alterũ grauiter vulneratũ audisset.

Pleminius Scipionis legatus thesaurum Proserpinæ apud Locros spoliauit, nec defuit vltio. nam postea in carcere teterrimo genere morbi consumptus est.

Pyrrhus quoque è Sicilia rediens, thesauros Locrensis Proserpinæ, intactos ad eam diem, spoliauit, & imposuit classi, quæ postera die vicinis deæ littoribus illisa naufragium fecit.

Milites Alexandri, qui Milesiæ Cereris templum ad prædam irruperant, flamma obiecta, priuati sunt oculis.

HÆRETICI NONNVLLI.

Aetius Sophista Antiochenus, primum Christianus Arrianorum sectæ postmodum adhæsit. vnde Antiochia pulsus est, & Atheos vocatus.

Ammonius Alexandrinus, præceptor Origenis, fuit à puero Christianus. prouectior verò factus ad philosophiã se conuertit, deserta fide orthodoxa.

Apollinaris iunior, dicebat animam à deo verbo facto non assumptam; aut si assumpta esset, non habere mentem. huic propterea Christianorum commercio interdictum est.

Arrius Alexandrinus, Armodii filius, filium deum ab æ-

terna patris substantia separabat. ad quam hæresim refellendam iussu Constantini imperatoris celebrata est synodus Nicena, cui interfuerunt Alexander & Pannutius præsules. Idem Athanasius diaconus cum CCCXVIII. aliis præsulibus, qui explosa Arrii sententia, filium patri consubstantialem fecerunt. Arrius in exsilium pulsus, magnam nihilominus turbam hominum in suam traxit sententiam, sed nó impunè. nam, dum in latrina corporis excrementa egereret, ánimam cum intestinis emisit. Ex Russini historia.

Berillus, Bostrenæ vrbis Arabiæ præsul, dicebat CHRISTVM rèdemptorem ante humanitatem non extitisse, nec propriam diuinitatis habere substantiam, sed tantum patris in eo habitasse. quem eius errorem ita repressit Origenes, vt tandem eum ad meliorem mentẽ reuocauerit. Eusebius.

Carpocrates hæreticus Simonis magi superstitiones imitatus est, quas palàm tradebat.

Cherinthus dicebat, regnum CHRISTI post resurrectionem Hierosolymis futurum, vbi mille annis homines libidini & voluptatibus indulsissent.

Ebion putauit, CHRISTVM purum esse hominem, sine vlla deitate; perfectum tamen, & omni virtute cumulatissimum. eius sectatores vocantur Ebionitæ.

Helchesaitæ quædam de scripturis refutabant, & quædam rursum admittebant nouæ ac veteris legis testimonia. Paulum apostolum penitus respuebant. librum quendam circunferebant, quem dicebant de cælo lapsum, cuius verba si quis audisset, delictorum veniam consequeretur.

Eluidius Auxentij discipulus fatebatur virginem peperisse, verùm postea congressam viro dicebat alios suscepisse liberos, fratres domini: insanam eius opinionem confutat Hieronymus.

Eudoxus præsul Constantinopolitanus fuit imitator Arrianæ sectę, Valentis principis ætate.

Eunomius, præsul Cyzicenus, diuinitatem negabat in CHRISTO. plurima scripsit contra fidem, & differendi leges suis sectatoribus reliquit. hunc Gregorius Nazianzenus & Gregorius Nisseus præsules suis argumentis confutarunt.

Euthyches Cõstantinopolitanus, discernebat CHRISTVM

à uerbo Dei. negabat præterea CHRISTI carnem similem esse nostræ, duasq; in eo naturas inficiebatur. aiebat ipsum CHRISTI corpus è cælo descendisse, & in uirginis uterũ tanquam Solis radios penetrasse. In hunc celebrata est quarta Synodus. Volater.

Eusebius Nicomediensis præsul secutus est Arrium, cui & multos peperit assecias.

Faustus Afer secta fuit Manichæus. scripsit libros in orthodoxam fidem, quibus abundè respondit Augustinus.

Iouinianus nuptias uirginitati præferebat, secutus opinionem Stoicorum de virtutum & uitiorũ æqualitate. eius scriptis respondit Hieronymus.

Pollio Macedonius dicebat, Spiritum sanctum nihil habere commune cum patre & filio. fatebatur tamen filium patri similem.

Manes hæreticus imperante Aureliano Romam uenit è Perside. hic ponebat duo principia inuicem contraria. dicebat se natum ex uirgine, & in montibus educatum. ponebat unicam in CHRISTO naturam diuinam. eius uerò humanitatem dicebat esse phantasticam: causatus non esse uerisimile DEVM pati uoluisse. Contrà uerò Paulus præsul Antiochenus affirmauit CHRISTVM simplicem fuisse hominem, maximum alioqui prophetam. uide Eusebium de hoc Manete. Sectatores eius dicti sunt Manichæi.

Meletius præsul in Ægypto Arrianis adhæsit, habuitque multos assecias, eos maximè, qui in Petro præsuli Alexandrino aduersabantur.

Menander magus, genere Samaritanus, seruatorem se uocabat ex Olympo ad hominum salutem demissum. docebat nullo pacto angelos ab hominibus uinci posse, quàm magicæ artis disciplina. uarias passim hæreses diffudit, quarum lolio multorum oculos uitiauit.

Messaliani cuiusdam dæmonis effectum exspectabant, qué sanctum Spiritum arbitrabantur. reiiciebant opus manuũ, tanquam malignum. somnio & otio indulgebant. eius sectæ principes fuerunt Datosius, Phibas, Dalphidius. Theoderitus in historia Tripartita.

Montanus, Phryx natione, uocabat se paracletum. mul-

tos in suam traxit hæresim, & in his Priscam & Maxillam, quas eò redegit insaniæ, ut relictis uiris eum sequerétur, eiusq; inspiratione spiritum propheticum habere se crederent. sectatores habuit, qui Cataphrygæ dicuntur. hi Spiritum sanctum sibi, non Apostolis infusum prædicabant.

Monothelitæ duas in DEO uoluntates negabant, diuinam scilicet & humanam, quum tamen res aliter se habeat. nam CHRISTVS multa, ut homo uoluit, & fecit; multa ité, ut DEVS. Contra hos celebrata est sexta synodus, anno salutis DLXXXV. Sectæ princeps fuit Sergius præsul Constantinopolitanus. Paulus Diac. de gestis Longobar.

Nauatus presbyter Rom. sectam instituit Nouatianorũ, qui se mundos & puros appellabant. hic in tantam lapsus est dementiam, ut eos (quibus Eucharistiam præbebat) prius iurare cogeret, se nunquam Cornelium pontificem secuturos.

Episcopus fuit in parte Ægypti Nepos nomine, qui docebat Sanctos in terris cum CHRISTO mille annis regnaturos in libidine, & uoluptate.

Nestorius Germanicus, præsul Constantinopolitanus cetum suis sectatoribus promittebat, CHRISTVM hominé tantum esse prædicabat, duas negando naturas. in hunc celebrata est tertia synodus sub Theodosio iuniore.

Nicolaus (a quo Nicolaitarum secta orta est) legem matrimonii refellebat, uolebatq; promiscuos esse concubitus. Eusebius.

Paulus Samosatenus, homo multæ arrogantiæ, & nullius propè sapientiæ, psalmos solitos cantari uetuit. hisq; alios suffecit, quos in suam ipse laudem conscripserat. negabat filium DEI de cælo descendisse, sed in utero uirginis initium habuisse.

Praxeas Asiaticus plures negabat personas in trinitate, sed eundem patrem & creasse omnia, & in cruce pependisse, quòd (ut dicebat) communicata pluribus monarchia auctoritatem principatus minuat. huius argumentis respódit Tertullianus.

Photinus, præsul Smyrnæus, humanam solùm naturam in CHRISTO posuit, instar Ebionitarum.

Sabinus, præsul Heracleæ, secta fuit Arrianus. is Chrisianos omnes (qui in synodo Nicena ab Arrio defecerant) idiotas uocabat, & ignauos, eosq; infirmitate ingenii lapsos dicebat.

Sabellius hæreticus, negabat CHRISTVM DEI filiũ, primogenitumq; omnis creaturæ: atque etiam Spiritus sanctum referebat intellectum. ponebat unicam in trinitate personam. hinc uariæ factiones, & malorum germina pullula runt. eius sectatores Sabelliani dicuntur. Sunt qui Sabinũ & Sabellium eundem faciant.

Simon Magus natione Samaritanus multos artibus magicis, & ope dæmonum elusit Romæ, imperante Claudio principe, ita ut numinis loco habitus sit, & honore simulacri decoratus, cum hac inscriptione, SIMONI DEO SANCTO. Eum Samaritani omnes & Deum fatentur. sunt qui dicant eum, quum per aera deuolaret, Petri precibus cecidisse, eaq; ruina miseram exhalasse uitam.

Symmachus, unus ex interpretibus Bibliorum, putauit CHRISTVM ex concubitu Ioseph & Mariæ natum. quam in sententiam probare voluit ex euangelio Matthæi.

Basilides scripsit in euangelium XXIV. cõmentarios, cõfinxitq; prophetas quosdam, ut Barabam & Barcob, aliosque barbaris nominibus nuncupatos. hic instar Pythagoræ sectatores suos quinquennio silere iussit.

Theodorus Coriarius humanam tantùm naturam tribuebat CHRISTO. fatebatur tamen uerbum Dei in eo habitasse ob excellentem uirtutem; Mariamq; non Dei, sed hominis tantùm matrem esse. In hunc celebrata est quincta synodus Iustiniani principis & Vigilii pontificis tempore, anno salutis DXL. ubi sancitum est, ut Maria Theotocos, id est, Dei mater, uocaretur. Eus. lib. 5.

Tertullianus patria Carthaginiensis, quum in fide aliquã diu perstitisset, tandem clericorum Rom. contumeliis ad Montani dogma delapsus est.

Apelles hæreticus dicebat in CHRISTO fuisse corpus phantasticum, prophetias non recipiebat, quòd sese rescinderent, & implicarent contradictionem.

Acephali duas in CHRISTO negabant naturas, nullo

eius opinionis auctore. unde & traxerunt nomen.

Almericus hæreticus dicebat ideas in mente diuina creare, & creari. hunc Innocentius III. cremari iussit Lutetiæ. Volater.

Barbara, Sigismundi imperatoris coniux, stultas uocabat uirgines pro CHRISTI nomine passas, quòd uoluptatis gaudia non gustassent. dicebat animas cum corporibus interire, nec futuram aliam uitam post hanc, quâ uiuimus.

Cerdo hæreticus asserebat duo fuisse contraria principia. eius asseclæ dicti sunt Cerdoniani.

Ioannes Hus, & Hieronymus de praga quum sceleratissimas hæreses Boemorum animis inculcassent, sententia publici concilii incendio & flammis deuoti sunt.

Alogii hæretici uerbum negabant esse deum, spreta Ioannis Apocalypsi. Aquarii, fuerunt hæretici quidam, qui solam aquam offerebant in calice sacramenti.

Adamiani, exemplo Adam nudi, ac sine ullis uestibus degebant, eoq; modo cum feminis uersabantur, asserentes illud in uita melius putandum esse, quod ad naturam magis accederet. Crinitus cap. 6. lib. 16.

Nyctages uniuersam noctem somno & quieti concedebant, dicentes naturæ genium uiolari, atque corrumpi, si ipso noctis tempore uigilaretur.

Himerobaptistæ apud Iudæos uocati sunt hæretici, qui seipsos & sua uestimenta quotidie abluebant. Crinitus.

Marcion hæreticus bina principia, binosq; deos ponebat, bonum scilicet, & malum.

Templarij hæretici emerserunt anno post imperium Augusti MXXX. Hierosolymis in tantam sanctitatis opinionem venerunt, vt breui tempore multas diuitias, ac templa sibi comparauerint, à quibus Templarii dicti sunt, quòd frequentes & assidui versarentur in templis. iidem CHRISTI sacris impudentissimè abdicatis, in quædam flagitia diuerterunt. conflauerunt enim simulacrum quoddam miro artificio, cui hominis cutem superinduxerunt, collocatis in fronte binis carbunculis, oculorum vice promicantibus. hoc autem loco numinis reuerebantur. morientium cadauera resoluta in cineres ceteris dabant in potum, vt in ea secta fir-

miores essent. natum ex templarii virginisq; coniugio torrebant igne, simul ex humore deliquato suum perungebant simulacrum. nefanda masculorum libidine conflagrabant. damnati sunt autem in Viennensi concilio, & deuoti flammis sententia Clemētis pont. max. qui Benedicto successit.

Donatus, natione Afer, dicebat filium esse minorem patre, & spiritum sanctum filio.

VATES, AVGVRES, ET haruspices.

PRotheum, filium Oceani & Tethyos, poetæ vatem faciunt. Virgilius lib. 4. Georg. Est in Carpathio Neptuni gurgite vates Cæruleus Protheus.

Laocoon vates fuit Troianus, qui prædixit Græcos in fatali Sinonis machina delitescere. Troianosq; obiurgauit, quòd eam in vrbem admissent. Virg. lib. 4. Aen.

Eurypylus vates fuit Græcus, quem Sinon Virgiliauus ait Apollinem consuluisse super simulato Græcorum reditu in patriam, vbi ait: Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phœbi Mittimus, isq; aditis hæc tristia dona reportat. Est & Eurypylus vates medicinæ apud Plin. lib. 11. nat. hist.

At Hyrtia filia fuit Sesostris regis Aegypti, diuinationis perita, quæ futuram patri monarchiam prædixit.

Melampus filius Amythaonis medicus fuit & augur peritissimus. Propert. lib. 2. Turpia perpessus vates est vincla Melampus. Plin. lib. 25. Melampodis fama diuinationis artibus nota est.

Tyresias, rex Thebarum, & augur fuit, qui consultus à Ioue, vtri maior esset in Venere libido, virone an feminæ, quum feminæ dixisset, ira Iunonis excæcatus est. quam ei us excitatem Iupiter vaticinio pensauit. Alii excæcatum ferunt, quòd Mineruam in fonte nudâ conspexisset. Ouid. lib. 3. Met. At pater omnipotens (neque enim licet irrita cuiquam Facta dei fecisse deo) pro lumine adempto Scire futura dedit, pœnamque leuauit honore. Stat. lib. 2. Thebaid. Longæui vatis opacos Tyresius vultus, vocemq; & vellera nota induitur.

Tages primus omnium haruspicij disciplinam dedit Etru-

scis. Ouid. lib. vltim. Met. Indigenæ dixere Tagem, qui primus Etruscam Edocuit gentem casus aperire futuros.

Cassandra, Priami filia, quum Apollini copiam sui corporis promisisset, ab eodem vates facta est: quum autem non staret promissis, iratus Deus fecit, vt eius vaticiniis nó adhiberetur fides. hæc prædixit futura ex Helenæ raptu infortunia. Propertius lib. 3. Certa loquar, sed nulla fides, neque enim Ilia quondam Verax Pergameis Phœbas habenda malis. Sola Parim Phrygiæ fatum componere, sola Falacem patriæ serpere dixit equum. Ille furor patriæ fuit vti lis, ille parenti, Experta est veros irrita lingua deos. Idem lib. 4. & Virg. lib. 2. Aeneid.

Calchas augur fuit, Thestoris filius, qui tempore belli Troiani Græcis oracula reddidit. Virg. li. 2. Aen. Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu Protrahit in medios. Idem prædixerat Græcos omnes Troia diruta in patriam cæspites redituros. quod secus accidit: nam multi apud Caphareum Euboiæ naufragium fecerunt. quo liquet veterum vatum præsagia non semper vera extitisse. De Calchãte Ouid. lib. 12. At veri prouidus augur, &c. Idem lib. 2. de Arte. Stat. lib. 3. & Cic. lib. 1. de Diuinatione. Ferunt hunc Calchantem cum Amphilocho Amphiarai filio ab expeditione Troiana redeunte ad Apollinis Clarii lucũ diuertisse, repertoq; ibidem Mopso, quędam proposuisse: quum ille soluisset, aiunt Calchantem animi ægritudine periisse. quæstio ab Hesiodo talis memoratur: Mirabor sanè, poteris si dicere ficus, &c. Pherecydes apud Cælium scribit, Calchantem sue oblata interrogasse, quot porculos gestaret? Mopsum verò respondisse tres, atque ex his vnam reminam. quem vbi vera locutum patuit, illum ægritudine intabuisse.

Helenus, Priami filius, vaticinio claruit, auctore Virg. apud quem Aeneas sic eum alloquitur lib. 3. Aen. His Vare aggredior dictis, ac talia quæro, Troiugena interpres diuũ qui numina Phœbi, &c. Ouid. lib. 13. Met. Quam sum Dardanio (quem cepi) vate potitus. Cic. lib. 1. de Diuin. Quid Asiæ rex Priamus, nonne & Helenum filium, & Cassandram filiam diuinantes habebat?

Nautes nomen est vatis Troiani apud Virg. lib. 5. Aen. qui dum incensæ ab Iride in Sicilia comburerentur Aeneæ naues, docuit hoc ipsum fieri Iunonis odio, vt Latio Troianos auerteret: monuitq; Aeneam ipsum, vt non succumberet calamitatibus, sed inuicto persisteret animo.

Carmentis, Euandri mater, erat præsaga, & monitrix rerum futurarum. prius uocabatur Nicostrata: verùm vbi carminibus dare cœpit responsa, Carmentis vocata est. Virg. lib. 8. matrisq; egere tremenda Carmentis nymphæ monita, & Deus auctor Apollo Martianus Capella: Alii quoq; huius generis homines, in diuinandi vsum & præscientiam procreati, ut Carmentis in Arcadia, ab effuso per vaticinia carmine dicta.

Manto filia Tyresiæ (à cuius nomine dicta est Mantua) fuit etiam fatidica, & rerũ futurarum præsaga. Virg. lib. 10. Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris Fatidicæ Mantus, & Thusci filius amnis, Qui muros matrisq; dedit tibi Mantua nomen. Ouid. lib. 6. Met. & Statius lib. 10.

Rhamnetes, augur fuit carissimus Turno. Virg. lib. 9. Rex idem & regi Turno gratissimus augur, Sed non augurio potuit depellere pestem.

Asilas nomen etiã est auguris, qui suppetias tulit Aeneæ contra Turnum. Virg. lib. 10. Tertius ille hominum diuum interpres Asilas, Cui pecudum fibræ, cæli cui sidera parent, Et linguæ volucrum, & præsagi fulminis ignes, Mille rapit densos acie, atque horrentibus hastis.

Tolumnius nomen est auguris, qui pro Turno bellauit in Aeneam. Virg. lib. 12. Expediuntq; manus, primusq; Tolumnius augur.

Iapys, Iasii filius, nomen auguris apud eundem Virgil. lib. 12. Iamque aderat Phœbo ante alios dilectus Iapys Iasides, acri quondam cui captus amore Ipse suas artes, sua munera lætus Apollo Augurium citharamq; dabat, celeresque sagittas, &c.

Choreus sacerdos fuit Cybeles diuinandi peritus. Virg. lib. 11. Aureus ex humeris sonat arcus, & aurea vati Cassida.

Aruns vates fuit Thuscus, cuius peritiã in diuinando describit Lucan. Hæc propter placuit Thuscos de more vetu-

sto Accire vates, quorum qui maximus euo Aruns incoluit
desertæ mœnia Lunæ, Fulminis edoctus motus, uenasque
valentes Fibrarum, & motus errantis aere pennæ.

Labyssa mulier fuit fatidica in Boemia, quæ filiam habuit
Craco nomine, rerum quoque futurarum peritam. Volat.
in Georg.

Phæmonoe virgo prima Delphici Apollinis vates fuisse
dicitur, carmenq; Heroicum inuenisse. Plinius lib. 10. Phæ
monoe Apollinis dicta filia, dentes ei fuisse prodidit. Luc.
libro 5. Phæmonoen errore vagam, curisque vacantem
Corripuit, cogitque fores irrumpere templi, &c. & Sta-
tius lib. 2. Sil.

Plinius lib. 7. ait, maximam fuisse diuinitatem Melam-
podi apud Græcos, apud Romanos Martio.

Amphiaraus Oiclei filius, augur fuit & vates Græcus,
quem quum Adrastus rex in bellum contra Thebas vellet
ducere, recusauit: ac ne cogeretur, sese occuluit, quòd præ
uideret ibidem se periturum. fraude tamen vxores Eryphi
les (quam monili corruperat Adrastus) proditus est, & in
uitus in bellum tractus, vbi terræ hiatu absumptus est. Sta
tius lib. 1. & 3. & 7. Theb.

Mæon nomen est vatis, & auguris apud Statium lib. 2.
Theb. dicentem: - ille hæc præuiderat omnia doctus Aeris,
& nulla deceptus ab alite Mæon.

Branchum ferunt Apollinis fuisse filium, cui pater diui-
nandi artem concesserit. Statius: - primoq; æqualis honori
Branchus. Strabo ait eum sacerdotem fuisse delubri Apol-
linis Didymæi. Mirandula in hymnis: Hinc quoque Bran-
chiaco uatem stimulauit ab axe. Delius innumeris subigens
ambagibus orbem.

Thyodamas filius fuit Melampodis, diuinandi quoque pe
ritus. Statius lib. 8. Insignem fama, sanctoq; Melampode
cretum Tyodamanta volunt, quo cum ipse arcana deorum
Partiri, & uisas uni sociare solebat Amphiaraus aues, tan-
tæque haud inuidus arti Gaudebat dici similem, iuxtaque
secundum.

Idmon, Apollinis & Asteriæ filius, & ex Argonautis unus,
claruit etiam uaticinio. hunc à serpente occisum ferunt,

Sen. in Medea: Idmonem quamuis benè fata nosset, Con-
scidit serpens Libycis arenis.

Trophonius, vates fuit quispiam, speluncam habitans,
in quam qui descendebant, perpetuò erant agelasti & irri-
sibiles, hinc adagium natum, In Trophonij antro vaticina
tus est, de homine maximè tristi, & præmimis seuero. Mi-
randula in hymnis. Phœbeique antrum fundens consulta
Trophoni.

Apollonius, è Tyana ciuitate Græciæ, rerum futurarum
præsagiis fertur claruisse. præuidit enim Cilicem quendam
lasciuum hominem intra diem tertium occisum iri, & con-
tigit. Aiebat se cuncta facere Deo consultore, & duce dæ
mone, scireq; omnium linguas, & hominum cogitationes
introspicere, futura præuidere, & iam præterita diuinitus
cognoscere. somnia interpretabatur, & declarabat porten
ta. damnabat animalium sacrificia. Eius vitam compendio
se satis describit Volaterranus.

Mopsus fuit omnium vatum peritissimus, vnus eorum,
qui Argonautis futura prædixerunt. cum hoc in certamen
descendit Calchas, uictusq; dolore animi in fata concessit,
vt iam diximus. Adagium fluxit in vulgus, Mopso certior:
de eo, qui citra mendacium futura præuidet, & enunciat.
Fuit Mopsus Ampyci filius. Ouid. lib. 10. Seneca in Me-
dea. Val. Flac. lib. 1. Argon. Fuerunt & alii eiusdem nomi
nis, vt Mopsus Tyresiæ filius: alius etiam, à cuius nomine
Attica regio Mopsopia vocata est.

Polyxo, nomen est Phœbadis apud Val. Flac. lib. 1. Ar-
gon. Tunc etiam vates, Phœbo dilecta Polyxo.

Philochorus Atheniensis, fuit vates Eratosthenis tempo-
re, qui extinctus est insidiis Antigoni Macedoniæ regis,
quòd venisset in suspicionem contractæ cum Ptolemeo re-
ge amicitiæ. hic scripsit Atthidis lib. XVII. qui continent
res gestas Athenienssium, & reges & magistratus vsque ad
Antiochum deū. scripsit etiā libros quattuor de vaticinio.

Sosipatra mulier genere Lyda, vxor Aedesii sophistæ,
spiritu fatidico, & futurorum præsago fuisse prædicatur,
atque etiam à quibusdam numinibus educata fertur.

Actius Nauius augur fuit, qui nouacula cotem præscidit

spectante Tarquinio. quo factum est, vt Tarquinius ipse in rebus dubiis eo augure semper vteretur, & populus de suis rebus ad eum deferret.

Massurius, & Mucius, nomina sunt augurum Romanorum, apud Plinium lib. 10. cap. 7.

Sostratus vates fuit, qui per furorem multa prædixit, Græcis, vt Xerxis aduentum in Græciam.

Spurina vates Cæsarem monuit, vt idus Martias caueret, Tranquillo teste. eoque die interfectus est imperator, quē cauendum esse predixerat vates.

Astylus Centaurus, Ixionis filius, quum diuinandi peritia clareret, fratres suos monuit, ne bellum contra Lapythas molirentur. idem prædixit Nesso vulnus, quod Herculis sagitta erat accepturus. Ouidius: Astylus ille etiam mecum tenti vulnera Nesso Ne fuge, ad Herculeos, inquit, seruaberis arcus.

Tyburnum Plin. lib. 16. ait fuisse Amphiarai filium, peritum augurii, à quo Tyburtes populi originē traxerint multò ante Romam conditam.

Olenus Calenus nomen est vatis apud eundem libro 28. vbi ait: Quum in Tarpeio fodientes delubro fundamenta, caput humanum inuenissent, missis ob id à senatu legatis, Etruriæ celeberrimus vates Olenus Calenus præclarum id fortunatumq; cernens, interrogationes in suam gentem transferre tentauit.

Prylis, Mercurii fuit filius, diuinandi apprimè peritus, hinc adagium, Lesbius Prylis, in hominem sagaci coniectura.

Lampon fuit sacrificus, & vates oraculorum, solitus iurare per anserem, velut auem auguralem.

Eurycles vates fuit, qui de se suisque incommodis aliquid semper diuinabat. hic per assistentem dæmonem vera vaticinabatur. propterea Euryclitæ dicuntur omnes diuinaculi.

Chryses, vates fuit Iunonis, cuius filiā Chryseidem quā Græci rapuissent, dea iniuriam vlciscente, pestilentia in suis castris laborarunt.

Astyphilus Possidoniates, vir fuit vaticinij peritus, qui

Cimoni Athenienſi (quo cum in summa familiaritate viuebat) mortem prædixit ex præcedentibus prodigiis. Plut. in Cimone.

Martha nomen est mulieris fatidicæ, quam in lectica stātem honorificæ circumduxit Marius, & sacrificia ea iubente celebrauit. hanc senatus, quòd futura obseruaret, & prædiceret, libertate donauit. Plut. in Mario.

Apud eundem Milthas nomen est vatis, quo in explicandis prodigiis Dion vsus est.

Peripolthas, vates fuit ex Thessalia, qui Opheltem regem suosq; in Bœotiam populos deducens, familiam multis deinde temporibus nobilissimam ex se reliquit.

Aristander & Cleomātes nomina sunt diuinaculorū apud Plutarchum in Alexandro, vbi ait: Quod prodigium conspicatus Alexander, accitis ariolis Aristandro & Cleomanti Spartano aperit.

Vmbritius apud eundem in Galba nomen est auguris: nā illo die, inquit, simul cum diluculo & Galba præsentibus amicis sacrificabat in palatio augur Vmbritius. Cor. Tacitus: Sacrificanti pro æde Apollinis Galbæ haruspex Vmbritius tristia exta, & instantes insidias ac domesticum hostem prædicit.

Theocritus nomen est auguris apud eundem Plutar. in Pelopida.

Demophoon fuit vates, qui periculum Alexandro immi nere prædixit. auctor Curtius, cuius verba citassem, nisi timerem calumnias eorum, qui tantam testimoniorum multitudinem, vt nauseabundam refugiunt.

Amalthea, Marpesia, Heriphile, nomina Syballarum, aut aliarum Phœbadum apud Tibullum lib. 2. Quidquid Amalthea quidqui i Marpesia dixit, Heriphile Phœbo gratāque quod monuit. Politianus quasdam Phœbades atque vna vi- quin & veteres prompsere Sybillæ
ros diuinandi peritos his verbis enumerat:
Carmen, Amalthea, & fati Marpesia dines,
Herophileq; Idæa genus, prædoctaq; Sabe,
Demoq; Phygoq;, & Herignara Phaennis,
Et Carmentis parens, & Manto, & Pythia longos

Phemonoe commenta pedes, & filia Glauci
Deiphobe nimium viuax, & Martia fratrum
Nomina, lymphatusq; Bacis, subterq; Triones
Natus hyperboreos Ollen, inq; Attide terra
Clarus honore Lichas, Dodoniadesq; columbæ.

Dauidem ecclesiastici omnes sacrorum vatum principem fuisse fatentur. Idem Politianus: An memorem Solymos prælustria nomina vates, Psallentemq; Deo regem, qui turbine fundæ Icta Philisthæo secuit per ora giganti.

Symachiam Martianus Capella ait vnum fuisse ex Sybillis, quas duas numero solùm ponit dicens: Quas non decet (ut asserunt) sed duas fuisse non nescis, id est Herophilam Troianam, Marmensi filiam, & Symachyam Hippotensis Heliam, quæ Erythræa progenita, etiam Cumis vaticinata est.

Theano & Euexippe filiæ cuiusdam Scedasi Spartanis cauenda oracula præcinuerunt. postea tamen ab adolescentibus eiusdem loci constupratæ, & in puteum coniectæ sunt, quod vbi resciuit pater, animi dolore seipsum interfecit.

Albigerius Carthaginiensis fuit adeo diuinandi peritus, vt dæmonibus afflantibus respõderet quidquid egisset quisque, aut omnino cogitasset. quod testatur Augustinus, qui illis ipsis vaticiniis se plerunque scribit interfuisse.

Cælius scribit fuisse in patria sua mulierculam nomine Iacobam, ex cuius ventre immundi spiritus acclamati futura prædicerent, ac vnum ex his Cincinnaculum fuisse nũcupatum, qui & præterita & futura percontantibus responsa dabat mirifica. interrogatus tamen de futuris, mentiebatur sæpenumero.

Ophioneus fuit Messeniorum vates, qui semper à natali die luminibus captus priuatim & publicè vaticinia peregit.

Polybius Corinthius filio Troiam proficiscenti, & multis aliis mortem prædixit. Cicero.

Thrasybulus fuit inter Elæos quispiam, multis præsagiis nobilitatus, quo etiã titulo simulacrũ meruit in Olympia.

Lamus Apollinis fuit filius, qui fatidico spiritu magnum apud veteres nomen adeptus est.

Scirus vates fuit Eleusinius, à cuius nomine Minerua Sci

ras dicta est.

Abaris filius cuiusdam Scythæ inter Scythas, scripsit oracula, quæ nuncupata sunt Scythica. vide Cælium cap. 22. libro 9.

Terentius Varro in libris antiquitatum scribit Vectium in augurandi disciplina nobilem fuisse, eumque affirmasse, futurum Romani imperij terminum post M C C. annos.

Saxo Grammaticus ait, Vgerum vatem fuisse ætatis incognitæ, & supra humanum terminum prolixæ.

Paulus Diaconus ait, Baudolinum quendam vitæ sanctitate conspicuum prophetico spiritu claruisse regnante apud Longobardos Luitprando.

Fuit & eo tempore alter Theolapius nomine, qui præsago spiritu multa prædixit futura.

Amphilochus rex fuit & augur inter Argiuos. Mirandula in hymnis: Amphilochi aut monitus adiit male sana nefastos.

Heleus vates fuit Polycrati Samiorum tyranno familiaris. Herodotus.

Callias vates Elæus, qui Amyclis vaticinia reddit.

Perialla, antistes fuit mulierum apud Delphos viticinantium, ætate Cleomenis.

Cleander quoque nomen est vatis Arcadici apud eundem Herod.

Fuit & Megistias patria Acarnanius, oriundus à Melampode, clarus vaticinio. nam prospectis extis futura prædicebat. floruit ætate Leonidæ Spartani. Herod. lib. 7.

Euenius vates fuit apud Apolloniates, initio pastor, quo dormiente quum Lupi LX. gregem inuasissent, oueisque ad viam trucidassent, re cognita, vocatus est in ius, & iudicium sententia exceptatus, mox tamen insitam obtinuit diuinationem, habuitq; filium Deiphonem, qui ductus à Corinthiis exercitui vaticinabatur. Herodotus in Calliope.

Apud Græcos haruspex fuit Tisamenus Antiochi filius, qui apud, Delphos reddebat oracula.

Habuerunt etiam Græci alium haruspicem Leucadium Hippomachum nomine.

Claruit Daniel spiritu prophetico. scripsit librum parti

tum in decem visiones. Susannam falsò accusatam, liberauit à morte. floruit ætate Nabuchodonosor Chaldeorum regis, à quo captiuus ductus & enutritus est. datus est leonibus in prædam, à quibus tamen euasit illæsus. Sabellicus: -fatidico iuueni mirabile dictu Sæpius obiecto sæui parsere leones.

Moses, seu Moyses, Hebræorum dux vaticino spiritu omnium maximè claruit. ei dominus in monte Sinai gloriam suam patefecit. seruanti oues apparuit in rubo ardenti, qui tamen non comburebatur. Deum vidit, quod mortalium nemini contigit vnquam. Decalogi præcepta accepit in tabulis æneis, quæ dedit filiis Israel. De Mose Iuuenalis: Tradidit arcano quodcunq; volumine Moses.

Galeotæ, vates fuerunt in Sicilia & Attica, à Galeote Apollinis filio. hos solebat consulere Dionysius.

Cicero lib. 1. de Diuinat. scribit Deiotarum regem fuisse peritum auspicij, ac nihil vnquam gessisse nisi auspicato.

Tarchon fuit dux & haruspex in Etruria, cuius meminit Virg. lib. 10. & 11. Aeneid.

Prophetarum nomina apud Ecclesiasticos sunt, Esdras scriba Hebræus, Neemias Artaxerxis pincerna, Agabus. item Amos, Aggeus, Achias, Baruch, Delbora, Ezechiel, Esaras, Helias, Enoch, Symeon, Moyses, Dauid, & alij plerique.

Ocyroe Chironis Centauri filia res futuras præscisse dicitur: de qua Ouid. lib. 2. Met. Hæc prædicit Aesculapium adhuc infantem medicinæ artiis peritissimum fore, & à Ioue aliquando fulminatum iri.

Æthion nomen est vatis apud Ouid. lib. 5. Met.

Porrò diuinationem Græci Manticem appellant, id est scientiam rerum futurarum. hanc scientiam primi excogitauerunt Aegyptij & Chaldæi ex obseruatione siderum.

Cilium & Pisidarum gens, & his finitima Pamphila, volatibus auium, cantibusque declarari res futuras crediderũt.

Romulus vrbem auspicatò ipse optimus augur condidit.

Auguribus reges vsi sunt, nec sine auspicijs olim res gerebantur.

Colophonius Xenophanes diuinationem negauit. contrà verò Democritus comprobauit.

Chrysippus duos libros scripsit de diuinatione, vnum de oraculis, vnum de somnis. Diogenes Babylonius vnum, duos Antipater, quinque Posidonius.

Discipulus Antipatri Panætius dubitauit, an esset vis vlla diuinandi? Cic. ait, Diuinationem esse earum rerum, quæ fortuito putantur, prædictionem atque præsensionem.

Duo sunt diuinandi genera; alterum artis, vt in extis pecudum & in sortibus; alterum naturæ, vt somniorum & vaticinationum. diuinatio coniectura nititur, vltra quam progredi non potest.

Lituus clarissimum erat insigne auguratus, quo Romulus regiones direxit, quum vrbem condidit. erat autem Lituus bacillum leuiter à summo inflexum. Tiberius Grac. augurũ & haruspicum disciplinam comprobauit.

Arte carent diuinatores, qui non ratione aut coniectura sed concitatione quadam animi futura præsentiunt.

Sagire, est acutè sentire: hinc sagaces, qui multa scire volunt. qui sagit priusquam res oblata est, præsagire dicitur. hinc præsagatio diuinatio, quæ si exarsit acrius, furor appellatur, quum abstractus à corpore animus diuino instinctu concitatur.

Vaticinia, quæ explicãtur coniectura, aut euentis notata sunt, artificiosa dicuntur, non naturalia.

Apud Persas magi congregabantur in fano eommentandi causa, vt augurarent, ac diuinarent.

In Telmesso, Cariæ vrbe, claruit haruspicum disciplina.

In Syria Chaldęi cognitione astrorum & ingeniorum sollertia antecelluerunt.

Etruria facilè interpretabatur, quid quæq; portenta sibi vellent. propterea antiqui Romanæ vrbis principes filios Etruriæ populis dabant in disciplinam.

Phryges, Pisidę, & Cilices Arabiæ auium significationibus obtemperabant: quod & fecerunt Vmbri.

Fortuna, casus, euentus, nihil aliud, quàm quum aliquid sic cecidit & euenit, vel non cadere ac euenire, aut aliter cadere atque euenire potuerit.

Constat falsa quandoque haruspicum fuisse vaticinia, &

consilia. nam Cæsar quum à summo haruspice moneretur, nè in Africam ante brumam transmitteret, transmisit tamé, quod nisi fecisset, vnum in locum omnes aduersariorum copiæ conueniissent.

Falsum fuit responsum illud ex Delphico de rege Pyrrho Aio te Aeacida Romanos vincere posse. nũquam enim Apollo Latinè locutus est. deinde Pyrrhi tempore Apollo versus facere desierat.

Apud Lygureos Thraciæ populos, Antistites oracula reddituri, multo prius uino se ingurgitabant: cõtrà verò apud Clarios, futura prædicturi aquam prius largè hauriebant. diuinario, quæ per aquam fiebat, Hydromantia dicitur. Axinomantia erat diuinatio per securim. Lecanomantia per peluim, qua aqua mouebatur à dæmone, & vox tenuis index futuri reddebatur. Geomantia erat illa, quam de punctis terræ fixis conflabant. Pyromantia erat, quam de variis figuris ex flãma glomeratis colligebant. Capnomantia erat diuinatio per fumum. Capyromantia, quæ de speculis ex dissultantibus imaginibus trahebatur. Aeromantia, quæ fiebat ex ære. Coschinomantia ex cribro. Cleromantia ex sortibus, Physiognomia ex membrorum natura. Chiromantia ex manibus. Botanomantia ex herbis. Gastromantia ex amphora ventrosa, quę à puero solebat introspici. Augurium ex auibus. Extispicium ab extis.

Ceterùm fidem non esse diuinaculis adhibendam Phauorinus apud Gellium arguit hoc modo: Aut enim (inquit) aduersa euenta dicunt, aut prospera; si prospera, & fallunt, miser fias frustra exspectando; si felicia promittunt, eaque ventura sunt, exspectatio te spei suspensum fatigabit, & futurum gaudii fructum spes tibi iam defloraueric. si aduersa dicant, & mentiantur, miser fias frustra timendo: si aduersa, & non mentiantur, iam inde ex animo miser fies, ante quam è fato fias.

PRODIGIA, ET PORTENTA diuersa.

CÆlum sanguinea specie apparuit, quum rex Philippus Græciam inuasit.

Stellæ circa Solis orbem visæ sunt, Augusto Cæsare in prima iuuenta vrbem intrãte post mortem patris.

Circa Solẽ arcus apparuit, L. Opimio, & Q. Fabio coss.

Trini Soles apparuerunt, Sp. Postumio, & Q. Minutio coss.

Lunæ trinæ visæ sunt, Cn. Domitio, & L. Annio cos.

Clypeus ardens ab occasu ad ortum scintillans, L. Valerio, & Cn. Mario consulibus.

Relatum est cælum lacte pluisse & sanguine, M. Acilio, & C. Porcio coss. item carne, L. Volumnio, & Ser. Sulpicio coss. item ferro in Lucanis, paullò antequàm L. Crassus à Parthis occideretur.

L. Paullo & C. Marcello coss. lana pluit, & lateribus cœlo Cimbricis bellis.

Tertio consulatu Marii visa sunt ab Amerinis & Tuderti bus arma cælestia ab ortu & occasu inter se concurrentia, pulsis ad extremum, quæ ab occasu erant.

L. Martio & Sex. Iulio coss. in agro Mutinensi duo montes inter se concurrerunt, crepitu maximo assultantes, & recedentes, & inter eos flamma fumoq; exeunte. quo concursu villæ omnes elisæ sunt, animalia permulta, quæ intrà fuerant, exanimata sunt.

Tiberio principante maximus post hominum memoriam terræmotus factus est, quo XII. vrbes Asiæ vna nocte prostratæ sunt.

Quum Dionysius iunior suo principatu pulsus est, accidit prodigium, vt vno die in portu dulcesceret mare.

Inter initia Marsici belli Alcippe mulier peperit elephãtum, & quædam ancilla serpentem.

Natus est Hippocentaurus in Thessalia, & eodem die mortuus est.

Quo anno Saguntus deleta est ab Hannibale, puer in eadem vrbe reuersus est in vterum matris.

Annotatum est antiquis prodigiis, canem locutum fuisse, & serpentem latrasse, quum pulsus est regno Tarquinius.

Bouem quoque locutum fuisse, proditur veterum monumentis.

C. Lepidus apud Plinium testis est arbores locutas. oliua

in totum ambusta reuixit.

In Bœotia derosæ à locustis ficus germinauere.

Laodiceæ aduentu Xerxis Platanus in oleam mutata est.

Paullò ante mortem Cæsaris equorum greges comperti sunt pabulo abstinere, vbertimque flere. pridie verò quàm interficeretur, auem regaliolum cum laureo ramulo Pompeianæ curiæ se inferentem volucres varii generis discerpserunt.

Ante mortem Caligulæ simulacrum Iouis Olympiæ tantum cachinnum repentè edidit, vt machinis labefactis opifices diffugerint.

Ante mortem Sergii Galbæ, quum oppidatim uictimæ cæderentur, taurus securis ictu consternatus, rupto vinculo essedum eius inuasit, & totum cruore perfudit.

Neronis principatu arbores sedem mutauerunt.

M. Lepido & Q. Catulo coss. in villa Galerij locutus est gallus gallinaceus.

Cecinere galli nocte tota, qua Matthæus vicecomes primum susceptit filium, vnde Galeaceo inditum nomen.

Neapolis sub Nicolao quincto pontifice maximo tremuit, eoq; motu multa hominum millia periere.

Seruio Tull. adhuc puerulo dormienti flamma emicuit circa caput.

Tempore belli, quod Romani gerebant in Veientes, Albanus lacus solitum stagni modum excessit.

Dum L. Sylla consul sociali bello in agro Nolano immolaret, subito ab vna parte aræ prolapsus est anguis, quo viso, Postumus haruspex suasit, vt exercitum in expeditionem educeret.

C. Volumnio & Seruio Sulpicio coss. bos mugitu in humanum sermonem conuerso locutus est Valer. Max.

Puer infans semestris in foro Boario triumphum proclamauit. alius cum elephantino capite natus est.

Traditur etiam in antiquis prodigiis, lapides in agro Piceno pluisse; in Gallia lupum vigili è vagina gladium abstulisse; in Sicilia scuta duo sanguinem sudasse; metentibus cruentas spicas in corbem decidisse; aquas sanguine mistas fluxisse; secundo etiam bello punico bouem dixisse,

Cane tibi Roma.

C. Hostilio Mancino, in Hispaniam ituro, talis vox sine auctore vllo peruenit ad aures, Mancine mane.

Quum T. Gracchus consul in Lucanis sacrificasset, angues duo ex occulto prolapsi hostiæ, quam immolauerat, secur adederunt, demum in easdem latebras se retulerunt. idem quoque secundùm sacrificanti accidit.

M. Crasso in Parthos ituro datum est pullum paludamentum, quum exeuntibus in prœlium album aut purpureum deri soleret.

Quum Pompeius Dyrrhachio egressus in Cæsarem proficisceretur, eius signa apum examinibus obscurata sunt: quo portento Iupiter eum à bello reuocabat. Sonus tympanorum Pergami abditis delubris editus est. Palma viridis Trallibus in æde Victoriæ sub Cæsaris statua enata est.

In exercitu Xerxis aduersus Græciam cõtracti equæ partu lepus editus est. eidem priusquàm Athenas deleret, de inuadendis Lacedæmoniis cogitanti hoc accidit: Infusum namque pateræ eius vinum ter in sanguinem conuersum est.

Midæ puero dormienti, formicæ in os grana tritici congesserunt, vt Platoni mel & fauos apes intulerunt.

Anno, quo Hierosolymas deleuit Vespasianus, sidus in cælo apparuit gladii figura, vrbi imminens. apparuerunt & currus variis cæli regionibus vagantes. visæ sunt armatæ acies concertare in nubibus.

Sedente in pontificatu Ioanne XI. Genuæ fons sanguinis prodigiosè fluxit. paullò pòst vrbs ipsa à Sarracenis capta est.

Pridie quàm Veneti Ligustico bello uincerentur, Corui dimersis inter se aginibus conflixere ita ut sanguis super nè cadens naues ipsas cruentaret.

Imminente Romanis primo ciuili bello, ignis ex hastis subito emicuit, qui vix potuit extingui. tres corui pullos suos in uiam productos laniarunt: quod ex laniatu superfuit, retulerunt in nidum. mures aurum in templo roserunt. ea pea ex his femina quinos musculos in muscipula enixa est, & tres ex illis deuorauit. tubarum clangor in ære concrepuit.

Triumuiralibus copiis ad Bononiam contractis, sedit aquila super Octauii tabernaculum, duosque hinc & inde coruos incessantes uchementer afflixit. quod uniuerso exercitui futuram Triumuirorum discordiam portendebat.

Moyses (cuius uirga se in draconem conuerterat, ac demum priorem acceperat formam) rubum uidit incombustum.

Daniel quum Susis esset in Mesopotamia, concidisseq; in faciem terræmotu, iussus postea cælesti uoce surgere, ipsumq; cælum intueri, arietem uidit in aere multicornem.

Eo die, quo uirgo CHRISTVM peperit, oleum Romæ in trastiberina regione erupit, & diem totum perpetuo manauit fluxu.

Quo die CHRISTVS affixus est cruci, sol à sexta hora diei ad nonam obtenebratus est.

Mauritio imp. (qui Gregorio pontifici erat inestissimus) apparuit homo ignotus monastico habitu cum gladio, quę imperatoris statuæ circunferens, prædixit Mauritium gladio periturum, ut accidit.

Dario Babylonem obsidenti uox è muris reddita est, urbem ipsam tunc à Persis captum iri, quum mula pareret. quo præsagio omnes capiendæ urbis desperatio iam ceperat donec Zopyri Persæ mula enixa est.

Anno, quo Nero excidit principatu, oleæ & prata in contrarias sedes transiere.

Antè paullò quàm Augustus imper. factus esset, bos in suburbano Romæ, ad arantem locutus est, frustra se urgeri. non enim frumenta, sed homines breui defuturos.

Sedente in Pontificatu Leone VII. Sol per aliquot dies ueluti sanguinolentus apparuit. quod prodigium calamitosa pestis secuta est.

Anno MCLVII. Christianæ salutis figura crucis in luna publicè uisa est.

Imperante Henrico septimo, & sedente in pontificatu Clemente quinto, tres Lunæ simul apparuerunt.

Anno salutis MCCCXLVIII. imperante Carolo quarto ceciderunt è cælo quædam bestiolæ, quarum corruptio & fœtor pestem attulerunt.

Anno salutis MCCCCLVI. sedente Callisto tertio na-

tus est in Sabinis uitulus biceps. Romæ apud Veneris portam sanguis cecidit è cælo. Carnes in Liguria.

Imperante Henrico IV. monstrum superne bicorporatum est in agro Britannico. Imperante Henrico quinto in Agro Emiliano & Flaminio sanguis pluit idib. Iunij.

Regnante apud Gallos Ludouico XII. & sedente in pontificatu Iulio II. monstrum natum est Rauennæ, habens cornu in capite, utrinque alas, brachia nulla, pedem unũ, oculum in genu, utrunque sexum, in medio pectore ypsilon & crucis effigiem.

Quum Roscius esset in cunabulis noctu lumine apposito experrecta nutrix animaduertit puerum dormientem circũplicatum serpentis amplexu.

Lacedæmone in Herculis fano arma sonuerunt, eiusdéq; Dei Thebis ualuæ clausæ sua sponte se apparuerunt, scuta sublime prius fixa humi reperta sunt.

MIRACVLA QVÆDAM NATVRÆ cum aliquot aliis prodigiis, & portentis.

Miracula naturæ uocamus, quæ præter consuetudinem accidunt, idq; rarissimè, cuiusmodi sunt sequentia.

Cælius Agrippa ex utero matris egressus est in pedes. hinc ab ægro partu traxit nomen.

Ammonius Alexandrinus philosophus, Origenis præceptor, Asinum habuit sapientiæ auditorem.

Ferunt Anaxagoram Clazomenium, Catonem, & M. Crassum nunquam risisse; L. Pomponium nunquam ructasse; Aroniam nunquam exspuisse; Zenophantum risum cohibere ne quiuisse.

Epimenides Cretensis missus ab Agisarcho patre ad ouiũ custodiam dormiuit in spelunca annos quinquaginta. Postratus & Hippoclides Epicuri discipuli, eodem die nati, eodem die mortui sunt.

Philetas Cous elegiographus fertur fuisse corpore tam tenui, ut necesse fuerit plantis eius plumbum adhibere, ne uentorum flatu raperetur. Telephus Herculis filius iussu aui expositus in siluis nutritus est à cerua.

Ceneus, Iphis, Tyresias sexum feruntur mutasse. Pontanus in Stellis: Pæniteat generis tamen & se Cenea malint, Aut in femineam penitus transire figuram. Ausonius: Mæret in antiquam Ceneus reuocata figuram.

Martia mulier Romana partu fulmine exanimato superuixit.

Plinius ait ad Cutilias aquas opacam esse siluam, quæ nú quam die ac nocte eodem loco uisitur.

In Tarquinensi lacu duo nemora olim circunferebantur, nunc triquetram figuram edentes, nunc rotundam, nunquá quadratam.

Fanum Veneris habet Paphos, in cuius aream nunquam impluit.

Iuxta Harpasa oppidum Asiæ cautes est horrenda unico tamen digito mobilis, si toto corpore impellatur, resistens.

Locris & Crotone nunquam fuit pestilentia.

Licinio Crasso & C. Cassio Longino Coss. Casini puer factus est ex uirgine.

Licinius Mucianus apud Plinium prodit uisum à se Argis Aristontem, cui nomen Arestusæ fuisse. nupsisse etiam, mox barbam & uirilitatem peruenisse, uxoremq; duxisse.

Plinius ipse ait se uidisse in Africa mutatum in marē die nuptiarum L. Cossicum ciuem Tisdritanum.

M. Curius & Cn. Papirius Carbo cum dentibus nati sunt quo etiam modo nata est Valeria.

Filius Prusiæ, Bithyniorum regis, in superna oris parte habuit os unum continuum uice dentium.

Risit eo die, quo genitus est, Zoroastres, eique cerebrum ita palpitauit, ut impositam repelleret manum.

Orionis corpus XLVI. cubitorum in abrupto quodam mó te Cretæ repertum est.

Eutimenis filius triennio in III. cubita adoleuit.

C. Mecœnas ultimo uitæ triennio somnum oculis non uidit ullo horæ momento.

Reuixit in rogo Auiola consularis, crematus tamen: quoniam præualente flamma subueniri non potuit.

Cælius Tubero prætura functus relatus est à rogo.

Hermotinii Clazomenii anima relicto corpore errabat,

& uaga è longinquo multa enunciabat.

Corbidius funere locato reuixit, & locatorē funeris extulit.

Non est alienum à miraculo, Elephantibus intellectum esse sermonis patrii, & obedientiam, officiorumq; (quæ didicerint) memoriam; item amoris & gloriæ uoluptatem, Solis & Lunæ uenerationem. regem adorant, genua submittunt, per funes ambulant. Mutianus apud Plinium testis est fuisse quendam, qui ductus litterarum Græcarum didicit, atque hæc scripserit: Ipse ego hæc scripsi, & spolia Celtica dicaui.

Copas apud Plin. scribit Demarchum Parrasium in sacrificio (quod Arcades Ioui Lycæo humana hostia faciebant) immolati pueri exta gustasse, & in lupum se conuertisse, ac decimo demum pòst anno pristinæ restitutum formæ.

Suffossum à cuniculis in Hispania oppidum, à talpis in Thessalia, à ranis ciuitatem in Gallia pulsam, à locustis in Africa, ex Gyaro insula à muribus fugatos, Amyclas à serpentibus deleta adscribendum est miraculo.

Cecinna Volaterranus equestris ordinis captas hirundines uictoriæ nuncias amicis mittebat, in eundem nidum postea remeantes.

Philarchus apud Plin. testis est, Aspidem in Ægypto fuisse, quæ ad mensam cuiusdam uentitans, ibidem sit enixa catulos. quorum unus quum hospitis filium occidisset, re cognita, mater extremum de eo supplicium sumpserit, nec postea redierit in tectum.

Nicolaus quidam, Calapiscis cognomento, ex Apulia oriundus, ita à puero urinationi insueuerat, ut postea inter marinas belluas remaneret illæsus dies multos.

Albertus Magnus scribit mulierem fuisse in Colonia Agrippina, quæ per dies XXX. durauerit sine cibo. fuisse item uirum melancholicum, qui captiuus in carcere septem hebdomadas ieiunus manserit.

Cicero apud Plin. testis est in nuce inclusam Iliada Homeri carmen in membrana scriptum.

Achemenis herba coniecta in hostes, facit eorum agmina trepidare, & terga uertere. Plinius.

Pyrtho regi pollex fuit in dextero pede, cuius tactu Ly

enosis medebatur.

Albertus Magnus scribit quandam fuisse mulierẽ in Germania, quæ LX. filios peperit, quodlibet partu quinque, quorum nullus ad dimidium annum peruenerit.

Alterius meminit Auicenna, quæ duos & XX. abortiuos ediderit.

Ion Chius prodit apud Cælium, Herculem fuisse triplici dentium serie.

Ferunt vetustissimum quendam fuisse Marin nomine, antica corporis parte humana, postica uerò equina, qui equũ primus inscenderit, annos CXXIII. vixerit, ac ter mortuus, ter itidem reuixerit.

Anates Ponticæ venenis uiuunt.

Matreas feram habebat, quæ semetipsam uorabat.

Fuit quispiam nomine Philinus, qui tota uita nullo usus est potu, nullo cibo præterquam lactis.

Smyndirides Sybarita dicebat, se nec orientem uidisse Solem, nec occidentem annis plus minus uiginti: quod etiam de se prædicabat Ponticus Hestieus.

In Co insula ouis de grege cuiusdam Nicippi leonem peperit, præter ritum naturæ, quod Nicippi tyrannidem portendebat, quam mox assecutus est.

Græci Aesopum, Herculem, Tyndareum & Glaucum reuixisse dicunt.

Abaris fuit Hyperboreus, qui per uniuersum orbem terræ sagittam circumtulit, nihil omnino comedens.

Quo tempore Bocchorus Dynastes præerat Aegyptiis, agnum locutum ferunt.

Cælius ait se duorum ferè stadiorum spatio à mœnibus urbis patriæ uidisse cornicem albam, capite nigricãte. hinc Cornix alba, prouerbio dici solet, res inuentu rara.

Sunt qui ueritate & historiæ tribuant Gryllum à Circe deformatum fuisse in brutum.

Aelianus prodit ceruum à Ptolemæo Philadelpho ita educatum, ut Græcè loquentẽ magistrũ perspicuè intelligeret.

In partem miraculi pono, quòd Scipio Africanus annis LVI. nihil emerit, nihil uendiderit, nihil ædificauerit, libras argenti XXXIII. auri tres tantùm moriens reliquerit, cuius

cuius tamen potestate victa fuerat Carthago.

Plutarchus in lib. de Oraculis scribit Cleonem ex Dauliæ multos quibus vixerat, annos nulla vnquam insomnia vidisse. quod & Trasimedi contigit.

Theon Stoicus dormiens passim ambulabat, quo etiam morbo laborauit seruus Periclis, adeò vt dormiens in summa tecta reperet.

Scribit Cælius Buddam, gymnosphistarum principem, è lacte suo virginem generasse.

Ferunt & principem philosophorum Platonem natum de virginis partu, Perictione eiusdem matre Apollinis oppressa phantasmate.

Amore lasciuo & Venereo puellam vrsus adamauit. vide in capite de Hominibus adamatis à brutis.

Herodotus in Euterpe ait suo tempore hircum palàm coiuisse cum muliere.

Xerxe in Græciam copias parante mula peperit mulum, masculis, femineisq; genitalibus.

Ex vna mure genitos CXX. Item apud Persas prægnantes in vtero parentis repertas scribit Plin. lib. 10. cap. 95.

Euriphæus Cyreneus habuit in superiore maxilla vnicũ os continuum vice dentium.

Timarchus, Mestoris Cyprij filius, habuit vtrinque geminum dentium ordinem.

Agrippina Claudij Cæsaris vxor turdum habuit imitantem sermones hominum, quo tempore Plinius historiam suam scribebat.

Habebant & Cæsares iuuenes Sturnum & Luscinias Græco Latinoq; sermoni assuefactas, & assiduè noua loquentes, longo etiam verborum filo.

Atys Crœsi filius semestris locutus est in crepundiis, dum videret hostilem gladium paterno imminere iugulo.

Fausta mulier è plebe Ostiæ duos mares ac totidem feminas vno edidit partu.

In Labra, Iouis Gnydij fonte, anguillæ vescuntur manibus humanis, & additas inaures accipiunt.

Idem faciunt in Cabura, Mesopotamiæ fonte.

In Lymira, fonte Liciæ Apollini sacro, ter fistula quo-

cati pisces ad augurium veniunt, & abiectas carnes diripiũt.

Hierapoli Syriæ in lacu Veneris vocati parent ædituorum vocibus, ornati auro veniunt adulantes, & scalpendos se præbent.

Cornelius Ruffus, Manij Curionis in consulatu collega, dormiens excæcatus est, quum id sibi accidere somniaret.

Echeneis pisciculus nauem quamlibet impetuoso ventorum flatu agitatas remoratur, si carinis adhæreat.

Formicæ viuæ mortuas sepeliunt magna in suam speciem caritate.

Lacydi philosopho anser perpetuus adhæsit comes, ab eius latere nunquam discedens.

Circa fontem Gangis populi sunt Astomi sine ore, corpore toto hirti, vestiti frondium lanugine, halitu tantùm viuentes & odore, quem naribus trahunt.

Zoroastres annis viginti caseo vixit in desertis.

De Miraculis Aquarum loquemur in capite de Fluuiis.

Eo tempore, quo Veturia Coriolanum filium ab obsidione vrbis reppulit, Fortunæ muliebris simulacrum bis locutum est.

Seruii Iulij statua, quum ædes Fortunæ conflagrasset, inuiolata permansit.

Pamphilius Phæreus cæsus in acie, decem diebus iacuit, biduoq; postquã inde sublatus esset, impositus rogo reuixit.

Vxor Nausimenis Athenien sis quum liberos in incestu deprehendisset, horrore facinoris permota vocem amisit.

Egles, Athleta Samius, quum videret sortitionem inter socios non bona fide fieri, indignatione motus, vocalis factus est, quum semper antea fuisset mutus.

Gorgias Epirota in funere matris suæ vtero elapsus, lectum ferentes consistere coegit inopinato vagitu.

Iasonem Pheræum quum per insidias nescio quis inferendæ mortis animo percussisset, vomica eum liberauit, quæ nullis medicorum artibus curari potuerat.

Daphidas sophista quum irridendi causa Apollinem Delphis consuluisset, an equum inuenire posset, quum prius nullum habuisset: accepit ab oracolo, inuenturum equum, sed quo deturbatus periret. inde quum neglecto per calumniã oraculo reuerteretur, incidit in manus Attali regis, quẽ contumeliosis verbis absentem plerunque momorderat. eius itaque iussu præcipitatus est è saxo, cui nomẽ erat equi.

Philippus rex Macedonum monitus ab oracolo, vt caueret à quadriga, toto regno diuiungi currus imperauit. postea tamen interfectus est gladio Pausaniæ, in cuius manubrio cælata erat quadriga.

Direptina Mithridatis filia duplici dentium ordine deformata est.

Lynceus oculorum acie tam longè contendit, vt egredientes Carthaginienſiũ naues, è Lilybæo portu inspiceret.

Aristomenes Messenius ab Athenien sibus ob calliditatẽ dissectus, repertus est hirsuto & piloso corde.

Antipater Sidonius omnibus annis eo die, quo genitus erat, febre laborabat, qua ad extremum consumptus est eodem natali suo.

VENEFICI.

Circe Solis & Persæ nymphæ filia, quum venefica esset peritissima, poetarum fabulis dicta est commutasse socios Vlyssis in porcos. habitauit autem non procul à Cuета Campaniæ vrbe. Virg. in Bucc. Carminibus Circe socios mutauit Vlyssis. Tibul. lib. 2. Quidquid habet Circe, quidquid Medea venen.

Vmbro fuit sacerdos, e gente Marrubiorum prope Fucinum lacum habitantium, adeò peritus veneficij, & herbarum potens vt hydros sopiret, & innocuos serpentes tractaret manibus. Virg. libro 7. Quin & Marrubia venit de gente sacerdos, &c.

Medea filia Aeetæ regis Colchorum & Ipseæ, ac soror Circes, multarum herbarum ac radicum vires inuenit, eãq; artem didicit à sorore, & adeò exercuit, vt tauros flammã faucibus eructantes, draconemq; peruigilem aurei velleris custodem sopiuerit, ne rapturo vellus ipsum Iasoni incommodarent. quo beneficio permotus Iason, eam sibi copulauit vxorem. vbi autem ambo in Thessaliam peruenerunt, Medea Aesonem patrem Iasonis iam senio confectum, suis artibus reduxit ad iuuentutem. nihilominus Iason obsequi

oblitus, eam postea repudiauit, & Creusam filiam Creontis regis Corinthiorũ superinduxit. qua ingratitudine permota Medea nouæ nuptæ, dissimulato odio, pallam venenis infectam muneri misit; quam quum illa induisset, subito flagrauit incendio, pariq; exitio perierunt Creon & eius regia. quo facto Medea filios ex Iasone susceptos laniauit palàm; demũ à draconibus in aerem subleuata Athenas deuolauit, ibiq́ue iterum nupsit Aegeo, cuius filium Theseum potauit Cerberi spuma; ac demum nubes carminibus excitauit, quibus cum Medo filio (quem ex Aegeo susceperat) inuoluta peruolauit in Asiam. Hæc sunt notissima omnium Medeæ veneficia. Ouid. lib. 7. eam inducit loquentem, vbi artis suæ peritiam fatetur deos omnes alloquens, vt Aesonẽ iuuentuti restituat. Tuq; triceps Hecate, quæ cœptis conscia nostris, &c. Idem in Epist. Barbara narratur venisse venefica tecum. Propertius lib. 2. Non hic herba valet, nó hic nocturna Citæis. Non per Medeę gramina cocta manus. Idem libro 3. & Val. Flac. lib. 8. Contra tartareis Colchis spumare venenis, Cunctaq; Lethæi quassare silentia rami Perstat. Plin. lib. 25. certè quid non repleuere fabulis Colchis Medea, aliæq;?

Mycale nomen est veneficæ mulieris apud Ouidium lib. 12. scribentem: Mater erat Mycale, quem deduxisse canendo, Sæpe reluctantis constabat cornua Lunæ.

Erictho maga fuit Thessala multis ueneficiis famosa: de qua Lucanus lib. 6. Hos scelerum ritus, hæc diræ carmina gentis, Effera damnarat nimiæ pietatis Erictho, &c.

Si quis appetit uidere graphicam ueneficæ artis narrationem, uideat apud eũdem Lucanum. nemo Latinorum poetarum melius rem aperuit.

Dipsas nomẽ est vetulæ veneficæ apud eundem Ouidium lib. 1. Elegiarum scribentem:

Est quædam, quicunque volet cognoscere lenam,

Audita est quædam nomine Dipsas anus, &c.

Pasetes fuit quispiam præstigiarũ & magiæ peritissimus, qui suis incantamentis faciebat, vt repente conuiuium omnibus epulis instructissimum appareret. rursus quum volebat, omnia iubebat euanescere. quum quid emebat, pretium, & nummus redibat à venditore ad emptorem. Erasmus in explanatione illius adagii, Pasetis semiobolus.

Exagonus legatus Oblogenum (qui populi sunt in Cypro) quum Romam venisset, ibiq́ue de herbarum viribus multa differeret, volens coniectus est à consulibus in doliũ plenum serpentibus experimenti causa, vbi serpentes ipsi non solùm non eum mordebant, at etiam demulcebant linguis. Plin. lib. 28.

Eriphila venefica fuit, & fascinatrix, quæ quum aliquod animal aspiciebat, illi accidebat mali quidpiam. hinc adagium, Anus Eriphus: in mulierem excantatricem.

Locusta apud Cor. Tacitum nomen est mulieris venefiæ, quæ boletos venenis infecit, quibus Agrippina Claudium maritum suffocauit. Capitur etiam Locusta pro quacunque venefica. Iuuen. Saty. 1. Instituitq́; rudes melior Locusta propinquas.

Guthrune fuit venefica, quæ suis incantamentis plerosque excecauit, nulla morbis causa apparente.

Onomacritus sortilegus fuit apud Athenienses, & Musæi socius, quem Hipparchus Athenis expulit. Herodotus in Polyhymnia.

Marsi populi Italiæ, à Circe oriundi, herbarum vires & veneficia apprimè calluerunt: vnde Syllius lib. 8. ac Marsi ea pubes, Et bellare manu, & Chelydris cantare soporem Vipereumque herbis hebetare, & carmine dentem, &c. Gellius libro 16. cap. 11. Gens in Italia Marsorum, orta fertur à Circes filio Marso. propterea Marsis omnibus vi quadam genitali datum, vt serpentum virulentorum domitores sint, & incantationibus herbarum succis faciant medelarum miracula.

Psylli populi fuerunt in Africa Nasamonibus contermini, quorum terra quũ austri flatu exaruisset, collecto exercitu sumptisq; armis, in austrum ipsum, perinde ac hostem profecti sunt. contrà verò ventus magno spiritu occurrens, eos omnes arenarum cumulis adobruit. quod pri us, quàm accidisset, ferunt eos eadem vi & potentia in veneficiis præditos fuisse, qua & Marsos. De Psyllis Plin. lib. 7. sic ait: Horum corpori ingenitum fuit virus exitiale

serpentibus, ex cuius odore sopirent eas.

Crates Pergamenus apud Plinium testis est Ophiogenes populos esse in Hellesponto, serpentum ictus contactu leuare solitos, & manu imposita venena extrahere corporibus.

Populi sunt in Triballis & Illyriis, qui visu effascinant & interimunt quos diutius intuentur iratis præcipuè oculis. huius generis & potentiæ sunt feminæ in Scythia, quæ vocantur Vitiæ.

Canidia Neapolitana fuit vnguentaria, fascinatrix & venefica. Horatius in Epod. An mulas Canidia tractauit dapes. Idem canidia brenibus implicata viperis, Crineas & incomptum caput, Iubet sepulcris caprificos erutas, Iubet cupressos funebres, &c.

Apud eundem Sagana, Veia & Folia, nomina sunt veneficarum, quæ Varum puerum prætextatum suis veneficiis incantarunt. de Sagana sic inquit, At expedita Sagana per totã domum Spargens auernales aquas, horret capillis. De Veia: Abacta nulla Veia conscientia, Ligonibus duris humum Exhauriebat, ingemens laboribus. De folia: Non defuisse masculæ libidinis Ariminensem Foliam, & otiosa credidit Neapolis.

De Mœri venefico Virgilius in Buccolicis sic ait: Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena Ipsa dedit Mœris, nascuntur plurima Ponto: His ego sæpe lupum fieri & se condere siluis Mœrim, sæpe imis animas excire sepulcris, Atque satas aliò vidi traducere messes.

Thracia fuit nympha saga & fascinatrix, quæ propter peritiam herbarum & veneficiorum habita est loco numinis apud Thraces, quorum etiam regioni dedit nomen.

Neuri populi fuerunt in Scythia, incantatores maximi, vt qui ex hominibus in lupos se verterent. Herod.

Choatræ populi, quos Plinius circa Mæotim locat, fuerunt etiam incantatores maximi. vnde Val. Flac. lib. 6. Argon. Centoras, & diros magico terrore Choatras.

Apud eundem Choastes nomen est venefici, vbiait: Maximus hos inter Stygia venit arte Choastes.

Harcalo ueneficus fuit, qui innocuos leones impunè attrectabat manibus. Syllius lib. 1. Harcalo non pauidus fœtas mulcere leænas. Apud eundem Atyr nomen est incantatoris, qui serpentes solo tactu sopibat, de quo sic ait, Nec non serpentes diro exarmare ueneno Doctus Atyr, tactuq; graues sopire Chelydros Ac dubiam amoto sobolem explorare Ceraste:

Paryſatis, mater Cyri, famulam habuit Gygem nomine, qua vtebatur ad veneficia.

Porrò uenefici apud Persas hac pœna legibus puniebantur: ampla erat petra, in qua capita eorum imposita alia petra feriebant, quoad faciem & caput infregissent. quo mortis genere Gyge interiit. Plutarchus in Artaxerxe.

Veneficarum autem uis est, ut suis cantibus homines in porcos commutent, fruges excantent, scabiem, & uelut pestem quandam armentis eorum, quos oderunt, immittant, herbas cogant arescere, mentes illaqueent, oculos fascinent, membra illigent, manus & pedes sic perstringant, ut suum satis officium nequeãt facere, durescere faciant limum, ceram liquescere, quosdam tabescere sensim emorientes, umbras sepulcris eruere, accersere cacodemones, deducere lunam cælo, & alia relatu mira, & creditu difficillima facere. cuiusmodi sunt ea, quæ Tibullus memorat lib. 1. dicens: Hanc ego de cælo ducentem sidera vidi, &c.

MAGI, ET ALII VENEFICI.

CEtieus magus fuit, cuius augurio Bocrebistarex Getarum Romanos vicit.

Dardanus fuit sceleratissimus quispiam magus, à cuius nomine artes magicæ vocantur Dardaniæ. Columella: At si nulla valet medicina repellere morbum, Dardaniæ ventunt artes. Hinc etiam Dardanarij dicuntur propolæ, qui omnia præemunt, vt carius postea vendant; Latinè reuenditores. hic Dardanus libros de magia scripsit, quos in sepulcro fertur constituisse. eos Democritus editis commentariis illustrauit, disciplinãq; ex illis reconditã accepit.

Conuenit inter auctores, magicam artem in Perside à Zoroastre inuentam, qui etiam centum millia versuum de ea scripsit, quæ Hermippus commentariis explanauit. præcipuum in ea vanitate habuit Zoroastres Agonacem, qui alii

quot annorum millibus floruit ante bellum Troianum, auctore Plinio. nam, si vera est cosmographorum supputatio, Troia capta est annis 4020. post mundi creationem.

Plinius inter primi sęculi magos recenset, Apuscorum & Zaratum Mœdos, Babylonium Marmaridium, Hippocum Arabem, & Assyrium Zarmocenidam, quorum tamen nulla extant monumenta.

De magia etiam commentatus est Hostanes, Xerxem regem Persarum bellum inferentem Græciæ comitatus. cuius artis semina adeo diffudit, vt quacunque commearet, inficeret, & interficeret plurimos.

Pythagoras, Empedocles, & Democritus ad eam perdiscendam exsilium patriæ sibi proposuerunt, quam reuersi prædicauere, & velut mysterium aliquod in arcanis habuere. de ea etiam scripserunt Apollonices & Captidenes, quorum opera Democritus suis commentariis locupletauit circa bellum Peloponnesiacum.

Plinius ait aliam fuisse magicæ artis factionem, quam exercuerit Moses, sed multis annis post Zoroastrem.

Fuit & Hostanes secundus Alexandri Magni comitatu exornatus, qui huic arti auctoritatem & incrementum addiditprofessione. eam etiam apud Gallos exercuerunt Druydæ eorundem philosophi.

Plinii temporibus Britanni tantis cæremonis eam celebrabant, vt dedisse Persis uideri possent, quibus tamen eius artis commentum refertur acceptum. nunc apud Christianos iam desinit ea uanitas.

Tyridatem Regem Armeniæ magum fuisse indicant verba Plinii, qui ait: Neronem ab eo cenis magicis initiatum, adeò vt maior citharæ aut cantus libido non ei fuerit, quàm eius artis.

Ferũt & Apollonium Tyanæum arte magica insignem fuisse, teste Lactantio: adeo, ut cum Domitianus eum punire vellet, repente in iudicio non comparuerit.

Medaurensis quoque Apuleius non aliam ob causam fingitur commutatus in asinum, quàm ob earum vanitatum peritiam.

Cobares natione Mœdus, magicæ artis professione celeber habitus est, quo tempore Alexander bellum mouebat in Bactrianos. Curtius lib. 6.

Aegyptii crediderũt Amphiona Thebanum magicæ artis peritum fuisse, ac propterea factam esse fabulam de arboribus, auritisq; scopulis eius cantui obtemperantibus.

Simon Samaræus magicis artibus & ope dæmonũ suffultus, egregiè adeò Romanos lusit, & fascinauit, vt pleriscque fecerit se numen, meruerituq; inter duos pontes simulacrum, hoc titulo: SIMONI DEO SANCTO.

Gobrias fuit magus, à quo Socrates multa didicit de pœnis animarum, & beatitudine. idem dicebat, mortalium animas in occultiorem locum sub terram demigrare, in quo Iunonis esset regia. Crinitus cap. 11. lib. 5.

Craca mulier, Thor, & Othinus, nomina sunt magorum apud Saxonem. quorum illa (vt ait) appositas dapes in aliarum rerum formam commutabat, hi ludificatis idiotarum mentibus, diuinitatis fastigium sibi arrogabant.

Cynops magus fuit, qui, Ioanni resistens, fingebat se suscitare mortuos, & dæmonibus colloqui in Pathmo insula, quæ est vna ex Sporadibus. Mirandula in hymnis: Et Cynopem magiæ confusum dispulit altæ Mentis Ioannes.

Arnuphis Aegyptius philosophus, arte magica & dæmonum præstigiis in aera se sublimabat. idem tempore M. Antonii principis, quum Romanorum exercitus aquarum sitiret pœnuria, imbrem cum fulgure & tonitru æstiuo tempore fertur suscitasse.

Iosephus lib. 8. antiquitatùm scribit, Salomoni à Deo concessum fuisse, vt artem contra dæmones ediscceret ad hominum salutem; curationes item instituerent, quibus ægritudines possent mitigari. quam edoctus artem Eleazarus, spectante Vespasiano, eos curabat, qui à dæmonibus vexabantur. Porrò vim artis magicæ Ouidius exprimit his verbis: Carmine læsa Ceres sterilem vanescit in herbam, Deficiunt læsi carmine fontis aquæ. Ilicibus glandes, cantà tollit vitibus vua Decidit, & nullo poma mouente fluunt. Quanto autem in pretio fuerit primis sęculis, vide apud Plin. lib. 30. nat. hist. cap. 1.

ANax imãder Milesius, Thaletis discipulus, sphæram construxit, horologium & gnomonem inuenit, cõuersiones solis notauit & æquinoctia. Plin. lib. 2.

Apollonius Tyanæus scripsit libros de astrologica diuinatione quattuor.

Eudoxus Gnydius, nobilis fuit astrologus, Platonis æqualis. scripsit poetice de astrologia. habuit etiam cum astrologia geometriam quoque & medicinam.

Iulius Hyginus familiaris Quinctiliani scripsit de mũdi & sphæræ ratione, præterea de signis cælestibus libros iv. item commenta rios in Virg. qui non extant, & librũ nomine Gromaticon, de modo obsidendarũ vrbium & castrorũ.

Conon mathematicus, Aegyptius natione, libros de astrologia septem reliquit. de hoc Virg. in Bucc. In medio duo signa Conon, & quis fuit alter, Descripsit radio totum qui gentibus orbem. Hic quum vellet inire gratiam Ptolemæi regis, dixit crinem reginæ Berenices in cælo collocatum.

Architas Tarentinus Mechanica primus exposuit, & in geometria cubum inuenit. ab eo descendit Horus etiam in astrologia clarus. de vtroque & Conone Prop. lib. 4. Me creat Architæ soboles Babylonius Horus, Horus & à proauo ducta Conone domus.

Babylonii primi omniũ astrologiam dicuntur inuenisse, omnemq; curam in contemplatione siderum collocasse. Lucretius lib. 5. Vt Babylonica Chaldæũ doctrina refutans Astrologorum artem. Ab his Græci polum, gnomonem, & duodecim horas diei didicerunt.

Hipparchus Nicæus scripsit de stellis fixis, de lunæ motu contra Platonem. instrumenta mathematicis inuenit, de hoc Plinius lib. 2. cap. 12. & 26. loquitur.

C. Manilius Antiochenus, primus poetarum Latinorum astrologiam versibus aggressus est, quod opus nuncupauit Augusto, Hipparchum, Eudoxum & aratum secutus.

Manethus Aegyptius scripsit physiologiam & astrorum effectus versibus. Cœlius l. 11 cap. 67.

Meson astrologus Atheniẽsibus in expeditionem Siciliæ nauigaturis tempestatem prædixit futuram. atq; etiam insanum se finxit, ne cum eis traheretur inuitus.

P. Nigidius Figulus secta fuit Pythagoræus, astrologiæ & medicinæ peritissimus. de quo Lucan. lib. 1. At Figulus cui cura deos secretaq; mundi Nosse fuit, quem non stellarum Aegyptia Memphis Aequaret visu, numerisque mouentibus altra.

Oenopides Chius astrologus dedicauit in Olimpia æreũ libellum, in quo magnum annum prædicabat.

Palamedes, Naupli & Climenes filius, quum esset astrologiæ peritus, annum mensesq; ad cursum Solis apud Græcos accommodauit; primusque visam multorum metu in castris eclypsim, dixit rem esse naturalem & minimè timendam.

Protagoras, Diogene teste, fuit astrologus, in quem Euphorion scripsit Epicedium.

Ptolemæus Aegyptius (qui floruit Antonini tẽporibus) in astrologiæ scientia antiquos omnes æquauit. primus apud Grecos cæli rationem omnem explicuit, inuentaque ab Hipparcho instrumenta, clarius illustrauit. edidit compositionem illam, quam Almagestum vocant. scripsit & de aliis permulta.

Sulpicius Gallus in exercitu Paulli Æmilij contra Persem, deprehensam noctu eclypsim Lunæ mirantibus militibus enarrauit. Plinius cap. 12. lib. 2.

Thales Milesius astrologiæ secreta penetrauit omnium primus. Solis eclypsim prædixit, & de Vrsa minore disseruit.

Theon philosophus Alexandrinus scripsit de astrologia & commentarios in Ptolemæum, item paruum astrolabium.

Ideo poetæ fingunt, Atlantem cælum humeris sustinuisse, quòd siderali scientia clarissimus exiterit. sunt enim qui sphæræ inuentum eidem referant acceptum.

Cæli signa primus dicitur aperuisse Cleostratus. Plinius.

Sidus Veneris, quod nascentem Solem præuenit, & in ortu Lucifer, in occasu refulgens nuncupatur Vesper, primus Pythagoras enarrauit, eiusque docuit naturam.

Lunæ rationem & naturam primus deprehendit Endymion. hinc poetæ fabulati sunt eum à Luna fuisse adamatũ.

Anaxagoras scientia cælestium litterarum prædixit, quibus diebus saxum casurum esset è Sole, anno secundo Olympiadis 78. quod & factum est ad Egos flumen Thraciæ. Plin. cap. 60. lib. 2.

Eius quoque artis peritia Pherecydes Sirius, hausta è puteo aqua, futurum ibidem terræ motum prædixit.

Beroso ob sideralium rerum peritiam, diuinasq; prædictiones, statuam inaurata lingua posuerunt Athenienses in publico gymnasio. Plinius lib. 7. cap. 37.

Sosigenes fuit astrologus, quem Cæsar dictator annos vi tio pontificum per intercalandi licentiam turbatos, ad Solis cursum redigens adiutorem sibi adhibuit. Plinius libro 18. cap. 25.

Melon nomen astrologi apud Plutarchum in Nicia, qui quum esset militiæ, videretq; pessimè suæ parti futurum, insaniam mentitus est, atque etiam domum incendio dedit, vt missionem & militiæ vacationẽ impetraret. Plutarchus in uitis Alcibiadis & Pyrrhi.

Apud eundem in Alcibiade Metheon ponitur astrologus, qui Athenienſibus in Syracusanos expeditionẽ agitantibus, quum ex astrologiæ disciplina præuideret futuram belli calamitatem, combusta domo, suaque fortuna palàm in concione deplorata, sic populum commouit, vt præter consuetudinem filium suum receperit ab omni militia exemptum.

Tarnutius vir fuit tum philosophiæ, tum mathematicæ in primis studiosus, qui quum in astrologia putaretur excellere, huic imposuit Varro, vt Romuli conceptionem in diem & horam deduceret, inspectisque eius vitæ institutis ac rebus gestis, ex illis consequentiam colligeret, veluti geometricarum propositionum resolutiones præcipiunt. auctor Plutarchus in Romulo.

Suidas apud Budæum ponit Zoroastrem in numero astronomorum, aitque floruisse Nini regis Assyriæ tempore.

Cicero lib. 4. quæst. Acad. ait Polyenum quendam magnum fuisse mathematicum, qui Epicuro postea adhæserit, totamq; Geometriam falsam crediderit.

Necepsus rex fuit Aegyptiorum in astrorum cognitione peritissimus, de quo Ausonius scribit: Quique magos docuit mysteria vana Necepsi. Iulius Firmicus: Necepsus, inquit, imperator iustissimus Ægypti, & astrologus valde bonus, per ipsos decanos omnia vitia, valetudinesq; collegit.

Aratus poeta floruit Antigono regnante, scripsitq; Phenomena Latio iure à Cic. & Cæsare Germanico donata. item multa alia opera, vt docebimus in Poetis.

Sulla fuit mathematicus, qui Caligulæ consulenti de genitura sua certissimam necé appropinquare affirmauit. Nostro sæculo magna litterariæ reip. vtilitate emersit Iouianus Pontanus poeta (parcant mihi, qui solam mirantur & suspiciunt antiquitatem) cum hominibus superioris sæculi citra scrupulum conferendus, qui de Stellis libros v. Meteororum vnum scripsit, eruditè non minus, quàm doctè; quamuis tamen argumentum ipsum ægrè cultum sermonis, & verborum phaleras admittat.

Marullus ait Biliorum fuisse astrologum, extinctum boletis. hęc eius verba: Dum cauet astrologus perituris sideraamicis, Dum sibi boletos non cauet, ipse perit.

GEOMETRAE.

ARchimedes Syracusanus geometriam adeò exercuit, vt ductus aliquando ad balnea, dum ungendus in labro thermulario constitueretur, per corporis vnguenta figuras & liniamenta digito in scriberet. Plut. in vita M. Mar.

Archytas Tarentinus etiam geometriæ operam dedit, in qua discipulum habuit Platonem. primus mechanica exegit, cubumq; reperit, teste Diogene.

Dicearchus Siculus Aristoclis auditor, geometra fuit ætate sua clarissimus, qui scripsit de rep. Lacedæmoniorũ. hic regum cura montes permensus est, ex quibus altissimũ prodidit Pelion M C C L. passuum ratione perpendiculi, nul lumesse eam portionem uniuersæ rotunditatis colligens. Plin. cap. 67. lib. 2.

Dionysius Afer, ex Byzante ciuitate, scripsit geographiam versibus hexametris, quos Priscianus latinos fecit

Eudoxus Gnydius primus geometriæ rationes difficilesq; demonstrationes per sensum & instrumentorum exempla edidit vnà cum Archita præceptore. quapropter ambo contuicia à Platone passi sunt, quòd Geometriæ dignitatem subuertissent, à cogitatione & rebus incorporeis ad ea, quæ sensibus perciperentur, declinantes.

Eupompus Macedo, Zeusis coætaneus, arithmeticæ & geometriæ fuit peritissimus, sine quibus negabat artem posse perfici.

Marinus Tyrius geographiam scripsit, ex qua Ptolemæus suam detorsit.

Pappus philosophus Alex. scripsit de situ orbis, de fluuiis Africæ, & commentarios in Ptolemæum.

Pausanias Cæsariensis scripsit vniuersæ Græciæ geographiam cum eius historiis.

Polemon Helladicus scripsit de origine ciuitatum, & Lacedæmoniæ geographiam, & de cursu Solis libros tres.

Ptolemæus Ægyptius præter libros de siderali scientia editos, scripsit etiam de geographia.

Scylax Cariandæus (Carianda ciuitas est Cariæ) scripsit circuitum mensuramq; maris extra columnas Herculis. Suidas apud Volat.

Stesichorus poeta fratrem habuit Mamertinum geometram.

Timosthenes præfectus classis Ptolemæi Philadelphi geographus fuit nobilis. scripsit de Portubus libros decé.

Dionysiodorus fuit quispiam geometrica scientia nobilis, in cuius mortui sepulcro affines reperisse dicuntur epistolam eius nomine ad superos scriptam. peruenisse eum à sepulcro ad infimam terram, essecq; eò stadiorum XLII. millia. Plin. in fine secundi.

Leguntur etiam aliorum nomina, qui in hac arte præstiterunt, vt Euclides, Hippias Elæus, Theodorus Cyrenæus, Leodamas Thasius, Eratosthenes, Plato, Proclus, Theon, Nicephorus, Isacius, Censorinus, Boethus.

Geometriam autem inuenerunt Ægyptii in Nili auctu ac dimensione. sita est in phantasia, non opinabili, sed certa ex apparentibus speciebus notitia.

CITHAROEDI, TIBICINES,

cantores, & musici.

Iopas nomen est citharœdi apud Virg. lib. 1. scribentẽ, -cithara crinitus Iopas Personat aurata docuit quæ maximus Atlas. Idem lib. 9. facit Cretea quendam Philomusum & Lyricum, vbi ait: Et Clycium Aeoliden & amicum Cretea Musis, Cretea Musarum comitem, cui carmina semper Et citharæ cordi, numerosq; intendere neruis, Semper equos, atq; arma virum, pugnasq; canebat.

Apud eundem Iapys nomen est auguris & Citharœdi lib. 12. vbi ait, Iamq; aderat Phœbo ante alios dilectus Iapys Iasides, acri quondam cui captus amore Ipse suas artes, suaq; munera dederat, Apollo Augurium citharamq; dabat, celeres quæ sagittas,

Philamon fuit Apollinis filius, clarus cithara. Ouidius libro 11.

Nascitur è Phœbo (namq; est enixa gemellos)
Carmine uocali clarus, citharaq; Philamon.

Dorceus cantu citharæ apud Thraces secundam post Orpheum meruit palmam. Val. Flac. lib. 3. Argon. Protinus insignem cithara, cantuq; fluenti Dorcea, qui dulci festis assistere mensis, Pectine Bistoniæ magnũ post ausus alũnũ.

Linus, Apollinis & Vraniæ filius, Lyricæ musæ fuit peritissimus, in qua magni nominis discipulos habuit, Orphea, Thamiram & Herculem. de hoc Propertius libr. 2. Tunc ego sim Inachio notior arte Lino. Hũc ab Hercule plectro & cithara occisum ferunt, dum cũ rusticius canentem acerbe nimis corripuisset. Cœlius cap. 64. lib. 10.

Arion Methymnæus citharœdus, & poeta Lyricus, dum Lesbon patriam peteret, videretq; insidias, & coniurationẽ parari sibi à sociis (quibuscum nauigabat) propter opes, quas ferebat secum, rapta cithara, nonnihil prius modulans, in mare se coniecit. cuius cantu illectus Delphin, dorso exceptum portauit ad litus, & exemit à periculo. in cuius rei monumẽtum erecta est illi statua cum Græco epigrãmate, quod Volaterranus Latinum fecit hoc modo: Cernis amatorem, qui uexit Arionа delphin, A' Siculo subiens

pondera grata mari . Ouid. lib. 2. Fastorum , de eo abundè meminit . De hoc etiam loquuntur Gellius lib. 16. cap. 19. & Her. in Clio. Ab Arione Lyra uocaꝫ Arionia. Idē Ouid. lib. 3. de Arte . Quamuis mutus erat , uoci fauisse putatur Pisci: Arioniæ fabula nota Lyræ .

Orpheum Apollinis & Calliopes filium poetæ faciunt principem musæ Lyricæ , adeò ut fabulentur delinitas eius cantu arbores, suis se locis exeruisse, sensificatas cautes egisse choros , fluuios cursum cohibuisse , exarmatas feras posuisse feritatem , & alia id genus incredenda . quod ideò factum est; quoniam agrestes & belluino propè ritu degentes homines ad meliorem vitæ cultum redegisset : vnde Horat. in Arte : Siluestres homines sacer interpresque deorum Cædibus & fœdo victu deterruit Orpheus, Dictus ob hoc lenire tygres , rabidosq; leones . Fingitur etiam ab inferis cantu suo exoralse Eurydicen vxorem , ea lege , vt sequentem à tergo non prospiceret prius quàm ad superas auras ambo rediissent . cui legi quum amor nimius stare non permisisset uxorem , Eurydicen demum euanuisse ferunt . Virg. lib. 6. Aen. Si potuit manes accersere cōiugis Orpheus Threicia fretus cithara , fidibusq; canoris. Ab Orpheo Lyra uocatur Hæmonia , Threicia , Orphæa , Bistonia, & Bistonis , quòd Thrax fuerit natione. Ouid. libro 4. Trist. Hæmonia curas attenuasse Lyra . Idem in Epist. Threiciam digitis incre puisse Lyram .

Thamyras citharœdus fuit Thracius Lini discipulus, quē poetæ à Musis fabulantur excæcatum , quòd eas ad certamen cantus irritasset .

Amphionem poetæ fabulantur Lyræ adeò peritum fuisse, ut sequentibus cantum scopulis Thebarum muros condiderit . Hor. in Arte : Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis Saxa mouere sono testudinis , & prece blanda Ducere quò uellet . Martianus Capella : Nam Orpheus , Amphion , Arionq; doctissimi , aurata omnes testudine consonantes flexanimum pariter reddidere concentum .

Hermogenes fuit citharœdus , qui Iulio Cæsari suauitate cantus admodum placuit . apud Martialem nomen est fu ris mapparum . apud Horat. lib. 1. Ser. nomen cantoris, ubi

ubi ait : Vt quamuis tacet Hermogenes cantor , tamen atq; optimus est modulator .

Echion , & Glaphyrus nomina sunt citharœdorum apud Iuuenalem Sat. 6. ubi ait : Accipis vxorem , de qua citharœdus Echion , Aut Glaphyrus fiat pater Ambrosiusq; Choraules. Hic Choraules proprium est nomen uiri fistulicinis.

Hydimeles , nomen est etiam citharœdi apud Iuuenalem Sat. 6. scribentem : Quo tener : Hydimeles operam dedit , hunc tenet , hoc se Solatus , gratoq; indulget basia plectro .

Amœbeas citharœdus fuit castissimus , qui uxorem nunquam attigit .

Anaxenori citharœdo M. Antonius tributa quattuor ciuitatum legenda concessit propter eius artis peritiam .

Antigenides Thebanus fuit musicus & tibicen Philoxeni discipulus , qui calceamentis Milesiis , & lasciuioribus primus usus est. huius meminit Plinius. Idem (ut est apud Ciceronem in Bruto) discipulo frigenti ad populum , dixit : Mihi cane , & Musis . De eo vide nonnihil apud Gellium.

Aristonus citharœdus fuit, qui, quum sexies Pythia vicisset , vt Lysandri amicitiam demereretur , pollicitus est se seruum eius , palam proclamaturum , si denuo vinceret .

Hipparchion & Ruffinus præcipui fuerunt apud Græcos citharœdi , qui quum solennibus ludis inter se certaturi essent , contigit , vt theatri tumultu strepitu commotus & attonitus Hipparchion obticuerit. unde natum prouerbium Mutus Hipparchion . de his , qui repente silent , à quibus tamen grande aliquid exspectatur .

Clinias philosophus fuit secta Pythagoreus, qui si quando ad iram concitaretur , motus animi sumpta protinus cithara leuabat . quod & Achillem fecisse prædicant .

Corœbus filius Atys regis Lidorum in cithara quinctam chordam inuenit .

Eunomius citharœdus Locrensis statuam meruit , quæ insidentem citharæ cicadam habebat . nam quum in certamine , quod cum Aristone regio musico decantu susceperat , chorda vna fracta defecisset , cicada superuolans vocem fertur suppleuisse .

Hippomachus fuit tibicen, qui quum videret à plebe lau

dari discipulum, quem tamen in arte peccare cognoscebat, baculo tactum desistere iussit, dicens, maximum erroris argumentum esse, quòd ab ignara turba laudaretur.

Lasus Herminæus (qui floruit principâte Dario) primus de musica scripsit, & dithyramborũ certamẽ primus protulit.

Marsyas tibicen, Phryx natione, tibiis à Minerua inuentis ausus est Apollinem ad certamen prouocare, à quo victus & excoriatus est. De quo Ouid. lib. 6. Met.

Mymnernus Colophonius, poeta fuit elegiographus, & tibicen clarissimus. Strabo lib. 14.

Nicostratus, & Laodocus citharœdi fuerunt, qui quum in certamen venissent, Nicostratus dixit, Laodocum esse in magna arte paruum, se verò in parua magnum.

Olympius Mysius tibicen citharæ legem dedit, modosq; pulsandi reperit & docuit.

Philistus Milesius, musicæ primùm operam dedit, euasitq; clarissimus tibicen. ad oratoriam demum conuersus, auditor fuit Isocratis.

Phyrnis Mitylenæus discipulus Aristoclidis, primus apud Athenienses pulsauit citharam & vicit Panathenea.

Scylax Cariandæus mathematicus, claruit etiam arte musica.

Simon Magnesius insignis musicus neglecto superiorum musicorum more, Simodiam introduxit, sicut & Lysis Lysiodiam.

Tellen fuit tibicen, qui suauitate cantus sequenti prouerbio locum fecit: Cane ea, quæ sunt Tellenis. quòd optima fuissent.

Timotheus Milesius musicus decimam & vndecimam Liræ chordam addidit, & antiquam musicam in melioré modum mutauit. eius sono excitatum ferunt Alexandrum, & ad res bellicas alacrius euibratum. Meminit huius Cic. lib. 2. de Legib.

Xenophilus musicus fuit, patria Chalcidensis, qui annos CVII. vixit citra vllum corporis incommodum, quæ magna est homini felicitas. Plinius.

Moschus, citharœdus fuit imperitus, qui citra respirationem diu & in longum producebat vocem, neque tamen

sonabat aliquid, quod ad stomachum auditorum faceret. hinc adagium natum, Moschus canens Bœoticum. in multiloquos, & intempestiuos locutores. Bœoticum genus erat cantionis. Erasmus.

Aristocenus genere Italus, patria Tarentinus, cognominatus est musicus, propter peritiam eius artis. Plutar. in Aristotele.

Demodocus fuit citharœdus, quem Homerus inducit canentem in conuiuio Alcinoi regis Phæacum, vbi Alcinous ipse Demodocum vocat diuinum cantorem.

Hismenias tibicen fuit peritissimus, Antigenis discipulus, qui teste Boetho, multis ægritudine laborantibus, omnes animi molestia absterserit. solitus erat gemmis vti fulgentibus & pretiosis, vt ea ostentatione artes musicæ pluris æstimarentur. Antisthenes quum audisset Hismeniam optimum habere tibicinem: At, inquit, est homo nequam. non enim, si probus foret, tibicen esset. Quo dicto musicos arguebat, vt vnguentarios, & ministros voluptatum. Idem fecisse fertur Philippus, qui quum accepisset filium suum alicubi cecinisse, tacitè eum obiurgauit: Non te puder, inquiens, quòd tam benè canere scias?

Hismeniæ æqualis fuit Dionysiodorus & æmulus. Plinius.

Nicomachus fuit etiam musicus, quem Plinius scribit multas gemmas habuisse, sed nulla peritia electas, sed sorte quadam. Aspendius fuit chitharistes, qui omnia sibi intus cecinisse dicitur.

Connа fuit citharœdus, seu lyrista, extremæ sortis, qui deuorato patrimonio factus est pauperrimus, & homo nihili. hinc adagium natum, Connæ calculus. in hominem nullius momenti, cuiusque opinio nihili æstimatur.

Babys frater fuit Marsyæ, quem quum Apollo excoriato Marsya vellet quoque perdere, supplicium deprecata est Minerua dicens: Babym abiectiorem esse, & infelicius canere, quàm vt dignus esset supplicio. Quibus verbis pacem Apollo Babym contempsit, suaq; insciția grauiter satisfactionem credidit. hinc adagium, Peius Babys tibia canit.

Ialemus, Calliopes fuit filius, musicus quidem, sed infelix, & in cantu multum frigidus. hinc Ialemi cantilenam,

pro despicabili, & abiecta posuerunt.

Pronomus tibicen fuit, qui barba vtebatur promissa, & vestitu nimis accurato, adeò vt mollitiei suspectus haberetur.

Plutar. ait Menedemum fuisse musicum, & discipulum Aristotelis.

Lamia mulier fuit ætate Demetrii formosa, quæ tibiis optimè fertur cecinisse, & canendi suauitate magnam apud homines promeruisse gratiam. qua arte sic Demetrium inescauit, vt ille nihil haberet carius, & quod maiorem beniuolentiam persequeretur. Plutar.

Epicles fuit citharista, magno quondam in pretio apud Athenienses, quem Themistocles orauit, vt apud se artem exerceret. volebat enim domum suam à multis frequentari.

Pylades fuit citharœdus, qui quosdam Timothei versus audiente Philopemene cantauit ad citharam. quorum sequens citatur à Plutarcho. Hoc duce libertas Græcas ornauerat vrbes.

Philomelus nomen est citharœdi apud Mart. lib. 3. Plus habuit Didymus, plus Philomelus habet.

Diodorus citharistes fuit tempore Vespasiani, cuius arte princeps delectatus, multis eum donis cumulauit. Marc. Tarpeias Diodorus ad coronas Romam quum peteret, Pharo relicta.

Fuit & Tarpeius citharœdus Vespasiani tempore. auctor Tranq.

Canus, fuit choraules & tibicen, qui multas pecunias accepit à Galba, quum eum in cena delectasset. Mart. lib. 10. Et concupiscat esse Canus ascaules. Tranq. Cano autem choraulæ mirè placenti denarios quinq; donasse prolatos manu sua peculiaribus loculis suis.

Conus fuit alter fidicen, quo preceptore hac in re vsus est Socrates. qui apud Platonem de eo sic meminit: Vnum tamen vereor ne his dedecori sim, quemadmodum Cono Metrobii filio citharistæ, qui me etiam in fidibus docet. pueri igitur condiscipuli me quotidie rident, & Conum ipsum senum magistrum nuncupant.

Eucerus fuit tibicen, natione Alexandrinus, vt est apud Cor. Tac.

Batalus fuit Ephesius tibicen, qui calceamentis femineis primus omnium in scena vsus est, fractisq; cantibus tibiarum artem emolliuit. hinc Batalos vocamus mulierosos, & parum viros homines.

Agathon fuit tibicen, cantilenarum suauitate cõmenda bilis, sed mollitiei nota famosus. ab eo Agathonia cantio dicitur oratio blanda magis, quàm fructuosa.

Carneus fuit citharistes, qui Terpandrum vicisse legitur.

Stratonicus fuit citharœdus, qui habuit in ludo nouem musarũ imagunculas, & Apollinis vnam, discipulos duos propterea interroganti cuidam, quot haberet discipulos? Cum diis, inquit, duodecim. Idem ridere solebat, & cauillis nonnunquam afficere duos alios sua ætate citharistas, Propin Rhodium, & quendam, qui Bos vocabatur, quòd imperiti essent, & rudes in artẽ.

Chrysogonus fuit modulator, qui tanta arte remigum manus dirigebat, vt quum remorum pulsum Chrysogoni cantibus accommodarent, delectabilem & iucundam redderent harmoniam.

Terpãder Lesbius accersitus à Lacedæmoniis q̃ seditioni bus inter se tumultuabantur, suauitate cantus eorum animos adeò deliniuit, vt redirent in amicitiam, & à seditione desisterent. unde Lesbii cãtores primas semper meruerunt Spartanorum iudicio.

Terpnus fuit citharœdus, cuius cantu oblectatum Neronem scribit Tranquillus his verbis: Statim vt imperium adeptus est, Terpnum citharœdum, vigentem tunc, præter alios accersit, diebusq; continuis post cenam canenti in multam noctem assidens paulatim & ipse meditari exercitarique cœpit, nec eorum quidquam omittere, quæ generis eius artifices, vel conseruandæ vocis causa, vel augendæ factitarent.

Macrobius scribit Octauium Herenum fuisse quempiam prima adolescentia tibicinen, qui arti suę diffisus, mercaturam postea instituerit.

Fortissimus Græcorum Achilles musicis cantibus oblectabatur adeò, vt è Chirone Thessalo harmoniam lyricam

voluerit edoceri, qua emergentes animi curas discutere, & pristinæ serenitati restituere se sibi posset. sciebat enim nihil esse vtilius mortalium vitæ, quam remedium habere ad abigendas ægritudines mentis, medullarum & omnis lætitiæ populatrices. de Chirone & Achille Horatius in Epodis: Nobilis vt cecinit grandi centaurus alumno. Vide caput de Præceptoribus virorum illustrium. De Chirone, Sido. Apollinaris: Hos inter Chiron ad plectra sonantia saltans.

Achillem imitatus Alexander Macedo citharæ dedit operam, vt haberet, vnde serias illas de monarchia & principatu meditationes reprimeret quandoque aut exercitio maiore fatigatum corpus subleuaret.

Tonius nomen fistulicinis pagani apud Mantuanum scribentem in Buccolicis: Et cum multifori Tonius cui tibia buxo Tandem post epulas & bocula multicolorem Ventri culum sumpsit, buccasque inflare rubentes Incipiens oculos aperit, ciliisq; leuatis Multotiesq; altis flatu à pulmonibus hausto Vtrem implet, cubito vocem dat tibia presso. Nunc huc, nunc illuc digito saliente vocauit Pinguibus à mensis inuenes ad compita cantu Saltidico, dulcique diem certamine clausit.

Apollinem & Mercurium musicæ & citharæ inuentores faciunt poetæ. unde Ouidius: Me fide conspicuus Troiæ munitor amauit. Val. Flaccus: Musarum chorus, & citharæ pulsator Apollo. Plinius: Item Apollinem citharœdum, serpentemq; eius conficit sagittis.

Pana deum fistulæ repertorem faciunt. Virg. Pan primus calamos cæra coniungere plures Instituit. Eandem ob causam Sidonius Panas vocat cicuticines, vbi ait: Alta Cicuticines liquerunt Mænala Panes: Postq; chelyn placuit fistula rauca Ioui.

Sambucam instrumentum musicum reperit Ibycus Rheginus. De tribus citharœdis omnium præstantissimis meminit Pacificus his verbis.

Orpheus Eurydicen cithara reuocauit ab Orco,
Eq; suis mouit saxa nemusq; iugis.
Pisce fuit pelagus perlongum vectus Arion.

Hac etiam amphion mœnia struxit ope.

Porrò harmoniæ rationem primus extulit in lucem Aristoxenus, repertis etiam instrumentis; deinde Ptolemæus, Nicephorus, & Gregoras. commentatores in ea fuerunt Papus, Theon, Alypius, Gaudentius, Isacius, Apuleius, Boetius.

Lyram trium chordarum inuenit Mercurius Ægyptius, quinctam chordam Coroebus Atys filius, sextam Hyagnis Phryx, septimam Terpander. Lyram primus in Græciam attulit Cadmus, Agenoris filius. lyra plectro & digitis percutiebatur. parum antiquitus differebat à cithara. Hoc instrumentum factum in formam testudinis, vtramq; nunc exigit manum.

Epigeneum instrumentum erat musicum, ab Epigono inuentore dictum. hoc sine plectro pulsabatur chordis XL.

Tosinon chordis XXXV.

Monochordum fuit Arabum, Pentechordum Scytharum Psithryos Libycorum, Psalterium exercebatur in hymnis, Barbiton tetrachordum Anacreontis inuentum in Lyricen.

Psalterio canens vocatur Psaltes, & Psalmicen à Sydonio.

Olim Magada vocabatur à Magado inuentore. Magades apud Anacreontem cithara est XXX. chordarum.

Sambuca soni erat acutissimi, à Sambuco inuentore nominata. Ea vtebantur Parthi, & Troglodytæ,

Tripus præbebat vsum trium cithararum, vt tres citharœdi concordes viderentur pulsare. habebat enim triplicẽ harmoniam.

Cymbala & Crotali agitabantur manibus.

Fuit olim multiplex Tibia: Trenetica, qua vtebantur ad luctus. Thebani eam ex ceruinis ossibus factitabant, Scythæ ex ossibus aquilarum & vulturum, Ægyptij ex calamis. Anthippus in tibiis reperit harmoniam Doricam, & Lydiã, Nicopheles Athenam tibiam sacram Mineruæ.

Odontismus erat quattuor foraminum.

Parœniæ, erant tibiæ, quibus vtebantur in conuiuiis, vt Spondiacæ aptæ erant hymnis, Choricæ, dithyrambis, Hipertelitæ virorum choris, Parathretæ, trenis.

Naulium erat musicum instrumentum, organo simile. Monaulon erat conuiuiorũ. Caulas posuit Philemon. Vola

terranus eas putat, quas hodie Cornumusas vocant. Phœnix fiebat instar Coni galeę. Fistula compingebatur ex cannis, lino, & cæra. Cornibus, Tubis, Lituis, & Buccinis vtebantur in bello, nunc etiam Tympano.

Lacedæmonij instrumẽtis musicis suorum animos ad bellum euibrabant.

Pandura apud Lampridium, nomen est instrumenti musici, quod qui pulsat, vocatur Panduros. Tibicines, Fistulicines, Cicuticines, Psalmicines, Citharœdi, Citharistæ, Lyristæ, Choraulæ, Tympanistæ dicuntur, qui his musicis instrumentis vtuntur.

Iulius Pollux multa instrumenta ad hanc artem facientia enumerat: Inter ea, quæ pulsantur, inquit, sunt Lyra, Cithara, Barbiton, Psalterium, Phœnix, Spadix, Lyrophœnicium, Clepsiambus, Pariambus, Iambice, Scindapsus, Epigoneum, Hypospadius. Cœlius ait Naulum alio nomine Psalterium dici. Fuit & Crembalum organum. De generibus tibiarum vide Cœlium lib. 5. lect. antiq. Capitibus 23. 25. & 26.

TVBICINES.

MIsenum Æolidem Virg. ait fuisse tubicinem Hectoris: mortuo demum Hectore, adhæsisse Aneæ comitem, & tandem à Tritone deo submersum, quòd ad certamen tubæ deos marinos irritaret. Verba Virg. sunt hæc:- atque illi misenum in littore sicco Vt vene re, vident indigna morte peremptum, Misenum Æolidem, quo non præstantior alter Ære ciere viros, Martemq; accendere cantu. Hectoris hic magni fuerat comes, &c.

Triton fertur esse deus & tubicen marinus. Ouid. lib. 2. Metam. Cæruleos habet vnda deos Tritona canorum.

Stentor fuit tubicen in bello Troiano, Homerus ferreã & inuictam tribuit vocem. Iuuen. Saty. 13. Tu miser exclamas, vt Stentora vincere possis, Homerus apud Eraclamum: Stentoris in specie validi, cui ferrea vox, qui Quinquaginta alios æquas clamore sonoq;.

Olympius Phrygius tubicen fuit ætate Midæ regis.

Aglais Megaclis filia tubicinio vitam fouit.

Agyrtes nomen est tubicinis apud Statium in Achil. lib. 1. scribentem: Tecum lituo bonus adsit Agyrtes, Occultansq; tubam tacitos apportes in vsus.

INVENTORES DIVERsarum rerum.

PAn inuenit fistulam. Virg. Pan Primus calamos cæra coniungere plures Instituit.

Minerua oliuam. Virg. lib. 1. Georg. Adsiso Tegæe fauens, oleæque Minerua Inuentrix. Syllius libro 3. Qui virgo (vt fama est) bellatrix edita lympha Inuento primam Libyen perfudit oliuo.

Triptolemus, vel vt alii malunt, Osyris aratrum. Virg. lib. 1. Georg. -vnciq; puer monstrator aratri. Sidonius: Non cum Triptolemo verendam Eleusim, Qui primas populis dedere aristas.

Ceres, cultum terræ, & fruges. Virg. lib. 1. Georg. Prima Ceres ferro mortales vertere terram Instituit, quum iam glandes, atque arbuta sacræ Deficerent siluæ, & victum Dodona negaret.

Peletronii Thessaliæ populi fræna. Virg. Fræna Peletronij, Lapithæ, gyrosq; dedere Impositi dorso, atque equitem docuere sub armis Insultare solo, & gressus glomerare superbos.

Belgæ esseda vehicula. Virg. lib. 3. Aen. Belgica vel molli melius feret esseda collo.

Aristeus rex Arcadię apũ & mellis vsum. Virg. li. 4. Georg. Tempus & Arcadii memoranda inuenta magistri Pandere, quondã modo cæsis iam sæpe iuuencis Insincerus apes tulerit cruor. Ouid. inuentum mellis Baccho tribuit lib. 3. Fast. dicens: Liba deo fiũt, succis quia dulcibus idem Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.

Achates, ignem silice excutere. Virg. lib. 1. Aen. Ac primũm silicis scintillam excudit Achates secundum alios Alii. Pyrodes Cilicis filius.

Ægyptii sistrum. Virgil. libr. 8. de Cleopatra: Regina in mediis patrio vocat agmina sistro. Ouid. libr. 3. Eleg. Quid nunc sacra iuuant, quid nunc Ægyptia prosunt Sistra?

Apollo medicinam. unde Ouid. lib. 1. Met. sic loquitur: Inuentum medicina meum est, opifexq; per orbem Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

Ægyptii linum. Ouid. lib. 1. Met. Nunc dea linigera colitur celeberrima turba. Secundum alios Arachne.

Talus puer serram. Ouid. lib. 8. -ferroq; incidit acuto Perpetuos dentes, & serræ repperit vsum Primus.

Iason & Tiphys nauim, secundum ecclesiasticos Noe. Ouid. lib. 1. Met. -primæq; ratis molitor Iason. Tibul. hoc inuentum Tyriis adscribit dicens: Prima ratem ventis credere docta Tyros.

Mercuri⁹ lyrã. Stat. in sil. Vocalis citharæ repertor Arcas.

Græci trochum. Horat. lib. 3. Car. Venariq; timet, ludere doctior Seu Græco iuberis trocho, seu malis vetita legibus alea.

Archilochus iambicum carmen. Horatius in Arte: Archilochum proprio rabies armauit iambo.

Bacchus vinum. Ouidius lib. 15. Victa racemifero lyncas dedit India Baccho.

Zoroastres artem magicam. Stroza pater: Nec Zoroastreas artes, magici ve requiram Carminis auxilium.

Purpuram Hercules. Politianus in Rust. Aut bis in Herculea Milesia vellera concha Versantur.

Alcman poeta carmen amatorium.

Anaximander Milesius horologium & sphæram.

Bizes Naxius tegulas.

Sp. Carbilius grammaticus G. litteram.

Claudius Centinianus R. litteram.

Daphnis pastor carmen Buccolicum.

Palamedes Nauplius ordinem litterarum.

Corax & Ctesias Siculi, artem & præcepta rhetoricæ.

Ibycus Rheginus Sambucam.

Perillus taurum æneum, qui propterea dicitur Perillæus. Ouid. Ipse Perillæo Phalaris permisit in ære Edere mugitus & bouis ore queri.

Pyseus & Ayrrheus æneam tubam.

Phemonoe carmen hexametrum. Politianus: -et Delphica longos Phemonoe commenta pedes.

Simonides Ceus artem memoriæ.

Amphion rationem musicam. Aristeus lactis coagulum.

Atreus Solis eclypsim. Æsculapius dentium euulsionem.

Tregillus quadrigam in Græcia.

Amphitryon somniorum interpretationes.

Anagallis puella ludum pilæ. Palamedes aleam.

Tages artem haruspicinam. Capaneus scalas.

Cadmus lapidicinas auri & metallorum conflaturam.

Cyclopes ferrariam fabricam. Cecrops coniugium apud Athenienses. Dædalus fabricam linguariam, asciam, & perpendiculum. Empedocles artem oratoriam.

Epimetheus statuam ex luto. Etholus iaculum.

Gorgoris mellis vsum apud Hispanos.

Anaximenes vmbrarum rationem.

Cadmus solutam orationem. Belus scientiam sideralem.

Etrusci prætextas vestes.

Idæi Phryges acu vestes facere. Aurum Attalus intexere. Alexandrini colores picturæ intexere. Galli scutulis distinguere.

Fulgius Hirpinus viuaria inuenit. L. Sergius Orata Ostrearum, Licinius Muræna reliquorum piscium.

C. Hirrius murænarum. Deliaci gallinas saginate.

M. Lælius auiaria. Cn. Matius nemora tonsilia.

Argeus agrorum stercorationem.

Numa deorum cultum apud Romanos.

Mercurius Moly herbam, Hercules Heracleon herbam, Mercurius parthenion, Achilles Achilleon, Melampus Melampodion, Teucer Teucrion, Gentius rex Gentianam, Lysimachus Lysimachiam, Iuba rex Euphorbiam, Scythæ Scythicen, Thraces Ischemonem, Vetones Betonicam, Seruilius Democrates Hiberidem, Hirundines Chelidoniam, Canes canariam, Cirnæ Elaphoboscon, Sardonia Peucedanum herbas.

Ancus Martius Salinas. Seruius rex æs signare.

Callias Athenienſis minium.

Asinius Pollio bibliothecam apud Romanos. Glycera coronas.

Dibutades plasticen. Græci subdialia.

Annus Ægyptius vsum clibanorum, in quibus panes coquerentur.
Apollodorus pictor vmbrarum imitationem.
Staphilius vinum aqua diluere. Secundū Plin. Aristeus.
Glaucus ferruminationem.
Atracius artem magicam in Thracia.
Attalus tapetes, qui propterea dicuntur Attalici.
Dipelus sculpturam marmoris.
Dithyrambus Thebanus versus dithyrambicos.
Endymion cursum Lunæ. Iphitus Olympiadem.
Melissus rex Cretensis, deorum sacrificia.
Paralus longam nauem.
Pilumnus, Iouis filius, & Dauni pater, pinsendi frumenti usum.
Prometheus ignem in ferula seruare.
Thon apud Ægyptios medicinam.
Thymele mulier saltationem scenicam. Martialis: Quas Thymelem spectas, deriſoremq; Latinum, Illa fronte precor carmina nostra legas.
Ægyptij, uel Cleantes picturam. Rhodij Celocē nauē.
Cinyras tegulas. Ægiptij ciuitatem regiam.
Hostilius rex latum clauum, genus uestimenti.
Crassus coronas argenteas. Danaus puteos.
Bacchus diadema. Nicias artē fullonicam. Closter fusos.
Hanno Carthaginiensis leonum mansuefactionem.
Chiron artem herbariam. Salaminij hyppagium.
Hortensius pauos occidere. Lydi lanas inficere.
Dædalus malum nauis. Thrason muros urbium.
Typhis adminicula nauium. Nero aquæ decoctionem.
Persæ unguenta. Rhadamanthus leges.
Zeno Eleates, & Alexamenes dialogos.
Sp. Coruinus diuortium. Prometheus Boues occidere.
Boetius artem sutrinā. Thales horologiū apud Milesios.
Bacchus triumphos. Cyclopes turres.
Phryges uehiculum quadrirotum. Icarus uela.
Lycurgus munus humandi. Oppidum Cecrops.
Rhadamantus Assyrias litteras: Anubis & Memnon Ægyptias: Phœnices Grecas: Carmenta Euandr mater Latinas.
Copæ populi remum. Plateæ populi latitudinem remi.
Phœlon nummum & mensuras. Vulcanus fabricam.
Minerua artes. Meson comicus personam.
Damon Athenienſis remiſſam harmoniam. Clonas elegiographus tibicinicas regulas, & concentus. Terpander citharœdicas. Polimnestus Colophonius carmina heroica, secundum alios Phemonoe; ut aliis placet, Delphici in honorem Apollinis post interfectum Pythonem. Sabell. Heroica carmina Phœbo Delphica post cesum cecinit Pythona iuuentus Olympius Phryx legem tibialem. Hyanis tibiā lugubrem. Cecrops simulacra. Pelasgus tuguria. Lycaon Lycæa. Rhœcus & Theodorus Samni, artem æris fundendi, & conflandi statuas. Theuth numeros, supputationem, geometriam, talorum & alearum lusum.
Artaxerxes longimanus legem uenationis.
Chalibes ferrum.
Combe puella, Asopi filia, armaturam Aeneæ.
Anacharsis folles, anchoram, bidentem, figuli rotam.
Pyxodorus usum marmoris.
Asclepiades medicus lectos pensiles.
Archytas crepitaculum.
Cresibius hydraulicas machinas.
Pollux palæstram: ad quod alluſit Statius lib. 2. Sil. Siue catenatis curuatus membra palæstris Staret, Amyclæa conceptum matre putares.
Chus filius Cham, idololatriam. Ninus bellum.
Vulcanus fulmen. Pontanus: Tum deus ignipotens inuento fulmine primum Ipse suum miratur opus.
Lydi ludum tesserarum. Darius tributa.
Amazones securim, quæ propterea Amazonia, & Penthesilæa dicitur, & Thermodontia, quòd Amazones ad Thermodontem fluuium habitauerit. Hor. lib. 4. Carminum: Amazonia securi Dextras obarmet. Ouid. lib. 3. de Ponto: Nec tibi Amazonia est pro me sumenda securis. Mitanus in Alphonso. Penthesilæa non inferiora securi.
Cottalus Siculus libare pocula.
Lycaon bellorum inducias.

Prœtus & Acritus clypeos. auctore Plinio.
Loricam Mydias Messenius.
Gladium, galeam, hastam Lacedæmonii.
Ocreas & cristas Cares. Arcũ & sagittam Scythes Iouis, Iaculum cum amento Ætolus Martis filii.
Lanceas Ætoli. Hastas uelitares, & pilum Tyrrhenus.
Piseus uenabula. Scorpionem Cretes.
Catapultam Syri. Ballistam & fundam Phœnices.
Testudines Artemon Clazomenius.
Arietem Epæus repertor machinæ Troianæ.
Turres ambulatorias Diades miles Alexandri.
Equestrem pugnam Centauri. Bygas Phryges.
Ordinem exercitus, signi dationem, & uigilias Palamedes in bello Troiano. Fœdera Theseus.
Sarmenes primus de equitatu scripsit.
Corses primus barbam sibi rasit Alexandrini sæculo.
Alexãder Citherius primus psalteriũ implicuit chordis.
Æginetæ primi nummum cuderunt.
Maris Thessalus primus equum ascendit.
Gregorius Pont. Max. primus se seruum seruorum dei appellauit:
Paulus heremita solitudinem heremiticam inuenit.
Callistus Pont. ieiunia quattuor temporum.
Sinon Græcus speculam. Sidonius mensuras & pondera, regnante apud Solymos Hieroboan.

De litterarum inuentoribus reperti sunt sequentes uersus admodum uetusti, quos Crinitus ait se legisse in bibliotheca Septimana:

Moyses primus Hebraicas exarauit litteras.
Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas.
Quas Latini scriptitamus, edidit Nicostrata.
Abraham Syras, & idem repperit Chaldaicas,
Is arte non minore protulit Ægyptias.
Gulfila prompsit Getarum quas uidemus ultimas.
Ægyptij geometriam inuenerunt.
Dierum natalium obseruationem Chaldæi.
Scapham Libyci.
Sunt & disciplinæ quædã, quarũ inuẽtũ Musis tribuitur.

Clio fertur historias inuenisse, Melpomene tragœdias, Thalia comœdias, Euterpe tibias, Terpsicore psalterium, Erato geometriam, Calliope litteras, Vrania astrologiam, Polyhymnia rhetoricam. De aliis rerum inuentoribus uide Plinium.

DE DEIS.

Dei superni sunt, Dæmogorgon, repertus in uisceribus terræ.

Saturnus, inuentor falcis, cuius sæculo ætatem auream floruisse dicunt.

Iupiter, Saturni filius, quem poetæ cælo præesse pulso parente fingunt, ibiq; fulminare.

Apollo, qui propter interfectos Cyclopes diuinitate priuatus, Admeti regis Thessaliæ pauit armenta. fertur inuentor medicinæ. Triplex est eius potestas: uocatur Sol in cælis, Liber pater in terris, Apollo in inferis. Musis præest, armatur arcu, sagittis & clypeo. Perpetua iuuentus eidem tribuit. Deus est poetarum, vatum & augurum. Genitus fertur in Delo eodem partu, quo Diana.

Bacchus, Iouis filius & Semeles, bis genitus, & fulminata matre natus ex femore Iouis, dictus propterea Femorigena; uinum reperit, vniuersum orbem peragrauit, de belatis Indis primus omnium triumphauit, sacrificas habuit & sacerdotes, quæ dicuntur Bacchæ, Mænades, Thyades, & Dimallonides. perpetuã iuuentutẽ habere fertur vt Apollo.

Mercurius, deorum nuntius, Deus furum, galero & caduceo ornatus, indutus talaria, Deus, facũdiæ, Argi centoculi interfector.

Mars, Deus belli & armorum apud Thraces natus, frater Bellonæ, cuius ministri finguntur Impetus, Discordia, Ira, Furor.

Hercules, monstrorum domitor, armatus clava, exuuium leonis indutus, Iouis & Alcmenæ filius, odiosus Iunoni, cuius mandato portenta subegit, combustus in Oeta propter indutum pallium Nessi cruore tinctum.

Vulcanus, deus ignis, fulmunũ fabricator, maritus Ven.

DEÆ SVPERNÆ.

Cybele, vxor Saturni, vecta leonum iugo Deum matre.

Venus nata maris spuma, dea amorum, vxor Vulcani, mater Cupidinis & Gratiarũ, facibus armata, Ceſto incincta.

Themis, quam Deucalion & Pyrrha conſuluerunt ſuper humani generis reparatione.

Iuno, Saturni filia, Deum regina, maxima cælicolum, coniux & ſoror Iouis, dea diuitiarum, quæ nubentibus præeſt parientibus.

Ceres, dea frugum, Saturni & Opis filia, legum latris apud Siculos, vnde legifera vocatur à Marone.

Minerua, nata ex Iouis cerebro, dea ſapientiæ, diſciplinarum & armorum.

Diana, Iouis & Latonæ filia, dea virginitatis, quæ in cælo Luna, in terris Diana, in inferis vocatur Proſerpina: unde à triplici poteſtate vocatur Triformis. de hac Catullus ait: Montium domina vt fores Siluarumq; virentium Saltuumq; reconditorum, Amniumq; ſonantium, Tu Lucina dolentibus, Iuno dicta puerperis. Tu potens triuia & noto es Dicta lumine Luna.

DEI INFERNI

Pluto, Cerberus, Charon, Minos, Aeacus, Rhadamãthus.

DEAE INFERNAE.

Proſerpina, Megæra, Chimæra, Thiſiphone, Clotho, Lacheſis, Atropos.

DEI MARINI.

Oceanus, Neptunus, Palemon, Pollux, Caſtor, Nereus, Protheus, Phorbas, Melicerta, Glaucus.

DEAE MARINAE.

Amphitrite, Tethys, Doris, & Nereides.

DII NEMORVM.

Fauni, Panes, Satyri, Siluani.

Pan, fingitur Deus paſtorum. Virgilius in Bucc. Pan curat oues ouiumq; magiſtros.

Tethim, deam eſſe maris indicat illud Virgilianum lib. 1. Georg. Teq; ſibi generum Tethis emat omnibus undis.

De Glauco, Panopæa nympha, & Melicerta, deis marinis,

nis, idem Virg. lib. 1. Georg. Votaq; ſeruati ſoluent in littore nautæ, Et Glauco & Panopeæ, atq; Inoo Melicertæ.

Alcinous, rex Phæacum, fingitur deus hortorum, quòd hortos & pomaria diligentiſſimè curauerit. Stat. Quid bifera Alcioni laudem pomaria? Virg. lib. 2. Geor. Pomaq; & Alcioni ſiluæ.

De Protheo deo maris Virg. lib. 4. Georg. Eſt in Carpathio Neptuni gurgite vates Cæruleus Protheus. Aliter vocatur Vertumnus. Prop. lib. 4. Quid mirare meas tot in vno corpore formas? Accipe Vertumni ſigna paterna dei.

Siluanus, Deus eſt pecoris & aruorum. Virg. lib. 8. Siluano fama eſt veteres ſacraſſe Pelaſgos Aruorum pecoriſq; deo.

Pomona, dea hortorum, & pomorum. Ouid. lib. 14. Rege ſub hoc Pomona fuit, quanulla Latinas Inter Hamadryades coluit ſollertius hortos, &c.

Ariſteus Deus mellis unde Ouid. 1. Faſt. Flebat Ariſteus q; apes cũ ſtirpe necatas Viderat inceptos deſtituiſſe fanos.

Flora, dea florum. Ouid. lib. 5. Faſt. Hunc meus impleuit generoſo flore maritus: Atque ait arbitriũ tu dea floris eris.

Carna, dicebatur dea cardinis. Ouid. lib. 5. Faſt. Prima dies tibi Carna datur, dea cardinis hæc eſt, Numine clauſa aperit, claudit aperta ſuo. Hanc deam veteres vitalibus humanis præeſſe opinabantur, petebantq; ab ea, vt iocinora, corda, & alia, quæ ſunt intrinſecus, viſcera ſalua conſeruarentur. huic templum dicauit Brutus.

Hyppona dea erat equorum, quam ſtabularii colebant. eius ſimulacrum locabatur in ſtabulis. Iuuen. Sat. 8. luxat Solam Hipponam & facies olida ad præſepia pictas.

Oſyris, maritus fuit Iſidis, & rex Aegypti, quem à Typhone fratre interfectum Aegyptii in forma bouis coluerunt, & frequenter immerſum aquis, quæſiuerunt cum luctu, vocaueruntque Apim, quæ dictio eorum lingua ſignificat bouem. Tibul. n. 1. Tel. canit atque ſuum pubes mirabitur Oſyrim, Barbara Memphitem plaudere docta bouem. Primus aratra manu ſollerti fecit Oſyris, Et teneram ferro ſollicitauit humum, &c.

Iſis, vxor Oſyris, & Anubis, fuerunt Aegyptiorum nu

mina, quorum hunc canina specie reuerebantur. Lucan. lib.8. Nos in templa tuam Romana accepimus Isim, Semideosq; canes, & c.

Castor, & Pollux, inter numina maris ponuntur. Pli. lib.2. Et ob id Polluci & Castori id numen assignant, eos q̃ue in mari deos inuocant. Catull. Iam prece Pollucis, iam Castoris implorata, Tale fuit nobis Mallius Auxilium.

Angerona, dea à Romanis culta est, quum tota ciuitas angina laboraret. Sacra eius dicebantur Angeronalia. Simulacrum fingebatur digito labris admoto. Plin lib.2. Nam que diua Angerona, cui sacrificatur ad diem XIII. kalen. Ianuarias, ore obligato obsignatoq̃ue, simulacrum habet.

Siluani, rusticorum sunt numina, vt etiam Fauni & Panes. Plin. lib. 12. Quin & Siluanos Faunosq; & deorum genera siluis ac suа numina tanqam cælo attributa credimus.

Veteres Seiam, deam à serendo, & Segestam à segetibus appellabant. simulacra Romæ habuerunt, ætate Plinii.

Agonius Deus dicebatur, qui rebus agendis præerat.

Gallis Romam aduentãtibus, audita est noctu vox quædam, quæ eius rei magistratus monebat. ex eo tempore Aius Deus à Romanis cœpit honorari. de hoc meminit Cic. lib 1. de Diuin. Budæus lib. 4. de Asse: Nempe, inquit, quòd Aius ille locutius, arcanum nihil esse finit eorum, quæ in aula geruntur.

Anculi & Anculæ putabantur dii & deæ ancillarum.

Anaitis dea colebatur à Lydis, eiusq; ministerio nobilitate præstantes puellas dedicabãt, quæ inibi corporis pudicitia in vulgus dat avelut augustiores factæ, mox viri nubũt.

Atergatis dea colebatur à Syriis. Strabo: Trans Euphratem est Bambyce, quam Edessam & Hierapolim vocant, in qua Atergatim Syriam deam colunt.

Deuerrã deã venerabant, vt scopis domũ possent verrere.

Empanda vocabatur dea, quæ rebus patentibus præerat.

Bona dea colebatur à Romanis mulieribus. ab eius sacrificiis arcebantur mares. Tibul. lib. 1. Sacra Bonę maribus non adeunda deæ. Ea fuit Dryas Fauni filia vel vxor, quæ virilem aspectum adeò refugisse fertur, vt nunquam prospecta sit in publico. Maximo opprobrio darum est P. Clodio, quòd eius cæromonias violasset, adulterata Pompeia Q. Pompeii filia, & Syllæ nepte. de hac Iuuenalis: Nota Bonæ secreta deæ.

Priapus Deus & custos hortorum falcem habuisse fingitur, cuius motu aues & furunculos terreret. Colu. Inguinibus puero prædoni falce minetur.

Hymenæum, Veneris filium, & Deum nuptiarum fecerunt. eius laudes Catullus in Epithalamio Iuliæ & Manlii cumulatissimè scribit.

Thalassii numen, Romani etiam in nuptiis inuocabant. Catullus: Lusisti nucibus, lubet iam seruire Thalassio.

Feronia fuit nemorum dea. Virg. Et viridi gaudens Feronia luco.

Fidium, sunt qui Iouis filium dicant à fide. Plaut. Per Deum Fidium credis iurato mihi. Fuit apud ueteres R. in honore maximo, adeò vt templa cum sacrificiis meruerit. cultus est à veteribus in Quirinali iugo nonis Iuniis. Ouid. in fast. Quærebam nonas sancto Fidione referrem.

Lauernam appellarunt deam furum, à qua & Lauerniones dicti sunt fures. Horat. li. 1. Epist. Pulchra Lauerna Da mihi fallere, da sanctum iustumq̃ue videri.

Limentinus Deus præerat liminibus.

Meditrina dea erat medicamentorum, à medendo: eius sacra vocantur Meditrinalia.

Mellonia putabatur dea mellis.

Mena credebatur præesse menstruis mulierum.

Murcea dea, q̃ reddebat homines mulcidos & desidiosos.

Myagrus, erat Deus muscarum. aliter vocabatur Myodes & Achor, vt docet Plutar.

Portunus Deus, qui portubus præerat. aliter vocatur Palemon & Melicerta.

Robigo dea, & Robigus Deus, quos Romani opinabantur à segetibus rubiginem auertere. eorum sacra vocabantur Robigalia.

Salacia dea, dicebatur à concitando Salo. Pacuuius: Hinc fœuitiam Salatiæ fugimus.

Vacuna dea, quæ præerat otiosis & uacantibus. huic sacrificabãt agricolæ, quũ post collectas fruges quiescebãt.

Vallonia putabatur præesse vallibus.

Vitula dea, quæ iuuenili præerat lætitiæ. nam veteres Vitulari dicebant, pro gaudere.

Nundina, erat dea Romanorum à nono die nuncupata, qui Lustricus dicitur. die Lustrico pueris imponebantur nomina, maribus nono, feminis octauo, inquit Macrobius.

Assyrii deo, quem summum habebant & venerabant, Adad nomen dederunt. quæ dictio significat vnum. subiungunt eidem Atergatim deam, de qua iam diximus. his autem duobus omnem rerum potestatem tribuebant.

Dii Palici colebantur in Scilia. horum autem genealogiam Macrobius hunc in modum scribit: Iuxta Symetum Siciliæ fluuium nympha Thalia compressu Iouis grauida, metu Iunonis optauit, vt terra sibi dehisceret. quod & factum est. sed vbi venit partus maturitas, recluſa terra infantes emerserunt.

Hebe Iouis filias, & Herculis vxor, dicta est dea iuuentutis. Catullus, Hebe nec longa virginitate foret.

Fellenus Deus fuit Aquileiensium tutelaris ac præses.

Fro, & Thor nomina sunt deorum in historia Saxonis Grammatici.

Furina significat deam furum. Secundum Etruscos tamen deam sortium ad dirimendas lites.

Horchia erat dea Etruriæ vrbis, cui dicatum est fanum, ab ea vicus Horchianus sumpsit nomen.

Razenna Deus erat Etruscorum, qui coniugiis præerat.

Mania fuit dea & mater larium, cui pro familiarium sospitate mactabātur pueri. uerùm Iuni usBrutus cōsul, hoc sacrificii genus comutauit. nā capitibus allii & papaueris supplicari iussit.

Eanus Deus, qui euntibus præerat, vel deus anni cuius imaginem quum Phœnices vellent exprimere, draconem finxerunt in orbem redactum, caudamque suam deuorantem, vt appareat mundum in se resolui.

Volupta, dea voluptatis credita est.

Stercutius Fauni filius ob artē stercorādi deus habitus est.

Achilles in Epiro olim vt deus colebatur. autor Plutarchus. Eodem teste Oromasdes fuit Persārum Deus.

Rumiliam veteres dixerunt deam, quæ lactantibus adhuc infantulis præerat. nā Ruma dicitē māma. ūde agni subrumi.

Consum appellarunt deum consiliorū, cuius aram sub terra inuentam fuisse dicūt. eius festa vocabantur Cōsualia. Plutarchus in Romulo.

Dice erat dea & præses iudiciorū, quæ lites & contentiones dirimebat. eius ministri uocabantur Dicastæ, quasi litium direptores, Simulacrum Apollonii Tyanei sub Hercu lis Alexicaci nomine constitutum adorabatur ab Ephesiis. Lactantius.

Arungus fuit Deus, qui mala à frugibus auertebat, ut Robigus. Gellius.

Prosa, & Postuerta deæ fuerunt ita appellatæ à recti peruersiq; partus potestate, ac nomine.

Bubona dea boum & armentorum.

Pecuniam quoq; inter deatum numina reposuerunt. Deus æris uocabatur Aesculanus.

Aeolus habitus est ventorū deus, unde Iuno apud Virg. sic eum alloquitur: Aeole nanque tibi diuum pater, atque hominum rex, Et mulcere dedit fluctus, & tollere ventos. &

Leucothoe dicitur dea maris, Latini Matutam vocant. Ouid. Leucothoe Graiis, Matuto vocabere nostris. Prop. lib. 2. Quæq; tibi excepi tum dea Leucothoe.

Veteres Pudicitiam, Concordiam, Mentem, Spem, Honorē, Clementiam, Fidem numero deorum adscripserunt. sed & templum Honori dicatum est. Plinius.

Libitina habita est dea sepulcrorum & exequiarum, quā Pompilius instituit coli. de hac Horat. lib. 3. Car. Non omnis moriar, magnaq; pars mei Vitabit Libitinam.

Pytho credita est dea eloquentiæ, hanc Latini Suadam nominant.

Zamolsis, Pythagoræ discipulus, cum preceptore ad Aegyptios penetrauit, quorum ritus & cæremonias quum ad Getas adduxisset, ibidem haberi cœpit numinis loco.

Ianus (quem poetæ bifrontem faciunt, quòd vt opinor, finem & principium anni videbat, aut quòd præterita sciuerit, & præuiderit futura) templum habuit Romæ apertum belli tempore, clausum verò, dum pax erat. hinc Patul

tius dicebatur & Clusius. Xenon apud Macrobium testis est Ianum in Italia primum Diis sacra fecisse, & ritus sacrorum instituisse. simulacrum eius fingebatur manu dextra trecentorum, & sinistra LXV. numerum continens, ad exprimēdam anni dimensionem. uariis autem nominibus eum appellabant, quæ quoniam in Epithetis nostris iam posita sunt, non repetimus.

Inter deos etiam numerātur Aesculapius deus medicinæ, Genius naturæ, Harpocrates silentii, Momus reprehensionis, Cloacina cloacarum.

Vitunus deus credebatur vitā largiri, Sentinus sensum.

Dii selecti dicebantur, quorum maior erat potestas. fuerunt autem viginti numero; duodecim mares, Ianus, Iupiter, Saturnus, Genius, Mercurius, Apollo, Mars Vulcanus, Neptunus, Sol, Orcus, Liber pater; octo feminæ, Tellus, Ceres, Lucina, Iuno, Diana, Minerua, Venus, Vesta.

Hesiodus memoriæ prodidit triginta deorum millia in orbe terrarum habita fuisse. Tertullianus ait trecentos Iones, vel si mauis, Iupitros à M. Varrone enumeratos.

Reperiuntur alii quamplurimi Dei, vt Fabulanus, Vagitanus, Pilumnus, Picumnus, Cunina, Leuana, Edulica, Potina, Stafilinus Statanus, qui pueris præsunt, quum iam possunt stare. Fabulanum & Vagitanum dixerunt, quū fandi & vagiendi principium esset, & Pilū num posuerunt pro diis coniugalibus. Cuninam deam infantulorum existentium in cunis. Leuanam, cuius ope de terra leuarētur. Edulicā & Potinam deas eduliorū & potus.

Libentinam deam libidinum & præsidem.

Posuerunt etiam Adoueam, Albeonam, Volunam, Volunum, Fessoniam ad hominum vsum.

Pelloniam ad pellendos hostes.

Agenoream, Strenuam, Stimulam, quòd ad aliquid agendum excitarent.

Numeriam ad numeros.

Habuit Febris ædem in palatio.

Ad morbos posuerunt Angeronam, Prosam, Postuertam, Obonam.

Sentiam, quæ dicendis sententiis præerat.

Carmentam ad fata, Camœnas ad cantus.

In coniugiis, mēstruis, partu, funeribus deos cōfinxerunt, Deuerram, Intercidonem, Demiducum, Domitiū, Manturnam, Virginensem, Subigum, Premam, Partundam, Populoniam, Menam, Tellumonem, Rusonam, Neniam.

Ad frumenta & segetes Tutulinam, Nodinum, Volutinam, Patalenam, Hostilinam, Floram, Lactucinam, Maturam, , Auerruncum, Runciam.

Spinensem propter spinas, Fructesam propter fructus, Rurinam ruri tribuerunt, Collinam collibus, Iugatinum montium iugis, Forulum foribus, Terminum terminis, Palem pastoribus, Empandam paganis, Arculum arculis, Fornacem fornacibus, vnde facta Fornacali. Adiecerunt Tanagream, Allocutum, Anteuortam, Larundam, Monetam, Februum, Larentiam, Mutinum, Alburnum, Maiestam, Veniliam, Bonum euentū, Vertumnū, deum Etruriæ.

Permissum non fuit in urbe Roma deos alios assumere, quām quos senatusconsultum iussisset. unde in libris pontificum ita scriptum erat: Separatim nemo sit, habens deos nouos siue aduenas: Nisi publicè ascitos priuatim colunto. Diuos, qui cælestes semper habiti, colunto. Constructa à patribus delubra habento.

Tutanus, & Tutilina dei à tutando dicti sunt.

Ennius Deus Auiternos & Aeuintegros vocauit, quòd integra eorum ætas atque perfecta sit. Deos quum dicimus, tam de feminino genere, quàm de masculino intelligere possumus. Virgil. de Venere: Descendo, ac ducente deo flammam inter & hostes Expedior. Vnde & Lunum deum pro Luna veteres dixerunt.

Sed & quædam animalia, atque etiam res aliæ apud antiquos numinum loco habitæ sunt. Troglodytæ adorant Tedines, auctore Plinio. Aegyptii Allium & Cepas pro deis colūt, & Crocodilū habēt in honore maximo cui etiam sacra faciunt, maximè Ombitæ Aegypti populi, qui sacros dies eidem constituerunt, vt Græci Olympia Ioui. & si contingat liberos ab eo rapi, parentes gaudent, existiman tes se deo placere, cui escam genuerint. Serpentes etiam coluntur à Phœnicibus. in Gadera Hispaniæ vrbe templa

fuerunt Senectuti & Morti consecrata. Senectuti, quòd eam ætatem vt rerum magistram venerarentur; Morti, vt communi quieti & portui miseriarum. Paupertati quoque & Fortunæ sacra constituere.

Fluuii quoque diuinis quondam honoribus culti sunt, habuerũtq; simulacra, quædã humana facie, quædã bubula. apud Lacedæmonios, Plutarcho teste, tẽpla Timori, Risui, & Morti dicata sũt. Aegyptii Solẽ & Lunã deos fecerũt. apud eosdem, Feles, Ibis, Aquila, Hircus pro deis habentur. Columbæ colebantur à Syriis, Anseres à Romanis, propter seruatum Capitolium anseris clangore. Apud Thessalos capitale erat Ciconiam occidisse. Qui Syenen incolunt, Pharos pisces venerantur. Qui Mæotin habitant, Oxyringos piasces habent in honore.

In Ambracia Leænam colebant, vt vindicem libertatis, quòd tyrannum interfecisset

Delphici Lupum, quòd sacrum aurum in templo expilatum & defossum refodisset. Samii Ouem, quòd aurum itidem surreptum è templo indicasset. Argiui Serpentem, Tenedii prægnantem Vaccam, cui fœtæ ministeria veluti puerperæ exhibent. Draco apud Albam in luco iuxta templum Iunonis Argiuæ colebatur à virginibus, quem certis diebus adibant, eumq; suis manibus pascebant. Aspides Aegyptii habebant in honore ac deliciis, quas vnà cum pueris educabant. Mustella colebatur à Thebanis.

Medioxumos deos antiqui minores vocarunt. Plautus in Cistel. Ita me dii deæq; superi atque inferi & medioxumi. Idem deos vocat atellarios, qui patellis & vasis sacrificios accommodis pacabantur. Ouid. Fert missos Vestæ pura patella cibos. Plautus ipse: Dii me omnes magni minutiq; & patellarii.

Semones eos vocant, qui habent, quidquid à media regione aeris ad terram patet; Semidei à nobis appellantur. Fulgentius Semones appellat deos, qui cælo digni non censerentur, ob meriti paupertatem, cuiusmodi sunt Priapus, Hippo, Vertumnus. Fuerunt in Italia dii municipales, vt Crustiminorum Deluentinus, Narnienſium Viridianus, Aesculanorum Ancharia, Volcinienſium Nortia.

FILII DEORVM, ET heroum.

Filii Demogorgonis, Litigium, Pan, Clotho, Lachesis, Atropos, Polus, Python, Terra, Herebus.

Filii Terræ, Tartarus, Taygetes, Antheus, Nox, Fama.

Filii Herebi, Amor, Labor, Metus, Dolus, Morbus, Pallor, Somnus, Charon, Dies, Æther, Gratia, Inuidentia, Fraus, Pertinacia, Egestas, Miseria, Fames, Querela, Senectus, Tenebra, Mors.

Filii Aetheris, Iupiter primus: Cælius. Filii, Iouis primi, Apis, Sol, Mercurius, Tritopatreus, Epuleus, Dionysius, Hercules, Liber, pater, Epaphus, Scytha, Minerua, Diana, Proserpina.

Filii Mercurii secundi, Cupido, Auctolius.

Filii Beli prisci, Danaus, Ægystus, Agenor.

Filii Agenoris tertii, Polydorus, Phœnix, Cadmus, Labdacus, Taygeta, Europa.

Filiæ Cadmi, Semele, Agaue, Autonoe, Ino.

Filii Oedipi, Etheocles, Polynices, Antigona, Ismena.

Filii Cælii, Vulcanus primus, Mercurius 3. Toxius Titanus, Iupiter secundus, Oceanus, Ops, Tethis magna, Venus magna.

Filii Acherontis, Ascalaphus, Alecto, Thesiphone, Megæra, Victoria, Styx.

Filii Titani, Hyperion, Briareus, Ceus, Typhon, seu Typhœus, Enceladus, Aegeon, Iapetus, Astreus, Alous, Palenes, Runchus, Purpuerus, Lycaon, Aurora.

Filii Hyperionis, Sol, Luna.

Filii Solis, Phaethon, Miletus, Phetusa, Salempetii, Dirce, Pasiphae, Oeta, Cyrce, Aegina.

Filii Latonæ, Apollo, Diana.

Filiæ Hesperi, Aegle, Heretusa, Hesperetusa.

Filii Atlantis, Hyas, Eudora, Ambrosia, Pyridile, Croni, Phito, Polixo, Thyenes, Electra, Maia, Steropes, Celeno, Taygeta, Alcyone, Meropes, Calypso.

Filii Promethei Pandora, Isis, Deucalion.

Filii Iouis secundi, Apollo, Tityus, Bacchus, Amphion, Ze-

tus, Calais, Lacedæmon, Tantalus, Hercules, Arcas Diana, Pasythea, Egiale, Euphrosine, Minerua.

Filii Apollinis secundi, Mopsus, Linus, Philisthenes, Garama, Branchus, Philemon, Orphens, Aristeus, Nomius, Actous, Argeus, Aesculapius, Arabs, Lapyta, Eurynome, Psice.

Filii Bacchi, Hymenæus, Thyoneus, Thoas.

Filii Amphionis, Archemorus, Antegorus, Tantalus, Phadimos, Sipolos, Xemarchus, Epinitos, Asticratia, Pelopeia, Cheloris, Cleodexe, Ogune, Phytia, Nerea.

Filii Laomedontis, Lampus, Clicion, Ioetaon, Titon, Priapus, Antigona, Hesiona.

Filii Priami, Paris, Hector, Helenus, Cuor, Troilus, Deiphobus, Polydorus, Lycaon, Esacus, Anthysus, Isus, Teucer, Dimocontes, Echemon, Cremenon, Gorgiton, Cebrion, Phorbas, Doricon, Pamon, Eliphon, Agaton, Hippothous, Aganon, Lacoontes, Mistos, Iphates, Testorius, Tymœtes, Polytes, Creusa, Cassandra, Iliona, Laodice, Lycaste, Medisicastis, Polyxena.

Filii Paridis, Daphnis, Idæus.

Filii Saturni, Pluto, Chiron, Ficus, Neptunus, Iupiter tertius, Cromis, Vesta, Ceres, Glauca.

Filii Fauni, Acis, Eurymedon, Latinus.

Filii Martis, Cupido, Enomaus, Tereus, Ascalaphus, Iasmenus, Parthaon, Zesius, Phlegyas, Euannes, Hiperius, Etholus, Remus, Romulus, Britona.

Filii Neptuni, Dorus, Amycis, Phorchus, Albion, Borgion, Thara, Polyphemus, Tilemus, Brontes, Steropes, Pyragmon, Nasicheus, Melion, Acterion, Aon, Mesapus, Busyris, Pelasgus, Nauplius, Sicanus, Siculus, Celeno, Aello, Ocypete.

Filii Iouis tertii, Acheus, Amor, Castor, Pollux, Palistus, Iarbas, Myrmidon, Xanthus, Lucifer, Orion, Minos, Sarpedon, Rhadamantus, Archisius, Tantalus, Dionysus, Perseus, Aon, Eacus, Pylumnus, Mercurius, Vulcanus, Hercules, Aeolus, Venus, Proserpina, Helena, Clytemnestra, Mena, nouem Musæ.

Filii Minois, Androemus, Glaucus, Deucalion, Ariadna, Phædra.

Filij Vlyssis, Telemachus, Telegonus, Auxonij.

Filii Tantali, Niobe, Pelops.

Filij Pelopis, Atræus, Thyestes, Phystenes, Lysidice.

Filij Mercurij, Eudorus, Myrtilus, Lares, Euander, Pan.

Filii Vulcani, Erictonius, Cacus, Ceculus, Tullius Seruilius.

Filij Herculis, Oxias, Creontiades, Tyriomachus, Dyichoontes, Ithoneus, Gromis, Agilis, Ilus, Sardus, Cyrnus, Diodorus, Tlipolemus, Thessalus, Auentinus, Tleplus, Lydus, Lamirus,

Filii Æoli, Machareus, Misenus, Criteus, Salmoneus, Iphiclus, Sisyphus, Cephalus, Athamas, Canace, Alcyone.

LOCA DEIS SACRA.

SEquentia in primis loca Apollini sacra fuerunt. Parnassus mons Phocidis biuertex, vbi è spelunca reddebatur oracula, teste Lucano. Virg. in Buc. Nec tantùm Phœbo gaudet Parnasia rupes.

Gryneum nemus seu oppidum in Ionia, sacrum Apollini habuit fanum. Virg. in Buc. His tibi Grynei nemoris dicatur origo, Nec quis sit lucus, quo se plus iactet Apollo. Ab hoc nemore Apollo ipse dicitur Gryneus. Virg. lib. 4. Ita illam Lyciæ iussere capessere sortes.

Phaselis mons est in Lycia, vbi Apollo oracula reddebat. auctor Ætnæ: dexter mihi carminis auctor Apollo. Seu tibi Dodone potior, te cumq; Phaselis. Seu te Cynthios habet.

Cynthus mons est imminens Delo, vbi Apollo celebre templum habuit, qui propterea Cynthius dicitur. Horatius: Intonsum pueri dicite Cynthium.

Delos insula maris Ægæi, Cycladum vna, in qua natus est Apollo. prius Ortygia dicebatur. vnde Apollo Delius & Ortygius. Ouid. lib. 2. de Arte: Et Paros, & Clario Delos amata deo. Idem lib. 13. Met. Tibullus lib. 2. Delos vbi nunc Phœbe tua est?

Claros fuit etiam vna Cycladum, in qua Apollo colebatur, qui inde Clarius dictus est. Valerius Flaccus: Nec Cla

rii nunc antra dei, quercusq; tonantis Arguerem.

Delphi oppidum fuit Phocidis, vbi etiam Apollo colebatur, qui propterea Delphicus vocatur. Seneca: Ambagenexa Delphico mos est deo Arcana tegere.

In Patara Lyciæ ciuitate sex anni mensibus dabatur Apollinis responsa.

Tenedos Ægæi maris insula, sacra fuit etiam Apollini.

Chrisa Phrygiæ ciuitas, itidem & Cilla vrbs, sacræ fuerunt Apollini. Ouid. lib. 13. Me Tenedon, Chrysemq; & Cillam Apollinis vrbes, Et Syron cepisse.

Chrissa vrbs Phocidis, sacrum etiam habuit Apollini templum.

Colebatur etiam in Cyrrha oppido Phocidis. Statius li. 3. Sil. Aut Cyrrhæ pater aspernetur opacæ.

Colebatur etiam apud Therapnas vrbem Laconiæ. Statius libro 3. Theb. Tænareumque cacumen Apollineasque Therapnas.

Soracte, mons est in Phalisci, quondam Apollini sacer. Virgil. lib. 11. Sume deū sancti custos Soractis Apollo.

Apollo apud Rhodios in tanto honore habitus est, vt ibi dem Colossum habuerit inter septem orbis miracula numeratum. Politianus: Conferat aut vasti molem Rhodos aurea Phœbi.

Hyperborei, septentrionales populi frugū primitias Delon mittebant Apollini, quem præcipuè colebant. Plinius.

Acrephnia vrbs fuit Phocidis, vbi Apollo Acrephnius colebatur.

Malloes locus fuit in Lesbo, vbi templum erat Apollinis.

In Entresi Phocidis vrbe, Apollo etiā reddebat oracula.

Tegyra vrbs Bœotiæ sacra fuit Apollini, à qua Tegyræus dictus est.

In Mileto Ioniæ Asiaticæ vrbe fuit oraculum Apollinis, qui propterea dictus est Milesius. Apuleius: Dei Milesij vetustissimum percunctatur oraculum.

Loca Amori sacra fuerunt, Colchorum regio & Idalium nemus. Catull. Sancte pater curis hominum qui gaudia miscès, Quiq; regis Colchos, quiq; Idalium frondosum. Thespienses & Pariani populi in Hellesponto Amorem

summa veneratione prosequuntur, eiusque sacra vocant Erotidia.

Apud Ægyram vrbem Achæorum Amor colebatur cum Fortuna sub eodem tecto.

Æsculapium Apollinis filium colebat Epidaurus vrbs Peloponesi. Plinius lib. 4. In eo Epidaurum oppidum Æsculapii delubro celebre. Ab Epidauro dictus est Epidaurius. Ouid. libro 15. Æquore placato patrias Epidaurius ara Linquit.

Cos ciuitas seu insula eidem sacra faciebat. colebatur etiam Pergami. Martialis lib. 9. Pergameo posuit dona sacrata deo.

Tricca vrbs Thessaliæ templum habuit Æsculapio sacrū, Dolopidus & Pindo vicinum.

Aristeum mellis deum colebat Arcadia. Virg. libro 4. Georg. Tempus & Arcadii memoranda inuenta magistri.

Thebis colebatur Bacchus, qui propterea & Dircæus appellatur. Horat. lib. 1. Car. Vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos insignes

Naxos vna Cycladum coluit Bacchum. Claudianus: Herculis & Bromii sustentat gloria Thebas. Plin. libro 4. Nec cedentes Athenis claritate, quæ cognominantur Bœotiæ Thebæ duorum numinum Liberi, atque Herculis (vt volunt) patria.

Apud Nysam vrbem Arabiæ ferunt Bacchum à Nymphis educatum fuisse. hinc Bacchus dicitur Nysæus. Statius lib. 4. Theb. Omnipotens Nysæe pater.

Callichoros fluuius est apud Heracleam Paphlagoniæ Baccho sacer, quòd ab India reuertens chorum ibidem cō stituerit. Valerius Flac. lib. 5. Argon. Præterit & festa vulgatum nocte Lyæi Callichoron, nec vana fides, his Bacchus in vndis Abluit Eoo rorantes sanguine thyrsos.

Tamaritæ populi, Hircanis proximi, Bacchum ab India victorem redeuntem hospitio susceperunt, eiq; sacra solemnia constituerunt, actis circum torcularia choreis, quàm diu spumarent musto.

Cybelem deorum matrem colebant sequentia loca. Ida & Dindymus Phrygiæ montes. Virg. lib. 10. Alba parens

Idæa deum, cui Dindyma cordi. hinc Cybele Dindymene. Martialis: Non per mystica sacra Dindymenes.

In Phrygia Galli Cybeles ministri in honorem deæ inter se concertabant,& digladiabantur ad effusionem sanguinis. demum cruore vbertim manante concurrebant ad aliquem fluuium deæ sacrum, ibidem cultros & plagas loturi. Romani hoc faciebant ad Almonem fluuium,proximum Romæ, xi kal. Apriles. Valer. Flac. lib. 8. Argon. Sic. vbi Mygdonius planctus sacer abluit Almo, Lætaq; iam Cybele.

Reate Vmbriæ ciuitas: Syllius l. 8. Magnæq; Reate dicatum Cælicolum matri.

Berecynthus mons Phrygiæ, à cuius nomine Berecinthia dicta est Cybele. Virg. lib. 6. Æn. -qualis Berecynthia mater Inuehitur curru Phrygias turrita per vrbes.

Pesinuntium oppidum Phrigiæ, à cuius nomine dicta est Pesinuntica. Apul. lib. 11. Inde primigenij Phryges Pesinuticam nominant deum matrem.

Cererem venerabatur Eleucis vrbs Atticæ, quòd ibidem frugum vsum & agriculturæ dea docuisset. unde & Eleusina vocata est. Virg. lib. 1. Georg. Tardaq; Eleusinæ matris voluentia plaustra.

Colebatur etiam in Ætna monte, Enna & Catana vrbibus Siciliæ, à quibus locis vocatur Ætnæa, Ennæa, Catanensis. Claudianus: Ætnæ Cereri proles optata virebat Vnica. Syllius lib. 1. Nec Cerere Ennæa, Pharioue victa colono. Lactantius: De Cerere Catanensi vel Ennensi,quarum alterius tanta fuit religio, vt adire templi eius secreta penetralia viris nefas esset.

Sequentia loca Dianæ sacra fuerunt, Parthenius Paphlagoniæ fluuius. Valer. Flac. lib. 5. Argon. - & fatis tibi Tiphy negatum Parthenium, ante Alios Triuiæ qui creditur amnis.

Cynthus mons imminens Delo,in quo nata est cum Apolline. hinc vterque Cinthius apellatur. Statius lib. 2. Thebaid. Illa suas Cyntho comites agat.

Ephesus vrbs Ioniæ, seu Lydiæ, in qua templum habuit magnificum inter septem orbis miracula numeratum.

Brauron vrbs Atticæ, vbi etiam colebatur.

Colebatur & in Auentino & Algido montibus Italiæ. Horatius: Quæq; Auentinum tenet, Algidumq; Quindecim Diana preces virorum Curet.

Colebatur etiam in Delo. Virgilius: Notior vt iam sit canibus non Delia nostris.

Idem in Tauro Scythiæ monte. Lucanus lib. 1. Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Colebatur Faunus in arcadia. Ouid. lib. 2. Fast. Faunus in Arcadia templa Licæus habet. Idem lib. 4. Stabat Menalio sacra relicta deo.

Antium maritima vrbs Latinorum Fortunam habuit in honore maximo, cui etiam sacra fecit, templumq; erexit magnificum. unde Horat. lib. 1. Car. O diua, gratum quæ regis Antium.

Rhamnus, seu Rhamnis, oppidum fuit in Attica, in quo Nemesis & Fortuna colebatur. hinc vtraque Rhamnusia appellatur. Virg. in Cyri: Haud fallor, quòd te potius Rhamnusia fallat.

In Orchomeno Bœotiæ vrbe templum fuit dicatum Gratiis seu Charitibus.

Herculi sacrum fuit Tibur oppidum vicinũ Romæ, quod inde vocatur Herculeum. Mart. lib. 1. Tibur in Herculeũ migrauit nigra Lycoris.

Bœotiæ Thebæ etiam Herculem coluerunt, qui propterea Thebanus dicitur. Prop. lib. 3. Cymbala Thebano concrepuere deo.

Gadibus quoque, vbi columnas posuit, templum habuit Hercules; in quo quidẽ templo Iulius Cæsar, animaduersa Alexandri Magni imagine, ingemuit, & quasi pertæsus ignauiam suam, quòd nihil dum à se memorabile actũ esset in ætate, qua iam Alexander orbem terrarum subegisset. de Gadibus Liuius: Hannibal Gades profectus Herculi votã exsoluit. hinc Gades Herculeæ dicuntur.

Tyrintha ciuitas Argis vicina Herculem nutriuit & vt deum venerata est. unde Tyrinthius appellatur. Virg. lib. 7. Aen.-post quàm Lauerẽtia victor Geryone extincto Tyrinthius attigit arua.

Sequentia loca Iunonem coluerunt. Carthago vrbs Afri

cæ. Virg. lib. 1. Aen Quam Iuno fertur terris magis omnibus vnam, Posthabita coluisse Samo. hic illius arma, Hic currus fuit.

Colebatur etiam in Prosimna ciuitate. Stat. li. 1. Theb. Hinc celsæ Iunonia templa Prosimnæ.

In Samo insula maris Icarii habebatur in honore præcipuo. nam & ibidem fuerat nutrita. Ouid. lib. 8. Et iam Iunonia læua parte Samos fuerat.

Argos & Mycenæ vrbes Achaiæ Iunonem quoque venerabantur. Horatius lib. 1. Car.

Falisci populi Iunonem coluerunt. Ouid. lib. 6. Fast. Ad de senem Tatium Iunonicolasq; Falisços.

Creta insula centum vrbibus memorabilis, Iouem aluit, eiq; sacra fecit. unde & Cretæus dicitur. Virg. lib. 3. Aen. Creta Iouis magni medio iacet insula ponto, Mons Idæus vbi, & gentis cunabula nostræ.

Piræeus, portus Atticæ, sacer erat Ioui, vt etiam Homole mons Thessaliæ, seu Bœotiæ, à cuius nomine Iupiter Homolius dicitur.

Colebatur etiam in Ida, in Latio, in Libya, vbi erat eius oraculum, in Elide. unde Virg. eum vocat Idæum, Lucanus Latialem, Latinum Ouidius & Libycum, Elæum Propertius: quoniam in Elide quincto quoque anno celebrabantur ludi Olympici in eius honorem.

Isim Inachi filiam & deam Ægyptiorum sequentia loca habebant in honore, Paretonium vrbs Aegypti, Pharos, Memphis, & Mareotis pars Aegypti.

Aegyptum sacram fuisse Isidi, Propertius docet lib. 3. dicens: An tibi non satis est fuscis Aegyptus alumnis? Copton quoque insula est in Aegypto sacra Isidi.

Latona colebatur in Delo, quòd Apollinem & Dianam ibidem peperisset. Virg. lib. 3. Georg. Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos.

Ithynus fuit domicilium Mineruæ in arce Athenienſi. Catullus: Vnigenâq; simul cultricé montis Ithyni Pallada.

Piræeus, mons Atticæ, sacer fuit etiam Mineruæ.

Colebatur & in Aracyntho Aetoliæ monte, à quo Aracyntha dicta est. Statius de Diana & Pallade lib. 2. Theb.

Illa suas Cyntho comites agat, hæc Aracyntho.

Nea, Cycladum vna, sacra fuit etiam Mineruæ, auctore Plinio lib. 4. nat. hist. cap. 12.

Præcipua eius dignatio fuit Athenis, vbi & artes inuenisse fertur, atque etiam vrbem ipsam condidisse. hinc Athenæa, Attica, Cecropia, & Mopsopia dicitur. Hor. lib. 1. Car. Sunt quibus vnum opus est intectæ Palladis vrbem Carmine perpetuo celebrare.

Alcomeneum fuit opidum Bœotiæ, cuius conditor iussit ibidem coli Mineruam.

Loca Marti sacra sunt Termodum fluuius Scythiæ, & Rhodope mons, quoniam fertur natus in Thracia. Claud. Fulmina lauerunt purum Rhodopeia Martem.

Colebatur & in tota Thracia & apud Getas. unde Odrysium eum vocat Statius, & Geticum Sythonium Pontanus & Threicium.

Libethris fons Magnesiæ sacer fuit Musis, vt etiam Hippocrene, à quorum nomine dicuntur Libethrides & Hippocrinides. Virg. Nymphæ noster amor Libethrides. Eam ob causam Festus Auienus Camœnalem vocat Hippocrenē, vbi ait: Lympha camœnalem fudit procul Hippocrenem.

Sunt & alia loca sacra musis, vt Sicilia, vnde Sicelides dicuntur à Virgilio: Aonia, seu Bœotia: Helycon, mons Bœotiæ: Pimpla, locus vicinus Parnaso: Aganippe, fons Bœotiæ: Sebethus fons apud Neapolim. Thespiæ, oppidum Bœotiæ, à quibus omnibus locis epitheta meruerunt. uide in capite de Musis.

Neptunus templum habuit in Tenaro Laconiæ promontorio, à quo Tenarius dicitur. Proper. lib. 1. Tenarius facili pressit amore deus.

Oncheſtus vrbs Bœotiæ habuit etiam templum Neptuno sacrum.

Nemesis dea vltionis & indignationis, quæ superbos punit & vaniloquos, templum habuit in Rhamnunte Asiæ oppido, à quo Rhamnusia dicta est, vt Fortuna. Ouid. lib. 3. Met. Dixerat, assensit precibus Rhamnusia iustis.

Osyris Deus colebatur apud Aegyptios. Tibullus lib. 1. Te canit, atque suum pubes miratur Osyrim Barbara Mem-

phitem plaudere docta bouem.

Proserpina Cereris filia colebatur in Cicilia, teste Plutarcho: vnde & Sicula vocatur à poetis. Seneca: Vidisti Siculæ regna Proserpinæ? vbi primam huius dictionis Proserpina corripit, quod est inuentu rarum.

Colebatur etiam in Enna, vrbe Siciliæ, vnde Ennæa quoque dicitur. Lucanus libro 6. Eloquar immenso terræ sub pondere, quæ te Contineant Ennæa dapes.

Apud Elæos delubrum sacrum fuit Plutoni semper clausum & obseruatum, præterquàm quòd semel tantùm quotannis aperiebatur. Plutonem autem ideò colebant Elæi, quòd eius præsidium sensissent contra vim Herculis.

Lampsacus vrbs Hellesponti Priapum coluit. Ouid. lib. 6. Fast. Lampsacus hunc soli solita est mactare Priapo.

Scythæ vnicum Solem deum putãt, cui equum immolãt.

In Præneste vrbe Italiæ colebantur Sortes & Fortuna, quæ propterea Præneſtinæ vocãtur. Prop. lib. 2. Nam quid Præneſtis dubias ò Cynthia ſortes Quid petis Aei mœnia Thelegoni? Syll. -sacrisq; dicatum Fortunæ Præneſte iugis.

Sequentia loca sacra sunt Veneri: Amathus insula maris Aegæi, à qua vocatur Amathusia, & Amathusis. Virg. li. 10. Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atque Cythera, Idaliæq; domus.

Colebatur etiam in Cypro insula, & Papho eiusdem insulæ vrbe, de Cypro & Memphi Aegypti vrbe, vbi etiam fanum habuit. Hor. lib. 3. Car. O quæ beatam diua tenes Cyprum, & Memphim carentem Sithonia niue. A Cypro, dicitur Cypria, Cypris & Cyprigena. Mantuanus in Fastis. Cyprigenæ campos & regna per ardua Phœbi.

De Papho, & Gnydo Hor. lib. 3. Car. Quæ Gnydon, Fulgentesq; tenet Cycladas & Paphum. Statius lib. 1. Sil. Nõ secus alma Venus, quàm si Paphon æquore ab alto, Idaliasq; domos, Erycinaq; templa subiret. A Papho Paphia, & Gnydo Gnydia dicitur. Plin. lib. 7. Praxiteles marmore nobilitatus est, Gnydiaq; Venere præcipuè. Præcedentia exempla docent Idalium nemus & Cyclades & Cythera sacra fuisse Veneri.

Ab Eryce monte Siciliæ sibi sacro dicta est Erycina. Hor. lib. 1. Car. Siue tu mauis Erycina ridens.

Hypæpa vrbs proxima Tmolo sacra fuit etiam Veneri. de hac vrbe Ouid. de Arachne: Orta domo parua, paruis habitabat Hypæpis.

Imbros insula est Thraciæ, Vulcano sacra, quem inde Imbranium vocant. Val. Flac. Proræque acceſſerat Imbros.

Inter Liparam & Therasiam insula est Terasia, Vulcano sacra. Plin. lib. 3. Præcipuus Vulcani cultus fuit in Lemno insula, à qua Lemnius dictus est, vt Lemnos ipsa, Vulcania. Ouid. lib. 13. Nec Pæantiadem quòd habet Vulcania Lemnos. Virg. lib. 8. Aen. Hæc pater Aeoliis properat dum Lemnius oris.

De aliis locis, in quibus dii habiti sunt in honore, Ouidius lib. 3. Fastorum:

Palladа Ceropidæ, Minoia Creta Dianam,
Vulcanum tellus Hypsipylæa colit.
Iunonem Sparte, Pelopeiadesque Mycenæ,
Pinigerum Fauni Mænalis ora caput.
Mars Latio venerandus erat, quia præsidet aruis.

Lactantius lib. 1. de falsa religione: Summa veneratione coluerunt Ægyptii Isidem, Mauri Iubam, Macedones Gabyrim, Pœni Vranum, Latini Faunum, Romani Quirinum, Athenæ Mineruam, Samos Iunonem, Paphos Venerem, Lemnos Vulcanũ, Naxos Liberum, Apollinem Delphi.

DEORVM VICTIMÆ.

Caper & Asinus immolabantur Baccho: Caper, quòd eius vites rosisset. Virg. lib. 2. Georg. Non aliam ob causam Baccho caper omnibus aris Cæditur. Ouid. lib. 2. de Ponto: Nec dabit intonso iugulum caper hostia Baccho. Martial. lib. 5. Vite nocens roseas capet moriturus ad aras Hircus, Bacche tuis victima grata sycis. De Asino Plin. lib. 24. Ferulæ Asinis gratissimæ sunt in pabulo, ceteris verò iumentis præsentaneo veneno qua de causa id animal Libero patri assignatur, cui & ferula. Herodotus ait Porcum etiam fuisse immolatum Baccho.

Cereri mactabatur Porca, quòd hoc animal eiusdem fruges violasset. Ouid. lib. 1. Fast. Prima Ceres grauidæ

gauisa est sanguine porcæ, Vlta suas merita cæde nocentis opes. Nam sata vere nouo teneris lactentia succis Eruta setigeræ comperit ore suis.

Persæ immolant Equum Soli. Ouid. lib. 1. Fastorum. Placet equo Persis radiis Hyperiona cinctum, Ne detur celeri victima tarda deo.

Dianæ Cerua immolabatur. Ouid. lib. 1. Fast. Quæ semel est triplici pro virgine cęsa Dianæ, Nunc quoq; pro nulla virgine cerua datur.

Sabæi & Thessali Canes Dianæ etiam immolabant. Idem Ouid. Exta canum Triuiæ vidi mactare Sabæos, Et quicunque tuas accolit Hæme niues.

Priapo etiam immolabant Asinum, quòd quum hic deus Lotidem nympham dormientem furtim stuprare vellet, intempestiuo asini clamore coitu fuisset impeditus, eumque excitata virgo manibus reiecisset magno omnium, qui aderant, risu. Ouid. lib. 1. Fast. Cæditur & rigido custodi ruris asellus: Causa pudenda quidem, sed tamen apta deo.

Anser Isidi Inachi filiæ. Ouid. lib. 1. Fast. Nec defensa iuuant Capitolia, quò minus anser Det iecur in lances Inachi lauta tua.

Gallus gallinaceus immolabatur Nocti. Idem Ouid. Nocte deæ noctis cristatus cæditur ales, Quòd tepidum vigili pronocat ore diem.

Fauno, Capra. Ouid. lib. 2. Fast. Cornipedi Fauno cæsa de more capella, Venit ad exiguas turba vocata dapes.

Neptuno, Taurus. Statius lib. 5. Achil. Cæruleum regem tauro veneratur auumq; Nerea. Virg. Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

Mineruæ, Capra, quòd caprarum morsus exitialis sit oliuæ, quam illa amat. Plin. lib. 8. Oliuam lambendo quoque sterilem faciunt: eaque ex causa Mineruæ immolatur.

Menœtius Actoris filius Taurum Herculi primus sacrificauit, propter fulmineum taurum ab ipso Hercule interfectum, de quo Seneca in Herc. Oet. Vna est Geryon sparsus manu, Taurusq; populis horridus centum pauor.

Carthaginienses vsque ad excidium vrbis suæ ingenuos pueros Saturno semper immolarunt, auctore Curtio lib. 4. de gestis Alexandri. quod genus sacrificii Tauridæ Dianæ factum legimus in Scythia.

Prisci Aesculapio medico, Phœbi filio, Gallum sacrificabant. Cœlius.

Sus prægnans mactabatur Maiæ, auctore Macrobio lib. 1. Satur. De victimis deorum vide Ouid. lib. 15. Met.

DEORVM FESTA QVIBVS uocentur nominibus.

Festa seu sacrificia Bacchi vocantur Bacchanalia, Orgia, Trieterica, Nictileia, Liberalia, Dionysia, & Cotytia, à Cotyde rege Thracum, qui sacra Baccho instituit.

Sacra Cereris vocantur Cerealia, & Thesmophoria, vt Ceres ipsa Thesmophoros, id est legifera. Plin. lib. 24. Quoniam matronæ in Thesmophoriis Athenienſium castitatem custodientes iis foliis cubitus sibi sternunt. Plut. ait Adonia fuisse sacra Cereris.

Proserpinæ Cocytia, à Cocyto infernali fluuio.

Saturni Saturnalia, & Chronia: nam Saturnus ipse, Chronos dicitur à Græcis.

Laurentiæ, Laurentia. Opis (quæ Cæli & vestæ filia, & Saturni vxor dicitur) Opalia.

Palis, Deæ pastorum. Palilia pastorum festa. Tibullus lib. 2. At madidus Baccho sua festa Palilia pastor Concinet Romuli vel Martis Quirinalia.

Vertumni, seu Prothei, Vertumnalia.

Bonæ deæ Gynecia: nam Græci eam vocant Gyneciam. Plutarchus in Cæsare.

Mineruæ Panathenea. erant autem agones Gymnici, quos Theseus in honorem deæ primus Athenis instituit. Plutarchus Erant etiam Mineruæ Quinquataria, quæ fiebant quinque diebus post atrum diem. Ater autem dies erat post Idus. Ouid. Vna dies media est, pòst fiunt sacra Mineruæ, Nomina quæ à iunctis quinq; diebus habent.

Floræ deæ, Floralia.

Carnæ deæ cardinum, Carnia, quæ fiebant Spartæ.

Iouis Diipolia, seu Diasia, teste Cœlio.

Iunonis, Herea quòd Iuno ipsa Hera diceretur. Ennius apud Ciceronem lib. 1. de Offic. Vosne velit an me regnare hera. Vbi per heram non nulli Fortunam intelligunt.

Mercurij Mercurialia & Hermæa.

Musarum, Musæa.

Herculis Nemæa, ab Argiuis instituta, ob leonem ab ipso interfectum in Nemea silua.

Fauni, Lupercalia, quæ Februario mense fiebant.

Solis, Mitriaca, quoniam Persæ Solem appellant mitra. apud eos autem fiebant hæc sacrificia in antro, educto cornibus boue, quem deo immolabant.

Priapi Phallagogia: nam phallum antiqui virile membrum appellabant. Theoderitus Cyrenensis.

SACRIFICIORVM, ET VIctimarum genera diuersa.

AGonia, & Agonalia ludi erant, qui fiebant in honorem dei Agonii, vel in monte, quem illi Agonem vocabant. Agonias etiam veteres dixerunt hostias, ab agendo.

Dapsa, genus erat sacrificii, quod fiebat hieme sæuiente.

Farreatio in nuptiis fiebat farreo libo. aliter vocabatur Confarreatio. at quū dissoluebantur nuptiæ, Diffarreatio.

Hecatombe, sacrificium erat centum victimarum, vel quia centum Pelopōnesi vrbes id faciebant. Iuuen. Sat. 12. -existunt qui promittant Hecatomben.

Hostia, erat victima, quæ immolabatur cæsis hostibus. sacrificabatur autem Laribus, quorum ope victi credebātur hostes. Ouid. Hostibus à domitis hostia nomē habet.

Hyacinthina, erat quædam sacra nocturna.

Armilustrum, sacrificium erat apud Romanos, in quo armati rē diuinā faciebant: tubisque canebant sacrificātes.

Ianual, erat genus libi, quod soli Iano immolabatur.

Lucaria festa Romani celebrabat in lucno, in quo fugati à Gallis sese occuluerant.

Lupercalia, erant sacra instituta ab Euandro rege Arcadum in honorem Panos, propter Romulum & Remum nutritos à lupa in Auentino monte, vbi fiebant. Luperci

dicebantur ministri horum sacrorum. Statius libro 5. Sil. -& tua multùm Verbera succincti formidauere Luperci.

Meditrinalia, sacra erant, quæ fiebant in honorem Meditrinæ, deæ medicamentorum.

Munychia, erant festa Palladis, à Munychio Athenarum portu, vel à Munychio rege quodam, eorum auctore.

Nouendium, seu Nouendiale, sacrificium erat exequiale, quod fiebat nono die post mortem alicuius. Horatius: Nouendiales dissipate pulueres.

Nudipedalia erant quædam sacra, quæ sacerdotes nudis pedibus faciebant Hierosolymis.

Nyctileia Bacchi sacrificia, quæ nocturno fiebāt tēpore.

Palatual, sacrificium erat, quod Romæ fiebat in palatio.

Pastillum, auctore Festo, fuit genus libi rotundi, quod diis offerebatur.

Popularia sacra, quæ ab omnibus ciuibus fiebant, nec erant priuatarum familiarum, sed omnium communia, vt à diis impetrarentur, quæ spectabant ad communem populi salutem.

Proteruia, fuit sacrificij genus, in quo quidquid ex epulis supererat, incendio dabatur. Ausonius: Capripedes agitat quum læta proteruia Panas. Albidius adolescens quum vniuersum patrimonium decoxisset, & ædes vnas, quæ supererant, rerum desperatione dedisset incendio, ferunt Catonem hoc in eum cauillo vsum fuisse. Hic proteruiam, facit. Facere autem proteruiam, adagium est in prodigos, qui omnia absumunt vsque ad assem.

Scænophegia erant tabernaculorum festa, in quibus Iudæi faciebant tabernacula ad similitudinem eorum, in quibus, habitauerunt, quum peruagarentur Ægyptum.

Solitaurilia, sacrificia erant trium victimarum, Tauri, Arietis, & Suis. Plin. lib. 3. Si potiatur, Marti Solitaurilibus piaculum fieri.

Stata, erant certa ac stabilita, statutisque diebus fieri solita. Cato: Sacra stata, solennia sancta seruasti.

Rubigalia, dies erant festi instituti ab antiquis ad amoliendam frugum rubiginem. quales sunt nostro tempore Supplicationes, Amburbiæ & Ambaruales, quæ fiunt vt fru

ctus terræ agricolarum voto respondeant. Plin. lib. 18. Rubigalia Numa constituit, quæ nunc aguntur ad septimum Maij: quoniam tunc ferè segetes rubigo occupat.

Fontanalia sacra erant fontium, quæ fiebant coronatis pueris & fontibus.

Ornea, sacra erant Priapi, quem Corinthij Orneum vocabant. celebrabant autem hæc festa Nymphæ ad Alebedum prope Colophonem.

Parentalia erant sacra funesta, quæ fiebant ab antiquis in honorem parentum mortuorum. cuiusmodi sunt Anniuersaria nostra.

Parentare, est hoc sacrificium facere. Cic. in Philip. vt parentalia cum supplicationibus miscerentur.

In parentatione absumebantur fabæ, quòd in eis mortuorum animas esse dixerint. Blondus lib. 2.

Inferiæ, sacra sunt etiam mortuorum. Sueto. in Caligula: Inferiasq; his annua religione publicè instituit.

Consualia, sacrificia fiebant in honorem Consi, qui habebatur deus consiliorum.

Græci Dionysium colebant cognomento Lamptera, id est faculam, eiusq; festa vocabant Lampteria. ferebant enim noctu faces ad templum, vini pateris tota vrbem constitutis.

Amburbium, seu Ambaruale, supplicationes erant, quæ fiebant in ambiendis vrbibus, agrisque lustrandis. de hoc intellexit Lucanus lib. 1. dicens: Mox iubet & totam pauidis à ciuibus urbem Ambiri, & festo purgantes mœnia lustro Longa per extremos pomœria cingere fines.

Talia erant apud Romanos. Vinalia, qualia apud Thebanos Dionysia.

Thyia, festum erat Bacchi apud Elæos, in quo vacuæ hydriæ, templo obserato, vino implebantur noctu.

Holocaustum, seu Holocaustoma, sacrificium erat, in quo exta victimarum aris superposita comburebantur, de quo Virg. Et solida imponit taurorum viscera flammis, Pingue superque oleum fundens ardentibus extis. Iosephus: Quando (inquit) tota victima, quæ immolatur, incenditur, id sacrificium nomen holocaustomatis habet.

Portò Orgia Orpheus inuenit in Thracia.

Matris deorum sacra Phrygij quotannis crudelissimis certaminibus faciebant.

Rhodii hominem Saturno sacrificabant.

In Salamine insula homo Diomedi immolabatur.

Diana Taurica humanis placabatur victimis.

Dionysio apud Chios homo crudeliter discerptus sacrificabatur. Lacedæmonii hominem Marti immolabant.

Phœnices in bello & pestilétia amicissimos homines immolabant Saturno. Eidem in Creta sacrificabantur pueri.

In Laodicea Syriæ virgo immolabatur Palladi.

Arabes singulis ānis puerū immolātes sub ara sepeliebāt.

Græci prius, quàm prodirent in bellum, humanas victimas diis offerebant.

Aristomenes Messenius c c. homines Ioui sacrificauit.

Athenienses bello petiti, & victia Minoe rege Cretæ proter interfectum Androgeum eius filium, cogebantur quotannis septem mares ac totidem feminas in Cretam mittere sacrificandos.

Scythæ quoscunq; aduenas repererint, Dianæ immolant.

In Pella Thessaliæ ciuitate singulis annis homo immolabatur Peleo, & Chironi

Galli Esum, & Teutatem humano cruore placabant.

Lactantij tempore Latialis Iupiter sanguine colebatur humano.

Carthaginienses ab Agathocle victi, quum iratum sibi Saturnum crederent, ducentos ei nobilissimos iuuenes immolauerunt, Lactantius.

Apud Romanos sacrorum auctor fuit Numa, qui instituit colere deos fruge, & mola salsa supplicare.

Vocabula ad religionem spectantia sunt Cæremoniæ, Sacrificium, Consecratio, Superstitio, Dedicatio, Piaculū, Iusiurandū, Hostiæ. Mola erat far tostū, sale aspersum.

Sacrificare est perere, vt detur venia.

Litare est propitiare vel sacrificium ritè facere.

Apud Lyndū oppidum Rhodiorum fiebat sacrificium in honorem Herculis, quod probris & conuiciis perageba-
tur. hinc adagium natum, Herculi Lyndo sacrificare. id

sacris deuotionibus vti.

Ritum sacrificii, quod fiebat in honorem Cybeles. Ouid. in Fastis sic exprimit.

Ardua iam dudum resonant tinnitibus Ida,
Tutus vt infanti vagiat ore puer.
Pars clypeos sudibus, galeas pars tundit inanes.
Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.
Res latuit, prisciq; manent imitantia facti.
Aera deæ comites, raucaq; terga mouent.
Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant,
Tibia dat Phrygios (vt dedit antè) modos.

Salii sacerdotes Martis, eidem sacra faciebant salientes.

Victimarum superstitio emanauit ab Hyperbio Martis filio, vt placet non nullis, quod animal primus occiderit, vt Prometheus occidit bouem.

Apud Delphos nullum reddebatur oraculum, nisi tota victima ab imo contremuisset, membris omnibus agitatis.

Phaselitæ populi salsos pisciculos diis immolabant.

Cares verò canem. hinc Caricam victimam dicuntur immolare, qui vilissima largiuntur.

Libabatur etiam vinum, sed merum.

Prope Asopum fluuium habitatores singulis annis diem vnum sacrum faciunt Eumenidibus, quibus prægnantes oues immolant.

Amastris Xerxis regis vxor pro salute propria decem defodit viuos homines.

Berosus prodit fuisse apud Babylonios festum Sacæas nomine, solitum agi quinque diebus, quibus serui imperabant dominis.

Coi Iunoni sacrificantes seruos à conuiuio reiiciebant

SACERDOTES DEORVM.

APollinis sacerdotes fuerunt, Panthus Othrii filius. Virg. lib. 2. Aen. Panthus Othriades arcis Phœbique sacerdos.

Anius rex. Virg. lib. 3. Aeneid. Rex Anius, rex idem hominum Phœbiq; sacerdos.

Lychas. Virg. lib. 10. Inde Lycham ferit exertum iam

matre peremptа, Et tibi Phœbe sacrum.

Hemonides. Idem lib. 10. Nec procul Hemonides Phœbi Triuiæq; sacerdos, Infula cui sacra redimibat tempora vitta.

Phœbades dicuntur Phœbi sacerdotes.

Neptuni Laocoon Troianus. Virg. lib. 2. Aen. Laocoon ductus Neptuno sorte sacerdos, Sollemnes taurum ingentem mactabat ad aras.

Cereris Polybetes. Virg. lib. 6. Aeneid. Tres Antenoridas, Cereriq; sacrum Polybetem. Fuit & Sostratus Cereris sacerdos, auctore Cornelio Tacito.

Alphitus. Ouid. lib. 5. Met. Cererisq; sacerdos Alphitus, albenti velatus tempora vitta.

Iunonis Calybe. Virg. lib. 7. Aen. Fit Calybe Iunonis anus templiq; sacerdos.

Alcyone. Ouid. lib. 11. Ante tamen cunctos Iunonis tẽpla colebat, Proq; viro, qui nullus erat, veniebat ad aras.

Herculis Potitius. Virg. lib. 8. lamq; sacerdotes primusq; Potitius ibant.

Teron. Syllius lib. 2. Iam noua molitus stimulato milite Teron, Alcidæ templi custos araeq; sacerdos.

Fuit & Pinarius custos sacrorum Herculis. Macrobius.

Cybeles, Choreus. Virg. li. 1. Aen. Fortè sacer Cybele Choreus, olimq; sacerdos, Insignis longè Phrigiis fulgebat in armis.

Melissa fuit sacerdos Cybeles, à cuius nomine ceteræ eius deæ sacerdotes Melissæ postea dictæ sunt.

Fuit & Barthabaces Cybeles seu Opis sacerdos. Plutar. in Mario: Per ea tẽpora aduenientes Barthabaces, magnæ matris sacerdos, nuntiauit deã in tẽplo ad se locutã, victoriã prædixisse.

Galli quoque sacerdotes erant Cybeles.

Cotys rex Thraciæ sacra quædam instituit Baccho, quæ Cotytia dicuntur.

Feminæ Bacchi sacerdotes dicuntur Thyades, Mænades, Bacchæ, Eleides, Mimallonides, Ædonides, Euhyades, Bassarides, Triaterides.

Thyades. Val. Flac. lib. 6. Arg. Mox rapuere deum iamiam quodcunque paratæ Thyades, infusis per sua

colla comis.

Mænades. Mart. lib. 11. Ad matrem fugiet Pentheus, ad Mænades Orpheus.

Bacchæ. Ouid. lib. 6. Fast. Dissimulata deam Latias Saturnia Bacchas Instimulat.

Eleides Idem in Epist. Nunc feror, vt Bacchi furiis Eleides actæ.

Mimallonides. Idem libro 1. de arte: Ecce Mimallonides sparsis in terga capillis.

Ædonides. Lucanus lib. 1. Aedonis Ogygio decurrit plena Lyæo.

Euhyades. Horat. lib. 1. Car. Non secus in iugis Ex somnis stupet Euhyas.

Bassarides. Sidonius: Rotat Enthea thyrsum Bassaris. Idem: Ire in Bassaridas vel infulatos Aram ad turicremam rotare mystas.

Triaterides. Statius lib. 4. Theb. Et atra sacrum recolit Triateris Ophelten.

Hyppeccaustria sacerdos erat Mineruæ apud Solos.

Plinius libro 34. ait Lysimachen fuisse Mineruæ sacerdotem annis LXIV.

Veneris sacerdos fuit Mera. Stat. lib. 8. Theb. Ægæa Veneris quos Mera sacerdos Ediderat prohibente dea.

Dianæ Tauricæ sacerdos fuit Iphigenia Agamemnonis & Clytemnestræ filia,

Megabyzus sacerdos erat Dianæ Ephesiæ eunuchus, à cuius nomine ceteri dicti sunt Megabyzi. Plin. lib. 25. Pinxit & Megabyzi sacerdotis Dianæ Ephesiæ pompam. Idem: Ephesi verò est Megabyzi sacerdotis Ephesiæ Dianæ sepulcrum.

Fuit & Myxos Dianæ sacerdos, immodicus sui nominis præco & ostentator. hinc Myxos appellamus huiusmodi homines ventosos, qui plus æquo sibi tribuunt.

Sethon rex fuit apud Ægyptios post Amurtæum, quem Herodotus in Euterpe Vulcani sacerdotē fuisse memorat.

Martis, sacerdotes erant Salii, quos in portandis ancilibus saltare mos erat. hi per vrbem tripudiis canebant quædam carmina admodum obscura, quæ nec ipsi intelligebant, vt innuunt verba Fabii.

Hierophantæ erant Athenienstium sacerdotes, qui cicutæ sorbitione seipsos castrabant, quò castius in suo sacerdotio durarent ac persisterent.

Cor. Cethegus, & Q. Sulpicius flamines fuerunt apud Romanos, qui suo sacerdotio priuati sunt: hic, quòd inter sacrificandum apicem (quem flamines ferebant) de capite cadere permisisset; ille, quòd extæ victimæ non rite adomouisset.

L. Bebius flamen fuit Quirinalis, vt Plautius Hypseus.

Coris sacerdos fuit funerarius.

Cinarades, & Basilides nomina sunt sacerdotum apud Cor. Tacitum.

Sacerdotes legis fuerunt Salomon, Hieroboam, Nadab, Behasa, Hela, Zambri, Achab, Ocazias, Ioram, Heliseus, Hieu, Ioas, Ionas, Zacharias, Sellum, Manahen, Phaceias Ozee, Aaron, Eleazarus, Phinees, Abiud, Acchito, Samuel, Hely, Abiathar, Sadoch, Achimas, Azarias, Vrias, Gonnias, Eleachin, Chelcias, Soreas, Iesus huius filius, Ioachin, Melchisedech, Simeon, Iad, Onias.

PARCÆ, DEÆ FATALES.

PArcæ seu deæ fatales dicuntur à poetis Clotho, Lachesis, Atropos.

Cesselius Vindex apud Gellium lib. 3. ponit alia earum nomina, vt Nonam, Decimam, Mortam, citatq; versum hunc Liuii poetæ antiquissimi: Quando dies aduenit, quam profata Morta est.

Finguntur autem Dæmogorgonis filiæ: secundū Ciceronem Herebi & Noctis.

Alio nomine vocantur Fata. Seneca: Multi ad fatum venere suum, dum Fata timent.

Dicuntur insuper metiri vitam hominum fusis, & staminibus, quæ ex sua colo nent, & deducunt. unde & Lanificæ vocantur à poetis. Martia. lib. 1. Lanificas nulli tres exclusere puellas Contingit, obseruant quem stateris diem. Feruntur esse inexorabiles, nullisq; precibus moueri, vt quam imposuerunt tebus seriem, commutent, aut vitæ

exitum prorogent, quem nascentibus nobis constituerunt, unde Seneca: Nulli iusso cessare licet, Nulli scriptum proferre diem.

Earum autem officia poetæ distinguunt, ut uelint unam esse, quæ uitam hominis ordiatur; aliam, quæ contexat; tertiam, quæ filum rumpat, ac finiat, Prima est Clotho, quam Statius ferream uocat, Grandæuam Seneca, Improbam & Sedulam Pontanus. Secunda est Lachesis, Dura Ouidio, Inuida Martiali, Ferrea Claudiano dicta. Tertia Atropos, de qua Statius lib. 4. Theb. Hos ferrea neuerat annos Atropos. Sunt qui in numero Parcarum ponant Ilithyam.

IVDICES INFERORVM.

IVdices inferorum poetæ faciunt, quorum arbitrio & sententia puniantur animæ, & cogantur fateri, quæ piacula in seram noctem distulerint, ut inquit Maro. Castigant, dolos audiunt, umbris suas sedes constituunt, nullum scelus relinquunt impunitum. de his Seneca: Et qui fronte nimis crimina tetrica Quærunt, ac ueteres excutiũt reos. Eorũ nomina sunt, Minos, Æacus, Rhadamãtus.

Minos rex fuit Cretensium, pater Androgei, & Ariadnes, qui propter extremam seueritatem (quam uiuens exercerat) post mortem iudex inferorum factus est à poetis, ut alii duo iudices. de hoc Virg. lib. 6. Æneid. Quæsitor Minos urnam mouet, ille silentum Consiliumq; uocat, uitasq; & crimina discit.

Æacus Iouis, & Europæ filius, propter incorruptam æquitatem iudex quoque inferorum factus est. Propter. lib. 4. Aut siquis posita iudex sedet Æacus urna.

Rhadamantus Iouis fuit filius, & Europæ, frater Æaci, quem æquissimum fuisse, & incorruptæ seueritatis ferunt. hinc adagium, Rhadamanthæo pollere iudicio. Propterea orta est fabula, constitutum fuisse illum umbrarum iudicẽ. de hoc Virg. lib. 6. Æn. Gnosius hęc Rhadamanthus habet durissima regna, Castigatq; auditq; dolos, subigitq; fateri, Quę quis apud superos furto lętatus inani Distulit in seram commissa piacula noctem.

HESPERIDES.

HEsperus Iapeti filius tres habuit filias, quæ à patris nomine dictæ sunt Hesperides. earum nomina sunt Ægle, Heretusa, Hesperetusa. poetæ fabulantur hortum eis fuisse auriferis arboribus consitum, cui custodem adhibuerint draconem peruigilem, quo tamen uel sopito, uel occiso Hercules aurea poma sustulerit. unde Pontanus Hesperides uocat pomicolas. Senec. in Aga. Arborq; pomis fertilis aureis Extimuit manus. Lucretius lib. 5. Aureaq; Hesperidum seruans fulgentia mala Asper acerba tuens immani corpore serpens. Diodorus lib. 5.

PLEIADES.

PLeiades filię fuerunt Atlantis ex Pleione, à qua traxerunt nomen. de his Ouidius: Pleiades incipiunt humeros reserare paternos, Quæ septem dici, sex tamen esse solent: Seu quòd in amplexum sex hinc uenere deorum. Nam Steropem Marti concubuisse ferunt; Neptuno Alcyonem; & te formosa Celeno, Maiam, & Electram, Taygetamq; Ioui. Septima mortali Merope tibi Sisyphe nupsit; Pœnitet, & facti sola pudore latet. Hoc autem ait Ouid. Nam ut mathematici uolunt, una est earum obscura, quæ nunquam apparet, ut ceteræ. Re uera Pleiades stellæ sunt in genu Tauri, quæ circa æquinoctium uernum oriuntur. Vnde Latini eas Virgilias uocant. sunt autem pluuiosæ, & molestæ nautis. Lucanus lib. 8. Et imbrifera siccas cum Pleiade Thebas.

Dicuntur etiam Atlantides. Seneca in Hercule fur. Illinc timendum ratibus ac ponto gregem, Passim uagantes exerunt Atlantides. De his uide Cœlium Lect. antiquarum cap. 16. lib. 9.

HYADES.

HYades filiæ fuerunt Atlantis ex Æthra, quæ nomen traxerunt ab Hyante fratre, quem à leena interfectum quum assiduis deflerent lacrymis, deorum cõ

miseratione relatæ sunt in stellas pluuiosas, uel quòd Hyas Græcè, pluuiam significet Latinè. Locatæ sunt autem in Tauri fronte. Ouidius: Ora micant tauri septem radiantia flammis, Nauita quas Hyades Graius ab urbe uocat. Pars Bacchum nutrisse putat, pars credidit esse Tethyos has neptes Oceaniq; senis. Alio nomine uocantur Suculæ. Plinius lib 2. Qualiter in Suculis sentimus accidere, quas Græci ob id pluuio nomine Hyades appellant. Earum ortus pluuiam protendit. Claudianus in Ruff. Imbribus humescant hædi, nymbosaq; taurum Ducat Hyas, totusq; fretis descendat Orion. Alia earum nomina ponuntur à Cœlio ex Hesiodi testimonio, Phœole, Coronis, Cleia, Phæa, Eudora.

PARTES ANNI QVATTVOR.

MEnses Veris sunt, Martius, Aprilis, Maius. Æstatis Iunius. Iulius, Augustus. Autumni September, October, Nouember. Hiemis December, Ianuarius, Februarius.

Pythagoras comparabat Verno tempori pueros, Æstati adolescentes, Autumno Iuuenes, Hiemi senes. Idem ait Ouid. lib. 13. Quid nõ in species secedere quattuor annum Aspicis ætatis peragentem imitamina nostræ? Nam tener, & lactens puerq; similimus æuo Vere nouo est tunc herba nitens.

Ver botros emittit, hiems rigorem mitigat, spoliatas arbores induit, terræ suum restituit uirore, hortis suos flores, & uiolas. hinc, Vcile siluis, Odoriferum, & Purpureum uocatur à Virgilio: à Statio Pecorosum: Iucundum à Catullo: à Rufo Festo, Floricomum: ab Ausonio & Seneca, Floriferum & Fidificum: Geniale à Mantuano dicitur.

Æstas enatas iam fruges, & lactentes culmos calore suo concoquit, & maturat.

Autumnus maturos fructus colligit. morbis est obnoxius, propter corruptiones & putrefactiones, quas ex humido & calido generari dicunt Physici. à fructibus uocatur Vuifer, Pomifer Frugifer. Quattuor anni tempora egregiè describit Virg. in opusculis.

MEN-

MENSES, ANNI.

ROmulus ab vrbis origine decem tantùm menses constituit, quòd decimestre tempus sufficeret ad mulieris partum. primumq; fecit Martium à nomine Martis, qui deus est & auctor Romanorum. Numa Pompilius duos adiecit, Ianuarium & Februarium. Ianuarius dicitur à Iano; Februarius à Februis, id est, purgatoriis quibusdam sacrificiis. nam februare purgare est, & Februm Sabini purgamentum vocant. eo autem mense consueuerant Romani per dies duodecim vrbem & agros cum supplicationibus lustrare. Quod genus sacrificij dicebatur Amburbiũ, Ambaruale; Februum, & lustrale.

Martius à Marte vrbis auctore.

Aprilis ab aperiendo, vt opinatur Varro, quòd tunc claustra nascendi aperiat natura; uel ab Aphrodite Venere, vt vult Censorinus, quòd Romani suam à Venere traxerint originem.

Maius à maioribus & senibus.

Iunius à iuuenibus, vel à Iunone, cui eo mense maximi honores exhibebantur.

Iulius prius dicebatur Quinctilis, quòd esset quinctus in ordine, vt Augustus Sextilis, quum decem tantùm haberentur menses. tandem tamen mutato nomine dicti sunt Iulius, & Augustus, in honorem primorum imperatorum. September, October, Nouember, & December, nomina sua traxerunt ab ordine, quem prius habebant, quum dicimestris esset annus. De quibusdam Ouid. lib. 1. Fast. Martis erat primus mensis, & c.

Ianuarius erat in tutela Iani & Iunonis; Februarius, Neptuni; Martius, Mineruæ; Aprilis, Veneris; Maius, Apollinis; Iunius, Mercurii; Iulius, Iouis; Augustus, Cereris; September, Vulcani; October, Martis; Nouember, Dianæ; December, Vestæ.

Luna singulos suos menses conficit diebus vndetriginta circiter & dimidiato. hinc Lunigenæ menses vocantur à Mantuano in somnio Romano, vbi ait, Ex horis nox atque dies, ex nocte dieq; Lunigenæ surgunt menses, ex mensibus anni.

Mensium alii sunt maiores, minores alii. Aprilis, Iunius, September, Nouember singuli habent dies xxx. reliqui xxxi. præter Februarium, qui solùm habet xxviii. A mensis fit adiectiuum menstruus, vt menstrua Luna.

MVTATI IN VARIAS FORMAS secundum metamorphosim poetarum.

Achelous in anguem & taurum. Acis in flumen. Actæon filius Autoneos in ceruũ. Aegeria in fontem. Ægle soror. Phethontis in populum arborẽ. Æsacus in mergum. Æsculapius in draconẽ. Aglauros Cecropis filia in lapidem. Alcione in auem. Alcithoe in vespertilionem. Anaxarete in lapidẽ. Antigone in ciconiam. Aconteus mutatus in lapidem. Apollo in pastorem, Coruum, Accipitrem, Leonem. Apulus pastor in Oleastrum. Arachne in araneam. Ardea in oppidum. Ascalaphus in bubonem. Atalanta in leænam. Atlas in montem. Atis in pinum. Bacchus in caprum, uuam, ceruum. Batus in saxum. Baucis in arborem. Biblis in fontem. Bura vrbs in scopulum. Cadmus in anguem. Ceneus in auem. Callisto in vrsam. Celmus in adamantem. Cercops in simiam. Clytie nympha in heliotropum. Coronis in cornicem. Crocus & Smilax in flores. Cygnus in auem. Cyparissus in cupressum. Dædalion in accipitrem. Daphne in laurum. Daphnis in lapidem. Dercetis in piscem. Diana in felem. Dryope in Loton. Echo in vocem. Ephyre in serpentem. Euphorbus in Pythagoram. Galantis in Mustellam. Harmonia vxor Cadmi in draconem. Hecuba in canem. Heliades, seu Phaethontiades in populos. Hippomenes in leonem. Hyacinthus in florem. Io in iuuencam. Iphis puella in puerum. Iphigenia in ceruam. Inno in anum. Iupiter in taurum, aurum, arietem, aquilam, cygnum, in satyrum, Amphitryonem, ignem, pastorem, serpentem. Leuocothoe in virgam turcam. Lycaon in lupum. Lycas in scopulum. Lyncus in lyncem. Mera in canem. Marsyas in fluuiam. Menthe nympha in mentham. Mercurius in Ibin. Myrrha in arborem. Nays nympha in piscem. Narcissus in florem. Neptunus in iuuencum, Enipeum fluuium, arietem, delphinũ. Niobe in marmor. Nisus in auem. Nyctimene in noctuam. Ocyroe in equã. Olenus in lapidem. Periphas in auem. Perimele in insulã. Philomela soror Prognes in luscinam. Progne in hirundinem. Prœtus in saxum. Saturnus in equum. Scylla in scopulum. Stelles puer in stellionem. Talus puer in perdicem. Tereus in Vpupam. Tyresias in feminam. Venus in piscem. Vertumnus in anum. Vlyssis socij in porcos.

Causas harum transmutationum vide apud Ouidium in Met. & alios Mythologos.

NYMPHÆ DIVERSÆ.

Aegeria, vxor Numæ, quæ colebatur in Aricino lacu. Ouid. Ægeria est, quæ præbet aquas, dea grata camœnis, Illa Numæ coniux, consiliumq; fuit.

Ægle, filia Solis & Nereæ. Virg. Timidisq; superuenit Ægle Nayadum pulcherrima.

Agaue, nympha á nimio splẽdore. Clotho, & Galatea. Virg. lib. 9. Æn. - quales Nereida Clotho Et Galatea secant spumantem pectore pontum.

Cymodocea, vna fuit earum nympharũ, in quas mutatæ sunt naues Aeneæ. Virg. lib. 10. Aeneid. Quarũ quæ fandi doctissima Cymodocea, Pone sequẽs dextra puppim tenet.

Cerceis, nympha á texendo.

Deiopeia. Virg. lib. 1. Æn. Sunt mihi bis septem præstanti corpore nymphæ, Quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopeia, Connubio iungam stabili, propriamq; dicabo.

Dynamene etiam nomen est nymphæ.

Dione, Oceani & Thetyos filia, Veneris mater.

Electra, Oceani filia, & vxor Atalantis, quæ filiam habuit eiusdem nominis matrem Dardani.

Erate Oceani filia, Eudora itidem.

Eurybia, quæ stellas & luciferum genuit.

Eurymone, mater Leucothoes.

Halia, nympha marina, vt Heliocopis, & Iantha, Oceani filiæ. item Ianira, Iæra, Lara, quæ Iouis furta cum

Iuturna patefecit Iunoni.

Legæa, à suauitate cantus.

Menestho, Marica, Latini mater, quæ templum habuit in Minturnensium litore. Horatius: Et innantem Maricæ litoribus tenuisse Lyrim.

Mintha Plutonis pellex, quam Proserpina mutauit in mentham.

Panope, Sagarycis, cum qua se miscuit Atys Phrygius.

Syrinx nympha Arcadiæ, quæ nympharum precibus mutata est in palustres calamos, quum acrius eam insequeretur Pan rusticorum Deus. Mart. lib. 9. Sæpe sub hac latuit rustica fronde Dryas Dumq; fugit solos nocturnum Pana per agros, &c.

Telesto, Thyella, Thyca, Dorrebia, ex qua Iupiter suscepit Carium Lydiæ modulationis inuentorem.

Xantha, Xantho, Virgiliana, Zeuxo, Amathyea, Amphinome, Amphitoe, Amphiro, Calianassa, Galianira, Cressis, Plexaura.

De nymphis, filiabus Doridis, Propertius lib. 1. At vos æquoreæ formosa Doride natæ, Candida felici soluite vela Choro.

Nesæe, & Cymothoe, nomina sunt nympharum apud eundem lib. 2. vbi ait: Et tibi ob inuidiam Nereides increpitarent, Candida Nesæe, cærula Cymothoe.

Virgilius lib. 4 Georg. enumerat quasdam his verbis: Drymoq; Xanthoq;, Ligeaq;, Phillodoceq;, Nesæe, Spioque, Thaliaq;, Cymodoceq;, Cydippeq;, & flaua Lycorias altera virgo, Clioq;, & Beroe soror Oceanitides ambæ, Atque Ephyre, atque Opis, atque Asia Deiopeia, Et tandem positis velox Arethusa sagittis, inter quas curam Clymene narrabat inanem Vulcani.

Idem lib. 5. Æn. Læua tenent Thetis, & Melite Panopeaq; virgo, Nesæe, Spioq;, Thaliaq;, Cymodoceq;.

Pholoe, nomen est nymphæ apud Statium lib. 2. sil.

Pontanus lib. 2. de Stellis quasdã alias ponit his verbis.

-Mox cærula Tyro,
Flauaq; Laodice, Panopæaq;, Cymothoeq;,
Et Thysbe, & niueo conspecta Peloris amictu.

Puniceoq; sinu Xantho, exertisq; papillis.
Nisæe, longaq; coma spectabilis Arte.
Atteq;, Opisq;, Orithyaq;, Thespioq;,
Et niueis Galatea genis, Arethusa lacertis.

Idem: At blanda Hyale non lumina torquet A puero. Reperiuntur & aliarum nomina, vt Eurynome, Persa, Plione, Clymene, Melantho, Idothea, Corusice, Glaucis, Liminoria, Amphythoe, Doto, Portho, Pherusa, Doxa, Nimertis, Dianassa, Amathia, Leonthadome, Nenopene, Thero, Lycaste, Agaperte.

Porrò nymphæ maris vocantur Nereides, & Oceanitides; fluuiorum, Nayades; fontium, Napeæ; nemorum, Dryades; arborum Amadryades; montium, Oreades; pratorum, Hymnides. Politianus in Rustico: Vda choros agitat Nays, decurrit Oreas Monte suo, linquunt faciles iuga celsa Napeæ: Nec latitet sub fronde Dryas.

FÆCES, ET EXCREMENTA diuersarum rerum.

VNguenti fæces Magmata. Plin. lib. 13. cap. 2.

Amurca, fæx est olei. Idem Plin. lib. 15. cap. 3. Oliuæ constant nucleo, oleo, carne, amurca. Sanies, est hæc eius amara. Columella: Palladia fine fruge salis conspergere Amurca. Idem: Nam est inimicissima oleo amurca, quæ si remansit in bacca, saporem olei corrumpit.

Apluda vocatur purgamentum milij, panici, & sisamæ. Plin. lib. 18. natur. hist. cap. 10. Milij & panici, & sisamæ, Appludam vocant purgamenta.

Spurcitia in omni metallo vocatur Scoria, inquit idem lib. 23. cap. 4. Item lib. 24. cap. 11. Et Scoria æris (inquit) simili modo lauatur, minor effectu, quàm æs ipsum.

Scoriam in argento Græci vocant Helcysma, cuius vis est adstringere, & refrigerare corpora. Plin. lib. 33.

Acus, aceris, purgamentum frumenti. Col. lib. 8. Ni suburbanis lactens porcus acere nutricandus est.

Præsegmina, & resegmina, quæ ex vngubus amputantur, à præsecando & resecando. Plin. Omnia persecuti su-

mus vsque ad resegmina vnguium.

Analecta, ciborum sunt purgamenta, quæ scoparij pauimentum verrentes colligunt, vel pro ipsis instrumentis ad colligendas cenarum reliquias ex pauimentis. nam, vt scribit Plinius, purgamenta cenæ euerri solent in pauimento veluti relicta.

Furfur, farinæ purgamentum, hinc panes furfurei. Varro lib. 2. de Re rust. Commodè pascuntur farre, & furfuribus hordeaceis.

Flaces, purgamenta sunt oliuarum. Plin. In amurca & flacibus hæ sunt carnes, & illæ fæces.

Floces, purgamenta vini & vuarum. Cæcilius: Ædepol ego neque florem, neque floces volo mihi, vinum volo. Romæ vetus quidam homo & celebratus in causis (inquit Gellius) quum apud præfectum vrbis verba faceret, & dicere vellet, quendam inopi miseroq; victu viuere, & furfureũ panẽ esitare, Hic, inquit, eques Romanus apludã edit, & floces bibit.

Metys, purgamentum est ceræ, quo partem aluei priorem apes illinunt.

Hominis retrimenta Cœlius vocat Spatylen, nos Merdam, sed aliarum etiam rerum. Horatius: Merdis caput inquiner albis coruorum.

Boliton vocant stercus bubulum. hinc adagium, Boliti pœnam luere: id est, puniri pro minimo delicto. Solon enim suis legibus eos puniri iussit, qui stercus bubulũ furto sustulissent.

Asini retrimenta Cœlius ait dici Onida & Onthon: Suis, Hypeleuthron: Ouium, Oiptoton: Caprarum Spyrada, & Spyrathiam: Murium, Mysceledra.

Grasum significat lanarum sordes in ouibus.

Sciri dicuntur sordes, & spurcitiæ casei; item fragmenta, quæ ex operibus deiiciunt marmorarii. Assulas Vitruuius vocat.

Schidia, fragmẽta lignorũ, quæ reiiciũtur ab abietariis.

Tartarum, fæx vini.

Mucceus, nariũ sordes. Catul. Mucc⁹ & Mala pituita nasi,

HARPYÆ.

HArpyas Seruius ait fuisse Neptuni & terræ filias, volatiles, vultu virgineo, vncis manibus. de his Virg. lib. 3. Æneid. Strophades Graio stant nomine dictæ Insulæ Ionio in magno quos dira Celeno, &c. Eis autẽ inditum est nomen à rapina, quę Græcè Harpya dicitur. hinc Harpax rapinator. Harpagare, rapere: Harpefax, Harpedophorus falcifer. Poetæ aiunt eas à diis immissas fuisse ad pollẽdas dapes Phinei regis Arcadiæ, quòd is filios interfecisset; fugatas demum à Zeto & Calai Argonautis, & filiis Boreæ. Hesiodus ait eas fuisse Iris sorores ex Thaumãte genitas. Val. Flac. lib. 4. Argon. eas vocat Typhonides, id est, filias Plutonis, qui dicitur Typhon.

Aello ex etymologia Græca dicitur, quasi alienũ tollẽs: Ocypete, citius auferens: Celeno, vigorem significat. Quartam Homerus addidit Thyellam. morabantur autem in Stymphali Arcadiæ lacu, vnde Arcadicæ, & Stymphalides vocantur. Lucan. lib. 5. Vnguibus Arcadicæ, volucres Stymphalla colẽtes. Virg. in opusculis: Stymphalides pepulit volucres descrimine quincto. Idẽ: Deiicit horrisono quincto Stymphallidas arcu. Vocantur etiam Phinææ à Phineo rege. Seneca in Thy. Phinæis auibus præda fugacior. Sidonius Harpyas posuit pro cruentis raptoribus, qui lucro immoriuntur, vbi ait: In foro Scythæ, in cubiculo viperæ, in exactionibus Harpyæ, in collocutionibus statuæ.

DOMITORES MONSTRORVM, & Belluarum.

MEduſa Phorci fuit filia, quam Neptunus stupraui in templo Palladis: vnde irata Pallas, eiusdem capillos mutauit in colubros, fecitq;, vt omnes in scopulos verterentur, qui eam prospicerent. hanc autem truncauit Perseus Iouis filius ex Danæ. Ouid. lib. 4. Met. Gorgonis anguicomæ Perseus superator, & alis Æthereas ausus iactatis ire per auras.

Apollo Pythonem serpentem, à cuius nomine Pythius vocatus est. Ouid. lib. 1. Met. Hunc Deus arcitenens, & nunquam talibus armis Ante, nisi in damis, caprais fuga-

cibus vsus, Mille grauem telis, exhausta penè pharetra,
Perdidit effuso per vulnera nigra veneno.

Bellerophon filius Glauci regis Corinthiorum, falsò accusatus stupri à Stenobæa Prœti Argiuorum regis vxore, expositᵘ est Chimæræ triformi; quã tamẽ domuit. Ouid. li. 2. de Trist. Nam quid de retrico referam domitore Chimæræ, Quem leto fallax hospita pœna dedit.

Alcon sagittarius Cretensis serpentem confodit illæso filio suo, quem ille iam habebat in faucibus. vide in capite de Sagittariis.

Atilius Regulus apud Bragadam fluuium serpentem cxx, pedum longitudine ballistis tormentisq; expugnauit. Plin. lib. 8. cap. 14.

Georgius Cappadox, tribunus militũ sub Diocletiano, maximum serpentem in Africa peremit liberata puella, quæ eidem deuota fuerat in prædam.

Pallas, Alcidã belluam flammas ore vomentẽ interfecit.

Cadmus quoque, Agenoris filius, alium serpentem: cuius dentes quum seuisset, nati sunt protinus armati homines, qui mutuis vulneribus se cõfoderũt, vt fabulãt poetæ.

Corœbus monstrum toti Peloponneso formidolosum occidit. Ouid. in Ibin: Inq; tuos ea pestis eat, quam dextra Corœbi Vicit, opem miseris Argolicisq; tulit.

Lysimachus, Alexandri miles, leonem, vt iam diximus.

Hercules, hydram, leonem, aprum, ceruam aeripedẽ, draconem Hesperidum, Antheum, taurum flammiferum, ceterasq; belluas, de quibus prius meminimus.

Præcipua autem monstra, quorum frequens est mentio apud poetas, sunt Minotaurus biformis, Geryon tricorpor, Sphinx, Chimęra, Cacus, Maris Thessalus, antica corporis parte homo, postica equus.

LIBERATORES QVORVNDAM hominum à periculis.

PErseus liberauit Andromedam filiã Cephei & Cassiopes, Ceto marino monstro expositam. ad cuius subsidium conuolauit insidens Pegaso equo alato. Ouid.

lib. 4. Met. Auxiliumq; domus, seruatoremq; fatentur Cassiope Cepheusq; pater.

L. Lucullus aduersus Mithridatem missus, Cottam Chalcedone obsessum liberauit.

Lucilius miles, quum videret inclinatam Bruti aciem apud Philippos, obtulit se periculo, & inimicorum manibus, vt ipsi Bruto faceret tempus ad fugam.

Q. Minutius consul à Sabinis & Volscis in Algido obsessus, subsidio Q. Cincinnati dictatoris liberatus est.

Quum ob perfidiam Laomedontis, qui Neptuno & Apollini murorum Troiæ conditoribus pactam denegauerat mercedem, pestis vrbem ipsam popularetur, & vbiq; saeperet, ad pacanda numina Hesione monstro marino destinata est; ab Hercule tamen liberata.

Calpurnius Crassus captus à Masilinis, quum Saturno duceretur immolandus, Balsacia puella patris à se proditi eum victorem fecit, eoq; modo exemit à periculo.

Diomedem Troia diruta ventis in Libyam pulsum, quum Lycus rex immolare vellet, Callucepuella patrem Lycum prodidit, vt Diomedem, cuius forma conflagrabat, eximeret à morte. Vtriusq; exempli auctor est Plutarch.

ELEMENTA QVATTVOR.

IGnis, Aer, Aqua, Terra. summum est Ignis, vnde stellarum collucentium apparent oculi. proximum Aer, seu spiritus, qui vitalis est, & per cuncta rerum meabilis, & vnicuique rei consertus. eius vi suspensa cũ quarto elemento Terra libratur in medio spatii. Ouid lib. 1. Fast. de Chao loquens: Lucidus hic aer, & quæ tria corpora restant, Ignis, aqua, & tellus vnus aceruus erant. Idem lib. 15. Met. Quattuor æternus genitalia corpora mundus Continet, ex illis duo sunt onerosa, suoq; Pondere in inferius tellus atq; vnda feruntur: Et totidẽ grauitate carent, nullóque premente Alta petunt aer, atque aere purior ignis. Verbis multò pluribus eorum potestatem de scribit & naturam. vide locum.

DArii Babylonem obsidione prementis fauorem & gratiam aucupari volens Zopyrus Persa, faciem & nares inhonesto vulnere sibi deformauit, vt Babyloniis, ad quos se receperat, fidem faceret & mentiretur se perpetuum Dario inimicum fore, à quo tam turpiter mutilatus esset. quibus verbis moti Babylonii eum in suam vrbem admiserunt, quam paullò pòst prodidit suo regi. hinc adagium, Zopyri talentum: de his, qui plurimùm sibi nocent, vt aliis afferant emolumentum.

Aristippus Cyrenæus, Socratis auditor, meruit nomen regii canis, & aulici, quòd adularetur Dionysio, & sequeretur quaquauersùm iret ille, saginandi ventris causa. unde Horatius: Si pranderet olus patienter, regibus vti Nollet Aristippus.

Venienti ab expeditione Galliarum Cæsari, & in Pompeium copias paranti, Curio obuiam approperauit multis blanditiis eundem confricans. ait enim se, inuito senatu, Cæsaris partes fouisse tãtisper, dũ coactæ siluissent leges. prœualente demũ Pompeio se expulsum Roma, velut exsulem, sed tamen exsilium non grauatè perpeti, propter imperatorem. Vnde sic apud Lucanum inducitur lib. 1. -dum voce tuæ potuere iuuari Cæsar ait partes, quamuis nolente senatu, Traximus imperium tunc, quum mihi rostra tenere Ius erat, & dubios in te transferre quirites. At post quàm, &c.

Audita Curionis oratione Lælius primipilus statim Cæsari ad quæcunque discrimina sese obtulit, testatus nullum esse flagitium, quod non committeret lubens, si imperator iuberet. Hæc eius verba ponit idem Lucanus: Iussa sequi tam velle mihi, quàm posse necesse est Nec ciuis meus est, in quem tua classica Cæsar Audiero.

Quum Alexander Iouis filium appellari se voluit, & more Persarum, prostratis humi corporibus à Macedonibus salutari; talia cõcupiscenti protinus accesserunt Hages Argiuus, pessimus carminum auctor, post Chœrilum, & Cleo Siculus, quos maximorum exercituum principa-

tibus anteferebat. hi quum intelligerent nutum domini, & quid crearet pollice, cœperunt protinus plenis eum buccis immodicè prædicare, & iam tum ante mortem deum facere. adiecerunt insuper Herculem, Bacchum, Pollucem cum Castore nouo numini cessuros. Horum fumis permotus Alexander, conuiuium omni opulentia exornauit, cui non Macedones tantùm, sed & principes Græci interfuerunt. quum autem omnes vnà cum rege discubuissent, Cleo institutum & præmeditatum sermonem cum admiratione laudum eius exorsus est: enarratisq; meritis, quibus eum noua apontheosi prædicabat, iam vnumquemq; cœpit hortari, vt regem inter deos colerent, quod ne quis recusaret, obtulit se primum, qui prostrato humi corpore regem adoraret. Cœlius.

Philoxenus fuit parasitus quispiam, qui cena quadam vbi atriorem panem vidisset apponi, Ne multum, inquit, attuleris, ne tenebras nobis inducas.

Apollophanes Antigoni fuit adulator.

Cypriæ mulieres translatæ in Syriam, currum inscensuris regum vxoribus humeros subincuruabant, vt eis suppedanei loco gradum struerent, & scalarem præberent vsum. Cœl. cap. 13. lib. 11.

Dromeas fuit parasitus, à quo quum quæsisset nescio quis in vrbe, an apud Chalcidem lautius parraretur, conuiuium, respondit, Iucundius sibi videri Chalcidensis cenæ proœmium, ostreorum numero & varietate.

Decius Laberius actor mimorum inuitatus à Cæsare, vt in scenam prodiret, respondit se necessario coactum, nihil tanto viro denegare posse, cui & ipsi dii omnia tribuissẽt.

Tym agoras Atheniẽsis Darium regem Persarum, ad quem legatus missus fuerat, adulando more Persarum adorauit. quod vbi resciuerunt Athenienses, eundem supplicio capitis punierunt.

Clisophus, Philippi Macedonis parasitus, claudum se fingebat, quòd Philippus fractum crus haberet. os & oculos eodẽ modo & iisdẽ gestibus cõtorquebat, quibus dominus.

Nicesias quum videret Alexandrum Magnum petitum à musicis, Quanto, inquit, hæ ceteris præstant, quæ sanæ

guinem tuum degustant imperator. Idem quum vulneratum eum conspiceret, illud Homericum statim protulit, Qualis dinorum percurrit corpora sanguis.

Charisophus videns Dionysium, cuius erat parasitus, seperatim cum amicis ridentem, procul quoq; ridebat. interrogatus autē ab ipso Dionysio, quid rideret, Quòd, inquit, ea putem digna risu, quę dicitis.

Andromachus Cerrenus fuit adulator Crassi, quem tamen Parthis prodidit.

Patroclides assentator fuit Philippi.

Demagoram Athenienses decem talentis multauerunt, quòd Alexandrum deum appellasset.

Euagoram verò interfecerunt, quod eundem adorasset.

Quum quidam cliens Cœlio oratori omnia concederet, longa assentatione fastiditus Cœlius, Dic, inquit, contrà, vt duo videamur.

Burra fuit quidam scurra, natione Hispanus, quem Sigismundus inperator in conuiuio argento onerauit, adeò vt sub pondere iam fatisceret.

Sarmentus fuit Romanus eques scurrilitate notissimus sub Augusto Cæsare.

Fuit & Apitius Galba nobilis scurra sub Tiberio Cæsare. de vtroque Iuuen. Sat. 5. Si potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas Cæsaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset. De Sarmento Hor. in Ser. Nunc mihi paucis Sarmenti scurræ pugnā Messiq; Ciceri Musa velim memores, & quo patre natus vtrique Contulerit lites Messi clarū genus Osci.

Tectius Caballus scurrilitate claruit apud Romanos. de eo &, quem nunc diximus, Galba, Martialis lib. 1. Qui Galbā salibus tuis, & ipsum Posses vincere Tectiū Caballū.

Rhynton fuit vilissimus nugator Tarentinus, de quo Varro & Galba meminerunt.

Adulationes verò adeò & repressit & neglexit Augustus, vt se Dominum apellari ne à liberis quidem & nepotibus suis vel serio vel ioco sustinuerit. atque huiusmodi blanditias inter ipsos etiam prohibuit.

Cæsar quoque Tiberius adulationes adeò auersatus est, vt neminem senatorum aut officii aut negotii causa ad lectī

cama suam admiserit. consularem verò satisfacientem sibi ac per genua orare conantem, ita subfugerit, vt caderet supinus. Idem si quid in sermone vel oratione blandius de se quidquam audisset, interpellabat & commutabat protinus. domini appellationē vt maledicum nomen exhorruit. quendam dicentem sacras eius occupationes, alium auctore eo senatum se adiisse, verbis mutatis iussit dicere pro auctore suasorem, pro sacris occupationibus laboriosas.

HOMINES PINGVES, & macilenti.

LEo Byzantius sophista fuit adeò pingui & obeso corpore, vt quum ad pacandam factionem Athenis, vbi tum legatus agebat, suggestum conscendisset, risum vnicuique mouerit. At ille, Quid ridetis, inquit, Athenienses? an quòd vobis videar pinguis? scitote vxorem esse mihi longè pinguiorem. tales tamenæ tantos, quū sumus concordes, breuis admodum lectulus capit; discordes, ne tota domus quidem. Quibus verbis tempestiuè & pro re adductis, populum restituit paci.

Dionysius Heracleotes tyrannus, fuit adeò ventrosus, & corpulentus, vt noctu dum quiesceret, cogeretur suis latebribus hirudines admouere, quæ humorē superfluū paullatim exhaurirent, eoq; modo aliquid adimerēt de crassitudine.

Ludouicus Crassus, Philippi primi filius, & Gallorum rex, fuit adeo vasta corporis mole, vt ex re sumpserit cognomentum.

Iam diximus imperatorem Maximinum fuisse tanta membrorum mole, vt vxoris suæ dextrocherio vteretur loco anuli.

Contra verò Chærephon tragœdiographus (qui res Heraclidarum prosecutus est) nocturnis lucubrationibus sese adeò extenuauit, vt per iocum Noctua diceretur. hinc etiam natum prouerbium, Nihil differs à Cherephonte.

Quàm tenuis & macer fuerit Philetas Cous, vide in cap. de Miraculis.

HORTI CELEBRES, ET memorabiles.

PHæacum regio (cuius rex fuit Alcinous) hortos habuit tanta pomorum varietate nobiles, vt præmaturis primis, noua statim renascerentur, vt diximus in nostro Cornu copiæ. Iuuenalis: -illa iubebit Poma dari, quorum solo pascaris odore, Qualia perpetuis Phæacum autumnus habebat.

In hortis Hesperidum poetæ fabulantur fuisse arbores auriferas, quarum custos esset insomnis Draco.

Epicurus primus omnium hortos Athenis instituit, quia antea ruri tantùm haberentur, non in urbibus. hinc Epicurus hortorum magister appellatur. Laertius refert Epicuri scholam fuisse in horto. Iuuen. Suspicit exigui lætum Plantaribus horti.

Laudantur etiam horti Adonidis, & pensiles, qui fuerũt in Assyria; siue illos fecerit rex Cyrus, siue Semiramis.

Lucanus hortos habuit cultissimos, in qbus sepultus est.

Mæcenas quoq; hortos habuit Romę pulcherrimos in Esquiliis, ad quos propter amœnitatem loci plerunq; diuertebat Octauius.

PRÆCONES.

AAchias præco fuit, qui tres Olimpiades vicit, & statuam meruit.

Talthybius fuit Agamemnonis præco. testis Herod.

Æthalis fuit præco, cui quandoque inter viuos, quandoque inter mortuos esse concessum est.

SOMNOLENTI.

MAximianus, Malchus, Martinianus, Dionysius, Ioannes, Serapion, Constantinus, nomina sunt eorum, quos ecclesiastici septem dormientes appellant. dormierunt autem annis CXCVI.

Poetæ fabulantur Endymionem beneficio Lunæ (à qua adamabatur) impetrasse, vt perpetuum dormiret somnum immortalis, & expers senni. hinc adagium natum, Endymionis somnũ dormire, in homines somnolẽtos, & desides. Cic. l. 1. quæst. Tusc. Endymiõ verò (si fabulas audire volumus) quando in Lathmo obdormiuit, qui est mons Cariæ, non dum opinor est experrectus. Martia. lib. 10. Quid tibi dormitor Proderit Endymion? Poetæ propterea Somnum, & Soporem vocant Endymionæum. Ausonius: -qualis per Lathmia saxa Endymionæos solita affectare sopores.

Epimenides Gnosius annis LVII. dormiuisse fertur in spelunca. hinc adagium, Vltra Epimenidem dormire.

FVLLONES.

ANastasius Aquileiensis, qui sub Diocletiano passus est, artem fullonicam prius exercebat.

Fuit & Clesippus fullo, cuius meminit Plin. lib. 34. cap. 3.

COLVMNÆ HERCVLIS.

AByla, & Calpe montes sunt in extremis Iberiæ finibus, non procul Gadibus, & Carteia, quos Herculis columnas vocant. Plin. lib. 3. Proxima autẽ faucibus vtrinq; impositi montes coercent claustra, Abyla Africæ, Europæ Calpe, laborum Herculis metæ. quam ob causam indigenæ columnas eius dei vocant, creduntq; per fossas exclusa antea admisisse maria, & rerum naturæ mutasse faciẽ. Syllius: -at laudibus olim Terminus Herculeis Calpe.

FAMES MEMORABILES.

CAmbyses Cyri filius in Æthiopas iugum detrectantes copias mouit; quibus quum deessent commeatus & annona, coacti sunt milites, decimum quẽq; ad cibum sortiri & occidere. durauitq; tantisper illa calamitas, dum rex ipse sibi metuens receptui cecinerit.

Hannibale Casilinum oppidũ, in quo erant Romani milites, obsidente, uenisse murem ducentis nummis: eumq; qui uendiderat, fame periisse, emptorem uixisse, tradit Plin. lib. 8. cap. 57.

Perusia oppidũ est Etruriæ, in quo Antonius obsessus ab Augusto, quum extrema fame laboraret, annonę pænuria coactus est deditioné facere. hinc fames Perusina proprio uocatur epitheto. Lucanus: His Cæsar Perusina fames, Mutinæq; labores Accedant fatis.

Alexandri exercitus aduersus Bessum, Bactrianorum ducem, tanta fame laborauit, ut singulæ amphoræ succi ex sisama, uenirent ducenis quadragenis denariis; singulæ uerò mellis amphoræ, denariis triginta amphoræ uini totidẽ; ciriti nihil omnino, aut exiguũ admodum reperiebatur. itaque frugum pænuria milites herbis & piscibus famem leuabant. his demum alimentis deficientibus, iumenta, quibus onera portabant, interfecerunt, & eorum carne traxerunt uitam. Curtius lib. 6.

Quodam tempore serpentum multitudo apud Laconas emergentes, sequentem portẽdit famem, quę tãta extitit, ut Spartani ipsi annonæ raritate serpentes illos in cibum commutauerint.

Melus oppidum est Thessaliæ, quod Nicias Atheniensium dux expugnauit, non tam machinis bellicis, quàm fame. hinc, Fames Melia, prouerbio locum fecit.

Saguntus, urbs Hispaniæ, olim amicissima Romanis, longa Pænorũ obsidione eò famis redacta est, ut ciues extructo in foro igni, suas res omnes in eum coiicerent, seq; ac suos postremò liberos eodem præcipitarent, ne uenirent in manus inimicorum. hinc, Saguntina fames, dicitur de extremarum pænuria. Ausonius: Iamiam pereſam iam Saguntina fam Lucaniacum liberet. Hanc autem famem triste prius portenderat prodigium. nam quum ferè enixa mulier esset, infans in uterum regressus, ciuitatis excidium significauit. Eutropius.

Calagurium, urbs est Hispaniæ, Quinctiliani patria, cuius incolæ à Cn. Pompeio obsessi, ut fidem Sertorio præstarent, in tantam famem duraũerunt ut uxores suas ac liberos in

ros in usum extremæ dapis conuerterent, quum nullum aliud animal in urbe superesset.

Saxo ait, Hunnos quadam tempestate in tantam famem redactos, ut nec canibus perpercerint, quibus ad pastum uterentur.

Doda, Syriæ rege, Ioram in Iudæa obsidente, matres inedia coactæ filiorum uisceribus famem expleuerunt. Tristis adeò fuit illa Samaritana fames, in qua etiam asini caput ueniit octogenis nummis argenteis.

Captis Hierosolymis Romani milites, qui merebant sub Vespasiano, reperierunt in domo cuiusdam mulierculæ puerilia membra, minutatim discerpta, quibus infelix mater occultè uescebatur.

Quo tempore Gothi opprimebant Italiam, femina obscuri nominis filii à se interfecti carnes esitauit.

Sabellicus ait, tantam suo tempore rei frumentariæ caritatem incidisse in non nullis Flaminiæ regionis, & Piceni agri locis, ut rude uulgus & plebecula arborum radicibus, herbisq; uictitauerit.

Francisco Sfortiæ filio Mediolanum obsidente, modius tritici uenit uicenis aureis nummis.

Obsesso à Gallis Barulo, Apuliæ oppido, tanta laboratum est fame, ut milites detractas scutis pelles, aqua emollitas absumerent, herbisq;, si quas reperissent, uescerentur.

Athenienses à Sylla, qui postea fuit dictator, obsessi, Medimnum tritici mille drachmis emerunt. Plebeii verò, quibus tanta erat argenti pænuria, quanta annonæ, gramineis circa urbem nascentibus, & calceis coctis auidius uescebantur. Eadem urbs à Demetrio Antigoni obsessa, modium tritici emit drachmis CCC.

Petelini à Pœnis in Italia obsessi, coria ex scutis detracta corrosere, ut præstitam Romanis fidem conseruarent.

Ceterùm Græci olim consueuerãt famẽ uirgis exædibus eiicere dicentes: Foras famẽ, intrò diuitias, & sanitatem. Magna fames uocatur Bulimus. Famem Ouidius lib. 8. Metam. describit.

PArasanga apud Persas erat mensura quinquaginta stadiorum. Plin. lib. 6. Inconstantiam mensuræ auctorum diuersitas facit, quum Persæ quoque Schœnos, & Parasangas alia mensura determinent.

Chœnix Mensura est escæ diurnæ. hinc Chœnici insidere dicuntur, qui super futuro victu curiosi sunt. Herodotus in Erato: Regibus ad cœnam non euntibus mittantur binæ Chœnices farinæ, & vini singulæ cotylæ, id est Sextarii. Est & Chœnis semodium. Grammatici aiunt Chœnicas x LVIII. modio contineri. Homerus in Odyss. Chœnica accepit pro cibo, vbi ait: Nam quæcunque mea dignabor Chœnice prorsus Haud cessare sinam, quanquàm procul aduena fertur. Citantur hi uersus à Budæo.

Congius mensura est sex sextariorũ, & est pars amphoræ.

Gomor interpretatur mensura vini.

Gruma est mensura, qua fixa viæ ad lineã dirigũtur. hinc Degrumari, viam dirigere; & Exgrumari, à via recedere.

Hemina mensura dimidium sextarii continet. Gellius Si ex sextario hemina fusa est.

Medimnus sex modios continet. Herodotus: Singulis quoque calendis instantis mensis singula pecora vtrique è publico dentur Apollini immolanda, & farinæ Medimnum, id est sex modia, & vini Laconicus quartarius.

Modius continet duo & viginti sestertia. hinc Semodius & Trimodius. Colu. Eadem quattuor modiis, nonnunquam tribus, etiam duobus ac semodio iugerum occupat.

Palmus maior, est digitorum XII. Græcè vocatur Spithama, & Latinè Dodrans. Minor IV. digitorum, Græcè Palestes. dicitur etiam Palmum in neutro genere.

Semissis mensura est dimidii assis. Semissem hominem, vocamus vilem, & abiectum.

Sitometra, mensura est frumentaria.

Artaba mensura LXXII. sextariorum, de qua Herodotus Artaba, inquit, persica est mensura, capacior, quàm Aticus Medimnus tribus Chœnicibus Atticis.

Acetabulum mensura est continens quartam heminæ partem, id est, drachmas XV.

Drachma Attica pondus habebat denarij argentei, efficiebatque sex obolos pondere. Obolus decem calchos. Plin. libro 12.

Decempeda decem pedum mensura. Cicero: Quam iam peritus metator, & callidus, decempeda sua, saxa diuiserat. Horat. Nulla decempedis Metata priuatam porticus excipiebat Arcton. Hinc Decempedator, qui pertica decem pedum vtitur.

Hexapeda, sex pedum pertica aut mensura.

Stadium pedum DC.

Origya senum pedum, & quattuor cubitorum.

Plethrum, mensura est cẽtum pedum, & sexta pars stadii.

Diaulus, mensura est duorum cubitorum.

Dolichos stadiorum XII. Hinc Diaulodromi & Dolichodromi.

Schœnus Ægyptiorum est mensura, capiens stadia LX. teste Herod.

Stathmos, id est mansio millia continet XXVIII. semis: & est mensurarum maxima. Stathmi etiam dicuntur diuersoria tabellariorum cursorum, id est certa spatia, quæ vno actu solent conficere.

Passus quinque pedum est, id est duorum gressuum.

Gressus cubiti vnius & pedis.

Cubitum sesquipedale est, constatque digitis XXIV. Græci vocant Pygon.

Pes est IV. Palmorum seu XVI. digitorum. sed hæ sunt viarum mensuræ. Cotula est tertia pars Chœnicis.

Sextarius continet octo Chœnicas.

Chus mensura est Attica capiens heminas octo.

Ceramium Græci amphoram vocant.

Metreta decem congios continet. & capitur pro amphora uinaria. Mart. Plurimus Hispanas mittet mihi nauta matretas.

Triens, seu Hecteus, sextarius est Medimni, capitque Chœnices octo.

Hemihectum, seu Hemihecteum, dicitur semisextarius Medimni,

Culeus mensura est continens vicenas amphoras, vel vi-

nas quadragenas. Plin. de vinea Palemonis grammatici lo quens: Quando & postea sepænumero septenos culeos singula iugera, hoc est amphoras centenas quadragenas musti dedere.

Batus Hebraicum est vocabulũ. capit sextarios LXXII. Sabellicus: Cui quamdiu opus tenuit, ex Iudæa quotannis Coros tritici viginti millia dono misit Salomon, totidemq; Batorum olei.

Corus Medimnos Atticos XLI.

Mna Græca habet vncias XVI. Romana XX.

Libra vnciasduodecim. Vncia drachmas VIII. Drachma grammata III. Gramma obolos duos. Obolus ceratia III. Ceratium chalchos duos. Cyamus Ægyptius grammata XII. Sed alia sunt mensurarum apud nos vocabula. Porrò autem culpã me oportet deprecari, quòd hic viarum mensuras, liquorum & aliarum rerum mensuris confudero. scribebam enim, vt occurrebant variæ lectiones. præterea nemo est, vt opinor, adeò simus & expers nasi, qui prima statim fronte discrimen non intelligat. Varia mensurarum genera leges apud doctissimum Budæum, pleraq; etiam in antiquis lectionibus Cœlii.

SERVI DIVERSI, LIBERTI, & famuli.

DAphnis fuit seruus, quem Cnæus Pisaurensis vendidit M. Scauro tribus millibus, & LXX. sestertiis. Plotius, Manlius Antiochus & Staberius Erotes nomina sunt seruorum apud Plinium lib. 35. cap. 16.

Auge, serua fuit Demetrii, Chrisogonus seruus Syllæ, Heron Luculli, Hipparchus M. Antonii, Mena & Menecrates Sex. Pompeii.

Pallens, Callistus, & Narcissus tres fuerũt serui, qui Claudii principatu seruitute liberati, dites admodũ euaserunt.

Drusillanus, seruus fuit Claudii principis, qui lancem habuit quinquagenariam, auctore Plinio, cui fabricandæ officina prius exædificanda fuerat.

Publius Catienus, Philotimus seruus fuit, qui heres om

nibus bonis institutus coniecit se in rogum patroni. Plin. libro 7.

Paronetemus, seruus fuit & Spado, quem Sutorius Priscus magna pecunia vendidit Seiano.

Splachnoptes verna fuit Pericli, Athenienſium principi carus.

Demetrius seruus fuit Pompeii. Plut. in Cat. Vticẽſi.

Pachus seruus Catonis Censorij, qui mortẽ sibi cõsciuit.

Eros seruus fuit Antonij, à quo quum Antonius ipse ab Augusto superatus, rerum desperatione gladium petiuisset ad inferendam sibi mortem, ille gladium quidem accepit quasi Antonium percussurus; at conuerso properè ictu seipsum confodit, & ad pedes domini prolapsus est.

Aleman poeta, inuentor carminis amatorij, seruus fuit Agesidis, propter ingenium manumissus.

Demetrius nomen est serui apud Martialem lib. 1. scribentem: Destituit primos virides Demetrius annos.

Melanthius seruus fuit Vlyssis, quem Vlysses ipse reuersus ab expeditione Troiana interfecit.

Mys seruus fuit Pythagoræ vel Epicuri secũdũ Gellium.

Phedon Socraticus, cui Plato librum de animæ immortalitate nuncupauit, seruus fuit, quem Cebes Socraticus hortante Socrate emit.

Menippus item, cuius libros Marcus Varro in Satyris æmulatus est. Pompilius seruus fuit Theophrasti Peripatetici.

Perseus Zenonis Stoici.

Diogenes Cynicus seruitutem seruiuit. hunc quum emere vellet Xeniades Corinthius, & quid is artificij nouisset, percunctatus esset? Noui, inquit Diogenes, hominibus liberis imperare. Quod respõsum miratus Xeniades, emit, & manumisit. filiosq; suos ei tradens, Accipe, inquit, liberos meos, quibus imperes.

Epictetus philosophus seruum se confessus est his verbis: Seruus Epictetus fueram, qui corpore mancus, Paupertate pressius, carus eram superis.

Æsopus Trax, seruus fuit condicione, manu tamen ab Idmone missus.

Iosephus Iudæorum fuit vernaculus & templi sacerdos.

Ammianus ait Eunum ergastularium fuisse seruum, qui in Sicilia duxerit captiuos.

Epaphroditus seruus fuit & libertus Neronis.

Toko seruus fuit cuiusdam Gunnonis, teste Sazone.

Carellus seruus fuit Gundibergæ Longobardorum regi næ. Paul. Diaconus.

Romæ seruiuit Terentius Carthaginiensis; seruiuit & Publius Syrus Attellanarum auctor.

Statium Cæcilium comœdiographum seruum fuisse nomen ipsũ arguit. nã Statius nomẽ erat seruile, teste Gellio.

Euporus seruus fuit C. Gracchi, qui dominum ex Auentino fugientem, qua potuit, ratione tutatus est, ac super occisum animam scissis proprio vulnere visceribus effudit, inquit Macrobius.

Mycithus seruus fuit Anaxilai Messenii Rhegynorum tyranni, qui moriens liberos suos eidem commendauit.

Tiro Tullius, & Laurea Tullius serui fuerunt & liberti Ciceronis. Pompeius Leneus Pompeii Magni, Patrobius Neronis. Plin.

Annicetus, auctore Corn. Tacito, libertus fuit Neronis, & Mnester Agrippinæ.

Chilo seruus fuit Porcii Catonis.

Zosimus libertus fuit Plinii oratoris.

Syris serui imperant: nam quum apud eos soli serui militent, ex illis creatur imperator; cuius virtutem habent exploratissimam. Cretenses seruis suis (quos vocabant Epharmiotas) permittebant omnia præter gymnasia & armorum professionem.

Maryandini à Milesis subacti vendebantur in contemptum. Publica seruitus in Creta vocatur Mnœa.

Helotæ dicebantur Lacedæmoniorum serui à Laconiæ ciuitate, quam Helos vocant.

Serui feruntur esse in Pannonia ipsa seruitute seruiliores.

Thracum populis peculiare fuit sale mancipia commutare. hinc adagium, Sale emptum mancipium.

Seruis argento comparatis primùm vsi sunt Chii.

Apolides dicuntur viles serui, qui sine ciuitate in opus

perpetuò dantur, & deportantur in insulas, ad metalla, salinas, & sulphurarias.

Ferritribaces à Plauto dicuntur, qui semper compediti sunt ferro. aliter dicuntur, genus hominum ferratile.

Salutigeruli, qui iussu domini, aut dominæ, hunc vel illum salutant.

Mediastini, qui in media domo inter seruos abiectissima quæque munia obeunt. Horatius: Tu mediastinus tacita prece rura petebas. Tales sunt in nauibus Mesonautæ.

Hercitæ, serui sunt, qui versantur in agris.

Apud Lacedæmonios ancillæ vocantur Chalcides.

Catanocophori fuerunt Sicioniorum serui: Prospelatæ Arcadum.

Capsarii dicuntur, qui seruanda in balneis vestimenta mercede suscipiunt. Porcius Cato, vir alioqui in omni vita laudatissimus, seruos senio debilitatos solebat eiicere: ceu accepto commodo nihil amplius humanitatis debeatur hominibus.

Mancipia iure belli capta, olim venibant sub coronis.

Pausicape dicitur orbicularis seruorum machinula, qua ori manus admouere prohibentur.

Trita mancipia, & veterana dicuntur, quæ emendari nequeunt. Seruorum turba vocatur Therapia.

Qui mancipia cædunt, Stigmatiæ dicuntur & Stigones: qui cæduntur, Mastigiæ: flagella ipsa vocantur mastigides, hystrichides, rhyteres.

Callicyrii nuncupantur exsulum serui.

Trapezopœi dicuntur serui mensam curantes.

Pleatri serui, qui præficiuntur ciborum ministerio.

Scapulares serui, quibus scapulæ cæduntur, & qui ostreatum tergum vlceribus gestant. Equi character fronti impressus seruitutis etiã erat argumentũ, auctore Plutarcho.

Vulsinienses quum seruos suos omnes manumisissent, ab eis postea oppressi sunt.

Serui antiquitus accepta libertate, rasis capitibus pilea induebant. Moris erat etiam, vt pedes seruorum venalium creta notarentur. unde Iuu. Sat. 1. Nuper in hanc vrbem pedibus qui venerat albis.

Suduculum, flagellum est, ita vocatum, quòd vapulantes sudare faciat. Scutica, verber factum loris. diminutiuum est, Scuticula.

VINCVLA DIVERSA.

BOiæ dicuntur vincula tam lignea, quàm ferrea, quòd sic illaqueant, ut iuga suos boues.

Circites circuli sunt ex ære facti.

Cohum, lorum est, quo temo buris iugo adalligatur.

Epidromes, funes sunt, quibus retia tenduntur circa summam & imam partem.

Lorum, uinculum est ex corio: capitur etiam pro retinaculo iumentorum, & cingulo Veneris. Gellius: Videbamus Androdum & leonem loro tenuit reuinctum urbe tota circum tabernas ire. Lorarii dici possunt carnificum famuli, qui reos loris uinciunt imperantibus dominis.

Pedica laqueus pedum. Mantuanus in Buccol.

Vt captam pedicis circundat aranea muscam.

Numella uinculum est ligneum, quo reorum pedes & colla in foramina rotunda immittuntur, & ibidem constringuntur, ut se neq ueant e lucere. Plaut. in Asin. Qui aduersum stimulos laminas, crucesq; compedesq;, neruos, catenas, carceres, numellas, pedicas, boias

Compes uinculum est pedum, quo alligantur rei, ne carceres effugiant. Horatius: Ibericis peruste funibis lacus Et crura dura compende.

Retia, seu Reticula, dicuntur casses uenatorum, ad illaqueandas feras. capiuntur & interim pro aliis uinculis.

Catasta cõpes erat seruilis. Persius: Cappadocas rigida pingues pauisse Catasta. Capitur etiam pro loco, in quo uenales pueri & puellæ seruabantur.

Manicæ dicuntur propriè manuum uincula. Virgil. Ipse uiro primus manicas atq; arcta leuari Vincla iubet Priamus,

Capistrum, capiti uinculum in equis & iumẽtis. Martialis: Paret purpureis apis capistris.

Pantheron, genus est retis, ex eo nomen habens, quòd omnes aues concludat

Panagron appellatur rete piscatorium

CENTAVRORVM NOMINA.

EVrytius, Nessus, Astylus, Ophionides, Gryneus, Rhetus, Orneus, Lycidas, Meden, Pyserior, Taumas, Mermeros, Pholus, Menelas, Abas, Eurynomus, Hyreos, Hymbros, Ceneus, Alphidas, Elops, Pacreus, Lycus, Cromis, Dictys, Pharcus, Bianor, Hediamus, Lycetus, Hypason, Thereus, Ripheus, Demoleon, Plageon, Hylon, Ephinous, Damus, Dorylus, Cyllarus, Pheo, Thomus, Thebaos, Pyretus, Ethodus, Epidupus, Odites, Styphelas, Bromus, Antimachus, Elymus, Pyremus, Latreus, Monychus, Hyllonome femina, Maris.

Ixion Phlegyæ filius, vt fabulantur poetæ, Centauros genuit ex nube, qui propterea vocantur Nubigenæ, & ab Ixione patre Ixionidæ. Virg. lib. 7. Ceu duo nubigenæ quum vertice montis ab alto Descendunt Centauri. Ouid. lib. 12. certè mihi sæpe referre Nubigenas domitos à se pater ipse solebat. Finguntur præterea fuisse humana facie & equino tergo, vnde Semiferi, Bimembres, Bicorpores, & Semimares vocantur. Virg. in Opusculis: Centaurusq; biformis adest. Idem lib. 8. Æneid. Tu nubigenas inuicte bimembres, Hylæumq; Pholumq; manu, tu Cressia mactas Prodigia. Stat. lib. 9. Semifer aeria talis Centaurus ab Ossa Desilit in valles. Quid. lib. 12. Nos semimari superamur ab hoste. Hoc autem ideò fingitur, quoniam equos domare & equo pugnare primi omnium excogitarunt, auctore Plinio. Bellum gerunt in Lapythas, victi sunt ab Hercule. Aliter etiam vocantur Hippocentauri.

SIRENES

SIrenes filiæ fuerunt Acheloi & Calliopes musæ, quarum primam voce, secundam cithara, tertiam tibiis aiunt canere. hæ cantus amœnitate dicuntur sopire nautas, sopitos demũ submergere: vnde & pro meretricibus accipi solent, quæ verborum lenociniis blandiuntur, vt

totum exsugant hominem. corpus habent supernè femineũ ad vmbilicum vsque, infernè desinunt in pisces. earum autem nomina sunt Aglaosi, Telcipoi, Pisino, Illigi. Sunt qui Parthenopen vrbem dictam velint ab earum vna, quæ ibidem tumulata sit; nomenq; habuerit Parthenopeia: alij Leucosiam & Ligiam nimphas faciunt.

MINISTRI SOMNI.

POetæ Somnum Deum faciunt (vt videre est in fine quinctiÆneidos) Herebi filium, cui & ministros assignant, quorum hæc sunt nomina, Morpheus, Icelon, seu Phabetor & Panthus.

Morpheus ille est, qui dormientibus varia phantasmata & multiplices rerum imagines obiicit. Ouidius lib. 11. At pater è populo natorum mille suorum Excitat artificem, simulatoremq; figuræ Morphea, non illo iussu sollertior alter Exprimit incessus, vultumq; sonumq; loquendi. Adiicit & vestes, consuetissima cuique Verba, sed hic solus homines imitatur.

De Icelone, seu Phabetore Idem: -at alter Fit fera, fit volucris, fit longo corpore serpens. Hunc Icelon superi mortale Phabetora vulgus nominat.

De Phanto, seu Phantaso, idem: -est etiam diuersæ tertius artis Phantasos, in humum, saxumq; illa vndamq;, trabemque, Quæq; vacant anima fallaciter omnia transit: Regibus hi, ducibusq; suos ostendere vultus Nocte solent, populos alij plebemq;, pererrant.

SYNONYMA QVÆDAM POETICA.

ATheniensis in primis dicuntur Attici, Athenæi, Actæi, Thesæi, Thesidæ, Cecropij, Cecropidæ, Munichii, Mopsopii, Æacidæ, Erichtæi, Erichthonii, Ægidæ, Marathonii, Cranai, Erichthidæ, Codridæ. Athenienses, & Athenæi à Minerua, quæ Athena Græcè dicitur. Attici & Actæi ab Attione rege. Ouid. lib. 1. Met. Separat Aonios Actæis Phocis ab aruis. Thesæi, & Theseii, &

Thesidæ, à Theseo filio Ægei Athenarum regis. Virg. lib. 2. Georg. Præmiaq; ingentes pagos & compita circum Thesidæ posuere. Martialis eadé ratione fauos Thesæos vocat: id est Atticos, vbi ait: Massica Theseis tam benè vina fauis. Cecropidæ à Cecrope rege. Virg. lib. 6. Æneidos: -tum pendere pœnas Cecropidæ iussi. Munychia erat Athenienſium nauale, vnde & Munychij dicti sunt. Ouid. lib. 2. Met. Munychiosq; volens agros, gratamq; Mineruæ Despiciebat humum. Mopsopii à Mopso Athenarum rege. Ouid. lib. 5. Met. Mopsopium iuuenem sacros agitare iugales. Æacidæ ab Æaco. Idem Ouid. lib. 8. Dant placidi cursum redeuntibus austri Æacidis. Erichthæi & Erichthonii ab Erichtheo & Erichthonio regibus. Ouid. libro 8. Erichthæas Tritonidas ibat ad arces. Eadé ratione vocantur Erichthidæ. Ægidæ ab Ægeo Athenarum rege. Ouid. in Epistolis: Inter & Ægidas media statuaris in vrbe. Marathonij à Marathone Atticæ campo. vnde Statius lib. 5. Sil. Erigonem vocat, Marathoniam. Syllius lib. 14. Armaq; fixæ deis, aut quæ Marathonius hostis perdidit. Cranai, à Cranao rege Athenarum. Codridæ, à Codro rege, qui se pro patria deuouit.

Attica, Mopsopia, Ionia, Possidonia, Cecropia, Cecropis, Attis, Acte, idem sibi volunt. Athenienses etiam dicuntur Pandionii, à Pandione rege Erichthonii filio.

Ascanius, filius Æneæ, aliter vocatur Iulus, & Ilus. Virg. lib. 1. Æn. At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo additur, Ilus erat, dum res stetit Ilia regno.

Arcades, Arcadij, Arcadici, aliter vocantur Tegei, Tegeæi, & Tegeatici, à Tegeo Arcadiæ oppido. Virg. lib. 5. Æn. Alter ab Arcadia Tegeæ de sanguine gentis. Idé li. 8. Tum lateri atque humeris Tegeeum subligat ensem: id est, Arcadicũ. Parrhasii à Parrhasia Arcadiæ regione. Virg. lib. 11. Qui Parrhasio Euandro Armiger ante fuit. Lycæi, à Lycæo monte Arcadiæ. Ouid. li. 2. Fast. Faunus in Arcadia templa Lycæus habet. Nonacris locus est in Arcadia, à cuius nomine Arcades vocantur Nonacrini & Nonacrii. Ouid. lib. 5. Fast. Et matri & vati paret Nonacrius heros: id est, Euander Arcas. Idem lib. 4. Met. Dum redit, itque

frequens, in virgine Nonacrina Arsit. Parthenii, à Parthenio monte Arcadiæ. Ouidius lib. 9. Vestrum opus Elis habet, vestrũ Stymphalides, vndæ Parcheniumq; nemus. Pisæi à Pisa oppido Arcadiæ prope Alpheum fluuium. Ouidius lib. 2. Trist. Quid non Tantalides agitante cupidine currus Pisæam Phrygiis vexit eburnus equis? Pisæam, id est Hippodamiã Arcadicam. Molorchæi à Molorcho Arcadiæ pastore, cuius precibus Hercules leonem interfecit.

Elæi ab Elea oppido Arcadiæ prope Tegeum, vbi Minerua fanum habuit. Statius lib. 4. Sil. Aut. Eleæ lucis vidit Tegeæa sacerdos. Erymãtii & Erymanthæi ab Erymãto monte. Statius lib. 5. Theb Affuit Hippomedon, rectorq; Erymantius, id est, Parthenopeus. Cyllenii, à Cyllene Arcadiæ monte, à quo Mercurius vocatur Cyllenius. Cleonei à Cleone oppidulo. Callistonii, à Callisto filia Lycaonis, regis Arcadiæ.

Alemani aliter vocantur Teutones, Teutoni, & Teutonici, à Teutone deo, quem venerabantur. Lucan. lib. 1. Vidimus & Martem Libyes, cursumq; furoris Teutonici. Idem lib. 6. Cantaber exiguis, aut longis Teutonus armis. Germani, quòd vicini sint Belgis. Item & Germanici. Sueton. in Aug. Vt tamen in quibusdã Pannonicis atque Germanicis aut interueniret, aut non longè abesset. Rheinicolæ, quòd habitent ad Rhenum fluuium.

Aetoli, populi Græciæ, Epiro & Acarnaniæ finitimi, aliter vocantur Calydonii à Calydone vrbe. hinc Calydonides, eius loci mulieres. Stat. lib. 2. Theb. Centum ibi virgineis votæ, Calidonides aris. Oeneii, ab Oeneo rege Ætoliæ, & Deianiræ patre. Ouid. lib. 8. Et Oenetos vltorem spreta per agros Misit aprum. Pleuronii ab eiusdem loci vrbe, quæ dicitur Pleuron. Ouidius lib. 14. Talibus iratam Venerem Pleuronius Acmon Instimulat vt bis. De Pleurone Stat. lib. 2. Theb. Et reduci pateat mihi Martia Pleuron. Eadem ratione vocantur Pleuronis alumni. Idem Stat. lib 3. Nunc mæstæ fundens Pleuronis alumnos. Naupactæi à Naupacto eiusdem loci oppido. hinc Achelous dicitur Naupactæus. Ouid. lib. 2. Fast. Amphiaraides Naupactæo Acheloo.

Aegyptii aliter vocantur Paretonii à Paretonio Ægypti vrbe; Mareotici à Mareotide lacu eiusdem loci. Ouid. lib. 9. Isi Paretoniũ Mareoticaq; arua Pharonq; Quæ colis. Classis Mareotica, id est Ægyptia, qua vehebat Cleopatra. Isiaci ab Isi filia Inachi, quam pro dea coluerunt. Ouid. lib. 1. de Ponto: Vidi ego linigenæ numen violasse fatentem Isidis Isiacos ante sedere focos. Memphei, & Memphitici, à Memphi Ægypti vrbe. Ouid. lib. 1. de Arte: Ne fuge linigenæ Memphitica sacra iuuencæ. Lagæi à Lago primi Ptolemæi patre, à quo Nilus vocatur Lagæus. Lucanus lib. 1. Quà mare Lagæi mutatur gurgite Nili. Idem lib. 8. Vltima Lagææ stirpis, perituraq; proles. Niliaci, Nilotici, Nilicolæ, & Niligenæ, è Nilo fluuio. Lucanus. lib. 15. Te nisi Niliaca propius non vidit arena. Idem lib. 9. Rege sub impuro Nilotica regna tenente. Pelusii, & Pelusiaci, à Pelusio Nili hostio. Lucan. lib. 8. quà diuidui pars maxima Nili In vada decurrit Pelusia septimus amnis. Ptolomæi à Ptolemæo Lagi filio, à quo deinceps Ægyptii reges omnes idem traxerunt nomen. unde & Pharon Ptolemæam poetæ appellant. Pharii à Pharo Ægypti insula. Cleopatrici à Cleopatra regina. vnde & Sidonius dapes Cleopatricas appellat.

Aegyptus aliter vocatur terra Memphitis, tellus Nilotica, & Delta.

Apuli Italiæ populi, aliter vocantur Messapii à Messapo rege. Ouid. l. 14. Peucetiosq; sinus Messapiaq; arua reliqt. Ætholidæ ab Ætholo Diomede, qui ibidem imperauit. Syllius libro 13. Ætholidas interfuit haud ignobile nomen. Daunii à Dauno patre Turni, qui ibidem regnauit. Apulia ipsa vocatur Iapygia ab Iapyge Dædali filio, Messapia à Messapo, Dauniaè Dauno.

Arcadia aliter vocatur regio Mænalis, à Mænalo promontorio. Ouid. lib. 3. Fast. Pinigerum Fauni Mænalis ara caput.

Arabes Nysi, & Nysiadæ. hinc nymphæ, Nysiades, à Nysa oppido. Ouid. lib. 3. Fastorum. Nysiades nymphas Puerum quærente nouerca.

Angli, seu Anglici, aliter vcoantur Britanni. Virg. Et

penitus toto diuisos orbe Britannos. Caledonii, Martial. lib. 1. Nuda Caledonio sic pectora præbuit vrso. Dicuntur & Brutigenæ, quoniam descenderunt à Bruto.

Anglia ipsa aliter vocatur Britannia, Caledonia, Albion, & Angliterra.

Afri, seu Africani, aliter vocantur Tunisei, à Tuneto, seu Tunitio Libyę ciuitate. Sidonius: Torrida Tunisęos infert mihi Byrsa furores.

Aeolia insula dicitur etiam Æolis. Bap. Pius: Vt Liparæus ager, vtq; Æolis insula flagrat. Æoliæ insulæ prius etiam dicebantur Ephestiades, & Vulcaniæ.

Allobroges populi, aliter vocantur Pedemontani. Stroza pat. Et Pedemontanum signa secuta ducem.

Aurelia, prius vocabatur Genabum.

Æquisgranum, Vegerra. Ætna insula, Inesia.

Agrigentum, Agragas. Virgilius Arduus vnde Agragas despectat maxima longè Mœnia.

Aegina vrbs adiacens Peloponneso, aliter vocatur Oenopia. Ouidius lib. 7. Met. Onopiam veteres appellauere, sed ipse Æacus Æginam genitricis nomine dixit.

Ambracia, vrbs Epiri, prius dicebatur Eponia, & Paralia. Ambracienses & Ambraciotæ idem sibi volunt.

Achelous fluuius prius Thoas dicebatur. mutauit nomen sub Acheloo rege.

Arar fluuius, influens in Rhodanum, ætate nostra vocatur Sagona.

Achaia regio aliter vocatur Ægyalos ab Ægyalo rege.

Argos & Hippium, idem sibi volunt. auctore Plinio.

Antiochia, Seleucia à Seleuco rege.

Auster Notus idem. Plinius libro 18. Hæc austrum ventum dabit, quem à Græcis Notum dicimus vocari.

Apollo, Pæan, Phœbus, idem.

Aurora, Memnonis mater, Eos idem. Seneca in Hercule Oeteo. Noctesque duas contulit Eos.

Achilles, Æacides, Pelides, Chironis alumnus, idem.

Ariadna, Minois, quòd sit Minois filia.

Aesculapius, Epidaurius anguis, quoniam in Epidauro colebatur in forma colubri.

Anien fluuius, Anieno, Anienus.

Aeolus Hippotades id est nepos Hippotæ cuiusdam Troiani. Ouid. lib. 11. Quòd socer Hippotades tibi sit, qui carcere fortes Contineat ventos.

Argo nauis, aliter vocatur Pinus Thessala, & Pagasæa, à Pagasa Thessaliæ ciuitate.

Bithynia, aliter vocatur Mygdonia, à Mygdono rege: & Bebrycia à Bebryce. Ouid. in Epist. Nunc quoq; Mygdonia flabilis astat humo.

Bœotii, aliter Bœoti. Lucanus lib. 3. Bœoti coiere duces. Phocæi, & Phocaici, à Phocide propinqua regione.

Hyanthæi à vetustis Bœotiæ populis Stat. lib. 1. Theb. Exsul Hyanthæos inuenit regna per agros. Teumesii à Teumeso Bœotiæ monte. Stat. lib. 2. Theb. Non alias tacita iuuenis Teumesius iras Mente acuit. Meleagri, à Meleagro. unde & Pleuron Meleagria vocatur à Statio. Thespiaci à Thespiis oppido eius loci. Stat. lib. 2. Sil. Centum Thespiacis odora lucis Stent altaria. Helyconii ab Helycone monte Bœotiæ musis sacro. Stat. lib. 7. Horrent Tyrrhenos Helyconia plectra tumultus. Cyrrhæi, à Cyrrha oppido Phocidis. Statius libro 7. Mœnia Cyrrhæa monstrauit Appollo iuuenca. Hippocrinisati, ab Hippocrene fonte. vocabulum est Sidonii Apollinaris. Aganippæi, ab Aganippe, fonte eiusdem loci. Aonii & Aonidæ, quoniâ Aonia pars est Bœotiæ. Castalii à Castalia fonte.

Bithyni aliter vocantur Bithynici, Tynniaci, Mygdonii, Bebryaci.

Biturici, Bituriges. Sidonius Spectabilem uirum episcopum sibi flagitat populus Biturix ordinari.

Bizantii, Bizantini. Bizantium, Ligos. Plin. lib. 4. In quo oppidum Bizantium liberæ condiciones, antea Lygos dictum.

Bononia, Felsina.

Bœotia, Aonia, Ogygia, Hyantis.

Boreas, Aquilo.

Bacchus, Liber, Iacchus, Euan, puer Semeles.

Briareus, Ægeon.

Belides, Danaides.

Bellona, Pallas, Enyo.
Belgæ, Belgici.
Burgundi, Burgundiones.
Baleares Gymnesiæ.
Bellouaci, Bellouacenses.

Corinthii uocãtur Corinthæi, & Corinthiaci. Ouid. li. 15. Iamq; Corinthiaci carpebã littora ponti. Cypselidæ, à Cypselo Ixionis filio. Virg. in Cyri: Cypselidæ magni, florentia regna Corinthi. Ephyræi, & Ephyræii, quoniã Corinthus primò uocabatur Ephyre. Lucan. lib. 6. Insedit castris, Ephyræaq; mœnia serunt. Isthmiaci, & Isthmii, ab Isthmo terra angusta prope Corinthum, quæ separat Ægæũmare ab Ionio. Stat. lib. 2. Sil. Talis in Isthmicos ploratus ab æquore portus. Cẽchrei à Cenchro portu. Stat. lib. 4. Theb. It comes, Inoas Ephyre solata querelas Cenchreaq; manus.

Carthaginenses uocantur Tyrii, à Tiriis colonis, quos illuc adduxit Dido post Sichæi mortem. Virg. Vrbs antiqua fuit Tirii, tenuere coloni, Carthago. Cadmæi quoniã Tirii & Phœnices descenderunt à Cadmo. Syll. lib. 1. -facti quum perfida pacti Gens Cadmæa super regno certamina mouit. Asdrubalitani, ab Asdrubale duce: uerbum est Sidonii Elisæi ab Elisã Didone. Byrsici, quoniam Carthago prius dicebatur Byrsã, à corio. Sidonius: Spernis Elisæ Byrsica tecta domus.

Carthago ipsa uocãt Byrsa, & Chalcedõ. Virg. li. 1. Æn. Mercatiq; solũ facti de nomine Byrsæ. Claudian⁹ in Eutropiũ: Bacchatus per operta tremor Chalcedone mouit.

Cretenses aliter dicuntur Cretæ. Virg. lib. 3. Æn. Tertia lux classem Cretæis sistet in oris. Cressii. Idem lib. 4. Quãm procul incautam nemora inter Cressia fixit Pastor agens telis. Cressi. Idem libro 5. Cressa genus Pholoe. Gnosii à Gnoso urbe Cretæ. Virg. lib. 6. Æn. Gnosius hæc Rhadamanthus habet durissima regna. Gnosiaci. Ouid. lib. 8. Gnosiacæq; hæret comes inuidiosa carinæ. Dictæi à Dycte urbe Cretæ. Virg. lib. 3. Æn. - Dyctæa negat tibi Iuppiter arua. Lyctii à Lyctio urbe Cretæ. Virg. lib. 3. Aen. Et Salentinos obsedit milite campos Lyctius Idomeneus.

neus. Cydonæi, Cydonii, & Cydoniaci à Cydone urbe Cretæ. Ouid. lib. 8. Armaque, equosq;, habitusq;, Cydoneasq; pharetras. Statius lib. 4. Theb. Terga Cydoniaca Choritos arundine pulsat. Ariadnæi ab Ariadne Minois filia. Minoij à Minoe rege. Ouid. in Epistо. Phædræ: Ego nanc ne fortè parum Minoia credar. Androgeonæi ab Androgeo filio Minois. Gortynij, & Gortyniaci à Gortina urbe. Statius lib. 4. Theb. Arbiter hoc dura versat Gortynius vrna. Dorici, & Dorienses, quoniam tempore belli Troiani Dorici venerunt in Cretam, duce Althemene, ibique decem vrbes condiderunt.

Creta insula, aliter vocatur terra Curetis à Curetibus, qui in ea habitarunt. Ouid. lib. 3 Vt egressus ratibus Curetida terram Contigit. Terra Gortynis vocatur etiam Aeria & Macaros. Plinius libro 4. Maleotes Crates primùm Aeriam dictam, deinde posteri Curetim appellauere: & Macaron non nulli à temperie Cæli appellatam existimauere.

Cumani aliter Cumæi, Chalcidici, Euboici.
Capitolium, sedes Tarpeia, templum Iulium.
Cares aliter Bubasii. Ouid. li. 9. Bubasides videre nurus.
Colchi, Colchiaci, Phasiaci, Aætæi, Aeæi, Aætii, Cytæi.
Cynosura, Helyce, Arctos, Parrhasis vrsa.
Corsica, Cyrnos. Plinius: In mari Ligustico est Corsica, quam Græci Cyrnon appellauere.
Carmentis, Nicostrata.
Canthabri, Canthabrici.
Cappadoces Cappadoci.
Carteia vrbs Hispaniæ Tarissa.
Delos, Ortygia, à multitudine Coturnicum. Virg. lib. 3. Æn. Linquimus Ortygiæ portus.
Danubius, Ister, Adubanus.
Dyrrachium, Epidamnum. Plinius: Epidamnum colonia propter inauspicatum nomen à Romanis, Dyrrhachium appellata.
Diana, Cynthia, Luna.
Dido, Elyssa, Phœnissa. Dalmatæ, Dalmatici.
Euboici, Capharæi, Abantij, Tanagræi à Tanagreo Euboiæ ciuitate. Stat. lib. 9. Prima Tanagræum turbauit arun

do Coræbum.

Epirotæ, Epirotici, Leucadii, à Leucade promontorio: Actii & Actiaci, ab Actio oppido. Phocæi, Phocæici, Chaonii, Dodonigenæ verbo Sidonij, Molossi, Pyrrhidæ, idem.

Epirus, terra Chaonis.

Euboia, terra Eubois. Statius in Achil. Quatitur nauali bus Eubois Ora. Chalcis, Abantis.

Equus Troianus, equus Durateus, Epei machina.

Eduenses, Edui, Augustodunenses.

Euphrates, Pixyrates. auctore Plinio.

Elis, Epia. Elienses, Elæi, Epei.

Flora, Chloris, Zephyritis, dea florum, vxor Zephyri.

Furiæ, Eumenides, Diræ, Erynnies.

Græci, Graij, Graiugenæ, Argæi. Virg. in opus. Septima iã Argæis stabulis impẽsã laboris. Argiui, Argolici, Dorici, Dorienses, Pelasgi, Pelopeii, & Pelopeiadæ, à Pelope filio Tantali. Virg. lib. 2. Æn. Vltro Asiam magnã Pelopæa ad mœnia bello Venturam. Stat. li. 10. Ad patrias fusæ Pelopeides aras. Achillæi, & Achillidæ ab Achille. Argolæ apud Euripidem. Achæi, Achiui, Achaici, Inachi, Inachii, Inachidæ, ab Inacho Argiuorum rege, patre Isidis. Ouid. lib. 5. Fast. Litus ad Inachium puluis inanis eam. Stat. lib. 1. Theb. Qua nostræ cecidere animæ stupet Inacha pubes. Idem lib. 5. Lectiq; potentes Inachidæ. Agamemnonij, Agamemnonidæ ab Agamemnone. Virg. lib. 6. Æneid. At Danaum proceres, Agamemnoniæq; phalanges. Acrisionæi ab Acrisio rege Argiuorum, Abantis filio. Ouid. lib 5. Met. Acrisionæas Prætus possederat arces. Abuntæi, & Abantiadæ, ab Abante Argiuorum rege, patre Acrisii. Ouid. lib. 15. Nuper Abantæis templo Iunonis in Argis. Thyestæi à Thyste. Mycenæi, à Mycenis vrbe. Ouid. in Epist. Briseidis: Nulla Mycenæũ sociasse cubili mecum Iuro. Menelaei, à Menelao. Phoronidæ, & Phoronæi, à Phoroneo Inachi filio, & Argiuorum rege. Stat. libro 2. Sil. Isi Phoronæis quondam stabulata sub antris. Persæi, à Perseo Acrisii nepote. Stat. lib. 1. Theb. Persæos alter in agros Scinditur. Danaæi. Idem: Tũc sedet Inachias vrbes, Danaæaq; regna. Dolopeii à Dolopibus Græciæ populis. Val. Flac. Vidisse putant Dolopeia que busta. Iasidæ, ab Iasio Argiuorum rege. Tantalidæ, à Tantalo.

Græcia, Achaia, Dulichia, Hellas, Idem.

Galli, Gallicani, Galligenæ, Galatæ, Sequanici Sequanidæ.

Garamantes, Garamantici.

Gigantes, fratres Phlegræi, Titanes.

Gorgon, Medusa.

Gratiæ, Charites.

Gorgoris, Habis.

Gades, Gadera, Cotynusa.

Hispani, Iberi, Iberici, Iberiaci. Virg. lib. 7. Tyrrhenoq; boues in flumine lauit Iberas. Sidonius: Terrarum indigenas Ibericarum Syllius lib. 12. Omen Iberiacis victa Carthagine terris. Beticolæ, & Betigenæ. Syllius lib. 1. Beticolasq; viros spatiis agitabat iniquis. Idem lib. 9 Betigenæq; viri celsus media ipsa coercet. Hesperii, Tartessii, & Tartessiaci, à Tartesso vrbe Gadibus vicina.

Hispania, tellus Tartessia, Iberia, Idem.

Hyrcani, Caspii.

Hyades, Suculæ.

Heraclæa, Syris, Trachin; auctor Plinius.

Italia, Hesperia maior, ab Hespero Atlantis fratre. Oenotria ab Oenotre rege Sabinorum. Virg. Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt. Oenotrii coluere viri, nunc fama minores Italiam dixisse ducis de nomine gentẽ. Idem lib. 7. Hinc Italæ gentes, omnisq; Oenotria tellus In dubiis responsa ferunt. Latium, quòd ibidem Saturnus latuerit, Arma Iouis fugiens & regnis exsul adeptis. Idẽ Virg. lib. 8. Latiumq; vocari Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris. Saturnia à Saturno. Ouid. lib. 1. Fast. Inde diu genti mansit Saturnia nomen. Dicta quoq; est Latiũ terra latente deo. Terra Ausonis, & Ausonia, ab Ausone Vlyssis filio. Ouid. lib. 2. Fast. Captaq; erat lyricis Ausonis ora sonis. Terra Italis. Ouidius lib. de Ponto: Mœstisque cadentes Excepit lacrymas Italis ora genis.

Itali, Italidæ, Italici. Ouid. lib. 14. Litore in Italico Messenia mœnia contra. Laurentes, Lauinii, Laurenti, Tyrrheni, Laurentii, Latiales, Ausones, Ausonii, Ausonidæ. Lucan. lib. 9. -grata vice mœnia reddent Ausonidæ Phrygibus.

Infernus, Infernalis, Auernus, Auernalis, Tartareus, Herebæus, Plutonius, Cocytius, Acherusius, Phlegetonæus, Stygius, Acherontæus, Lethæus, Orcius.

Indi, Indici, Gangetici, quòd propè Gangem habitent. Syllius lib. 3. Hinc laxos arcus olim Gangetica pubes Summittet. Dicuntur etiam Nysæi, à Nysa vrbe Indiæ. Idaspæi, ab Idaspe. Sidonius: Frangat Idaspæas aries impactus Erithras.

Illyrici, Illyrii, Taulantii. Syllius lib. 15. Quaq; per Illyricum Taulantius incola litus.

Inarime, Ænaria, Pythecusa. auctore Plin. Ænaria, à statione nauium Æneæ. Hodie vocatur Ischya.

Iudæi, Iudaici.

India, terra Gangetis, terra Euphratis, Euphratidis. Sidonius: Ripa Euphratide vix putat tuendam.

Ilua insula, Æthala.

Iphigenia, Iphianassa. Lucretius: Iphianassæo turparũt sanguine fœdè.

Iason, Æsonides, ab Æsone patre.

Lydi, seu Lydii populi maioris Asiæ, aliter vocantur Mæonii, Mæones, & Mæonidæ. Virg. lib. 8. O' Mæoniæ delecta iuuentus. Idem lib. 11. Ducis exemplum euentumque secuti Mæonidæ incurrunt. Item & Mæonici. Ouid. in Epist. -Deianiræ, Mæonicas inter calathum tenuisse puellas. Etrusci, & Tyrrheni, quoniam Tyrrhenus Atys filius colonos ex Lydia duxit in Italiæ regionem, qui nunc vocatur Etruria. Gygæi, à Gyge rege, vt Crœsii à Crœso. Statius libro 12. Si patrium Marathona metu, si tecta leuasti Crœsia.

Lydia vocatur Tyrrhenia, Mæonia. Ouid. lib. 14. Concurri Latio Tyrrhenia tota.

Laconia prouincia in Peloponneso, aliter vocatur Oebalia, & Tænaris à Tænaro promontorio. Ouid. in Epist. Paridis: Tænaris est classi terra petita meæ. Idem in Epist. Helenæ: Excepit portu Tænaris ora suo.

Lacones ipsi, seu Laconici vocantur Oebalii, & Oebalidæ. Ouid. li. 1. Fast. Protinus Oebalii rettulit arma Tati. Statius lib. 5. Theb. -ambiguo visus errore lacessent Oebalidæ gemini. Therapnæi à Therapnis vrbe Laconiæ, patriæ Helenæ. Ouid. lib. 5. Fast. Prima Therapnæo fecit de sanguine florem. Tænarii, & Tænaridæ, à Tænaro promontorio.

Libya, terra Libyssa. Idem libro 9. Terræque in finem Libyssæ.

Libyci, Libyssini. Marmarici, à Marmarica regione Africæ. Syllius lib. 3. Marmaricis ales populis responsa canebat. Nasamonii, & Nasomoniaci, à Nasamonibus populis Libyæ.

Liguria, ora Ligustica idem.

Lycii, Pataræi, quoniam Patara est vrbs Lyciæ. Stat. libro 1. Theb. Seu te Lyciæ Pataræa niuosis Exercent dumeta iugis.

Locrenses, Hesperii, Ozolæ.

Lucani, Tanagræi, à Tanagro fluuio Lucaniæ. Statius: Tanagræumq; Phalantum.

Latini, Faunigenæ. Syllius lib. 8. Faunigenæ socio bella inuasere Sicano.

Lucifer, Veneris stella, Phosphorus, Cythereius ignis. Syllius libro 12. Haud secus Oceano rediens Cythereius ignis. Vesper, Vesperugo, Hesperus, Sidus Veneris.

Lacedæmones, Lacedæmonii, Tyndarei, à Tyndaro rege Oebaliæ, & Helenæ patre. vnde & Syllius Tarentum vocat Tyndarium. Spartani, spartiaci, spartiatę. Sidonius: Spartiatæ rupium variatarum posuere crustas.

Lacedæmon, Sparta. Idem.

Ligures, Ligustici, Ligustii, Genuenses. Idem Sidon. Qui Ligustiis, Euganeisq; montibus oriebantur.

Lipara insula, prius Longonis, & Meligunis vocabatur. Plinius lib. 3. cap. 8.

Leucadia, peninsula, prius vocabatur Neritis. Idem auctor.

Lutetia, Parisii, idem.

Mantuani, seu Mantoi, dicti sunt à Manto Tyresiæ filia. aliter vocantur Bianoræi, & Bianoridæ, à Bianore Mantus filio, qui aliter vocatur Ocnus. Virg. in Bucc. -nāq; sepulcrum Incipit apparere Bianoris. Ocnæi ab Ocno filio Mātus. Stroza filius: Orbita ab Ocnæis euexit ad astra lacunis. Minciadæ & Mincigenæ à Mincio fluuio propinquo. Pontanus: Vos Minciadæ, vos ò mihi manes Este boni.

Melossi, Epirotici, Chaonii, Leucadii, Idem.

Mysij, Theutrantæi, Theutrantii.

Messenii, Pylii.

Megarenses, Megarici, Lelegii. Ouid. lib. 8. Met. Interea Minos Lelegia litora vastat.

Mercurius, Hermes.

Macedones, Pallenæi à Pallene vrbe, vbi gesta est Gigantomachia. Statius lib. 4. Sil. Et Pallenæos Phœbum laudare triumphos.

Mediolani, Mediolanenses, Insubres. Placet hic obiter aperire etymum dictionis huius Mediolanum. nam nō temere reperias, qui hoc edisserat. Certum est in primis vrbem hanc à Gallis conditam: cuius fundamentis iacendis dum excauarentur fossæ, ferunt in terræ viscēribus inuentam fuisse (mirum dictu) suem dimidiatim lanatam; à quo portento inditum sit Mediolanæ vrbi nomen: ad quod allusit Claudianus de nuptiis Honorii & Mariæ scribens: Continuò sublime volans ad mœnia Gallis Condita, lætigeræ suis ostentantia pellem Peruenit. Item Sidonius: Rura paludicolæ temnis populosa Rauennæ, Et quæ lanigero de sue nomen habet.

Messana, Zancle.

Marsi, Celenæi. Statius lib. 2. Theb. Fœda Celenæa cōmittere prælia buxo.

Mare rubrum, Erithræum.

Miletus, Lelegeis, Phitiusa, Anactoria. auctor Plinius.

Mars, Mauors, Marspiter, Gradiuus.

Minerua, Pallas, Athena.

Musæ, Camœnæ.

Neapolitani, Parthenopæi.

Neapolis, Parthenope, Eubois. Statius lib. 1. Sil. Nitidum consurgat ad æthera tellus Eubois.

Nasamones, Nasamonii, Nasamoniaci.

Nortmanni, Neustrici.

Nortmannia, Neustria.

Neptunus, Ennosigæus.

Niobe, Tantalis à Tantalo patræ.

Nilus, Melo.

Naxos, Dia. Catull. Namque fluentisono prospectans litore Diæ.

Orientales, Eoi, Auroræ populi: Memnonii à Memnone Auroræ filio. Nabathæi, à Nabathea regione. Ouid. l. 1. Met. Eurus ad Auroram, Nabathæaq; regna recessit.

Occidentales, Occidui. Ouid. Vesper & Occiduo quæ litora Sole tepescunt. Tartessii à Tartessovrbe Gadibus propinqua. Ouid. lib. 14. Presserat occiduus Tartessia. Syl lius lib. 6. Iam Tartessiaco quos soluerat æquore Titan, Hesperii.

Parthi, Parthici, Achæmenii, & Achæmenidæ, ab Achæmene rege. Ouid. lib. 4. Rexit Achæmenias vrbes pater Orchamus. Arsacidæ, ab Arsace primo Parthorum rege. Lucan. lib. 1. Plus illa vobis acie quàm creditis, actum est Arsacidæ.

Phaethontiades, Climeneides à Climene matre, Heliades à patre Sole, qui helios Græcè dicitur. Ouid. ad Liu. Sic fleuit Climene, sic & Climeneides altæ.

Phocæi, Phocenses, Phocaici, Cyrrhæi, Castalii.

Padus, Eridanus, Phaethōtius amnis, à Phaethōte ibidē submerso. Syl. lib. 7. Nunquam Phaethontius amnis Sanguinea Pontum curuasset decolor vnda. Padosa, Messanicius, Bodincus. Vide causā horū nominū apud Plin. lib. 3. c. 15.

Puteolani, Dicarchæi, à iustitia administrationis. Syl. lib. 8. Prole Dicarchæa multo cum milite Graia.

Petragorii, Petragorici.

Persæ, Gazetici: nam Gaza Persarum est opulentia. Sidonius: Vina mihi non sunt Gazetica, Chia, Falerna.

Pannonia, Pannonis.

Pestum, Posidonia. Plinius.

Parcæ, deæ fatales, fata.
Phœnices, Pygmalionæi, Agenoridæ.
Pella, vrbs Macedoniæ, Bunomus, Bunomea.
Parnasus, Larnasus prius dicebatur.
Penelope, Icaris, Icariotis.
Piratæ, Cilices.
Pictones, Pictauenses.
Peloponnesus, Apia, Pelasgia, arx Helladis.
Romani, Romulei, Romuli, Romulidæ. Æneadæ ab Anea: Iulæi ab Iulo. Lucanus lib. 1. -Phrygiiq; penates Gentis Iulææ. Latiales, Romulares

Scythæ, Scythici, Riphæi. Virg. lib. 2. Geor. Gens effrena virum Riphæo tunditur Euro. Mæotici à Mæotide palude. Thermodontæi, Thermodontiaci, à Thermodonte fluuio. Stat. lib. 12. Thermodontiaco lætũ remeare triumpho. Borysthenidæ ab eiusdem regionis fluuio. Mæotij, Tanaitici, à Tanai fluuio. Sidon. Telluris Tanaiticum rebellem. Bosphorani. Idem: Plaudentes stupuere Bosphorani. Sacæ, Aramei. Plin. lib. 6. Vltra sunt Scytharum populi. Persæ illos Sacas vniuersos appellauere à proxima gente, antiqui Arameos.

Sicilia, Sicania, Trinacria, Trinacris, Triquetra, Triquetris vocatur. Ouid. lib. 5. Met. Vasta Gigantæis iniecta est insula membris Trinacris. Stat. lib. 1. Serm. Quid militibus promissa Triquetra. Lucr. lib. 1. Insula, quam Triquetris terrarumt gessit in oris.

Siculi, Sicani, Sicanij, Lilybæi à Lilybæo promontorio. Virg. lib. 3. Æn. Et vada dura lego saxis Lilybæia cæcis. Ennæi ab Enna vrbe. Lyparei, & Lyparenses, à Lypara insula. Sidonius: Strauit sub Lyparesibus caminis. Tauriminitani, à Taurominio monte Siciliæ. Arethusij, & Arethusæi, ab Arethusa fonte Siciliæ. Syll. lib. 14. Erigitur subitas in spes Arethusia proles. Claudian. lib. 2. de Raptu. Quas Arethusæi latices, quas aduena nutrit Alpheus. Agatoclæi ab Agatocle rege Siciliæ. Syll. l. 14. Hic Agatoclæis sedes ornata trophæis. Æolij, Drepanitani, à Drepano promontorio iuxta Siciliam. Sidonius: Agonem Drepanitanũ Troianæ superstitionis imitari. Catanenses à Catana vrbe Siciliæ, de qua Syllius lib. 14. Tú Catinæ nimium ardenti vicina Typhœo.

Syrij, Palæstini, Orontæi.
Siracusani, Siracusij, Arethusidæ.
Scythia, Mœotis ora.
Samos, Parthenia.
Salaminij, Salaminiaci.
Sabini, Sabelli, Sabellici, Samnites.
Sardinia, Ichnusa. Syllius l. 12. Inde Ichnusa pri' Graiis memorata colonis Mox Libyci Sardus generoso sanguine fidens Herculis, ex sese mutauit nomina terræ Sandaliotis.
Strophades, Plotæ.
Symplegades, Cyaneæ.
Syria, Palæstina, Iudæa, Phœnicia.
Sardinij, Iolenses.
Sarmatæ, Sauromatæ.
Troiani, Troes, Troici, Troi ugenæ, Erichtonij, ab Erichthonio filio Dardani. Virg. in Culice: Vrit Erichthonias oriens non ignibus arces Idem: Erichthonias prostrauit funditus arces. Idæi ab Ida môte Ilij, Iliaci, Iliadæ, Æneadæ, Hectorei, Hectoridæ, Dardani, Dardanij, Dardanidæ, Sigæi, Teucri, Teucrigenæ, Phryges, Phrygii, Rhœthei, Pergamæi, Laomedontæi, Laomedõtiada, Anchisæi, Anchisiadæ, Priamæi, Priamidæ. Troia, Teucria, Ilion, Ilios, Dardania, Pergamus. Troades, Iliades, Teucrides, Dardanides: mulieres Troianæ. Thessalici, Thessalidæ, Iolchiaci, ab Iolcho Thessaliæ ciuitate. Virg. in Cyri: Regis Iolchiacis animum defigere votis. Meliboei & Melibenses, à Meliboea vrbe Thessaliæ. Pagasei, à Pagasa vrbe. Ouid. li. 7. Iamq; fretum Minyæ Pagasæa puppe secabant. Atratii, Atracidæ, ab Atratio, qui magicas artes ibidem edocuit. Peneii, à Peneo fluuio. Ouid. lib. 12. Exigit Atracides Peneiaq; arua pererrat. Lapytheii, à Lapythis populis Thessaliæ. Idem Ouid. -et tum Lapytheia tecta intrarant. Pelethronii à populis eiusdem nominis. Peliaci, à Pelio monte. Ouid. lib. 1. Fast. Summaq; Peliacus sidera tangat apex. Pheræi. Sene. Pastor Pheræos Delius pauit greges. Amphrysiaci, ab Amphryso fluuio. Stat. lib. 1. Sil. Aut Amphrysiaco pa-

stor de gramine carpsi. Pharsalii, Pharsalici. Lucanus lib. 6. Qua iuga deuexus Pharsalica porrigit Hemus. Hæmonii, Hæmonidæ, Magnesii, Magnesii. Hor. lib. 3. Carm. Magnessam Hippolytem dum fugit abstinens. Val. Flaccus lib. 6. Stant litore fixi Hæmonidæ. Lariſſæi à Lariſſa. Centauræi a Centauris. Statius. Sperchiusq; minax, centauræusq; Lycormas. Lapythonii, à Lapytis. Idem Statius: Confudere modos puerum, Lapythonia nympha. Ossæi, ab Ossa monte. Stat. lib. 12. Nec Ossæi bello cecidere bimembres. Pholoetici à Pholoe. Sidonius: Non sic Pholoetica monstra, Atque Peletronios. Lapythas Semeleius Euan Miscuit. Æmathii, Philippæi, à Philippis campis Thessaliæ. Luc. Romanas acies iterũ videre Philippi.

Thraces, Thracii, Thracii, Mantini, à Mantinis Thraciæ populis. Virg. in Cyri: Vos o Mãtina si qui de gente venitis. Isinarii ab Isinaro monte, Pangæi à Pangæo Thraciæ promontorio. Ouid. li. 3. Fast. Iamq; erat ad Rhodopen Pangæaq; flumina ventum. Odrysii à populis eiusdem nominis. Rhodopeii à Rhodope monte. Abderitani, ab Abdera vrbe Thraciæ. Martialis lib. 10. Abderitanæ pectora plebis habes. Bistones, Bistonidæ, Bistonæ, à Bistone fluuio. Oeagrii, ab Oeagro fluuio Thraciæ. hinc Orpheus Oeagrius. Ædoni, ab Ædone Thraciæ monte. Bosphorani, Bosphorei. Sidonius: Bosphoreis Elephas inglorius ora tributis. Borysthenidæ à Boristhene fluuio Thraciæ. Bapt. Pius: Mitior ad sæuos aura Borysthenidas.

Thracia, Bistonidis, Sythonis, terra Ædonis.

Thessalia, Hæmonia, Pharsalia, Æmathia, Æmathis, Thessalis ora, Driopis, Macedonia, Pyrrhea.

Thybris, Tiberis, Tiberinus, Albula. Ouid. lib. 2. Fast. Albula, quę Tiberim mersus Tiberinus in vndis Reddidit.

Thebani, Echionii, Echionidæ, ab Echione Cadmi socio. Ouid lib. 5. Trist. Victor Echionias si vir penetrasset in arces. Hiantii, & Hiantæis, Isinenī, Isinenidæ, ab Ismeno fluuio. Learchæi, à Learcho Athamantis filio. Ouidius lib. 6. Fast. Mæsta Learchæas mater tumulauerat vmbras. Athamanthæi, ab Athamante. Cadmæi, à Cadmo. Labdatii, & Labdacidæ, à Labdaco

rege patre Laii. Statius lib. 2. Thebaid. Labdatiumque ducem præmissæ consona nocti. Ogygii, Ogygidæ, ab Ogyge rege. Teumesii; à Teumeso Bœotiæ monte. Statius: Subitore cauo Teumesia cornus. Eryphilæi, ab Eryphile Amphiarai vxore. Stat. lib. 4. Thebaid. Sic Eryphilæos aurum fatale penates Irrupit. Oedipodionii, Oedipodionidæ, ab Oedipo rege Laii filio. Stat. lib. 7. Ast ego non proprio diros impono labori Oepodionidas. Megari, à Megara Creontis filia. Stat. lib. 12. -magno Megareia præceps Arua capit passu. Agenoridæ, ab Agenore patre Cadmi. Statius libro 12. Exanimes in terga reducit Pallor Agenoridas. Draconigenę, à dentibus serpentinis, à Cadmo satis, quibus nati sunt homines armati. Sidonius: Quæq; draconigenæ portas non clausĕrat hosti. Eadem ratione vocantur Ophionii. mam Ophis Græcè, serpens dicitur Latinè. Seneca: Cadmæa proles, atq; Ophionis ciuis.

Amphionii, ab Amphione.

Tyrii, Sarrani. Tyros, Sarra.

Tartessus, Carteia.

Tempsa, Temese.

Thusci, Etrusci, Tyrrheni.

Taurus mons; Imaus, Edigis, Paropanisus, Circius, Cambades, Pharphariades, Choatras, Oreges, Oroandes, Nyphates. Plin. lib. 5. cap. 27.

Veneti, Eneti.

Zephyrus, Fauonius.

AVIVM NOMINA.

AQuila, alitum regina dicitur, quòd aptissimè volet: ideoq; armigerum Iouis eam poetæ vocant. congreditur magnis animalibus, vt ceruos, cuius cornibus insidet, puluerulentas alas de industria concutiens, vt visu & oculis præpeditus decidat in cursu, mortuusq; fiat præda. Ferunt Aquilæ pennam aliis etiam rebus conspicuam non putrescere. pullos suos probat ad Solem, quem si sustinere nequeant, vt degeneres excludit. oppetit non senio nec ægritudine, sed fame. crescens. n. rostri superioris

aduncitas impedit, ne cibum queat capere. quum senuit, grauantur eius pennæ & oculi. cui rei vt medeatur, quærit fontem, calorem in se colligit, & sanatur. in fontem ter se mergit, eoq; modo redire fertur ad iuuentutem. hinc psalmographus: Renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua. Plutarchus in Mario scribit, Aquilam geminos tantùm pullos parere. propterea non nulli mentitum asserunt Musæũ, qui scripsit Aquilam tres pullos parere, duos sustrahere, & vnum alere. Aquilarum genera sex sunt, teste Plinio. Melenatos, colore nigricans, minima magnitudine, quæ sola Aquilarum fetus suos alit, ceteræ fugant. conuertatur in montibus. Secundi generis Pigargus, albicante cauda. Tertii Morphnos, cui vita est circa lacus; nigerrima est aquilarũ, promuentiore cauda, testudines frangit è sublimi iacien do: qua sorte periit Æschilus poeta. Quarti Percepterus, vel Pernocterus morans per lacus, specie vultrina, alis minimis reliquas magnitudine antecellens, sed imbellis, & degener. nam succumbit coruo. eadem ieiunæ semper auiditatis est, & querulæ murmurationis. sola aquilarum ex anima fert corpora. ceteræ quum occidere, considunt. Quinctum genus Halietus ceruice magna, lata cauda, circum mare versatur. Sextum Gnesion magnitudine media, colore subrutilo, rarum aspectu. Reliquæ aues, quas Aquila petit ad prædam, gregatim sepenumero volant, vt rebus persũ pénarum hostem excæcent. Nidificat in petris & arboribus. a meridiano tépore operatur & volat. prioribus horis ignaua sedet, donec impellátur conuentu hominum ora. eius pennæ mistas auium pennas deuorant. ex volatilibus nunquam fulmine tangitur. pugna est illi in draconé, qui propterea eius oua consectatur auiditate maleficã.

Alcyones, aues septem diebus nidificant ante brumam, & totidem sequentibus pariunt. duplex est earum genus; alterum vocale, arundinibus insidens; alterum mutum, ampliore corpore. antiqui eas Alcedones vocabant. Dies illi septem, quibus pariunt, Alcyonides, & Alcedonis vocantur. Ouid. lib. 11. Met. Perq; dies placidos hiberno tempore septem Incubat Alcyone pendentibus æquore nidis. Est Alcyon paullò maior passere, colore nigro, & cæruleo, qui Cyaneus vocatur. dum procellosum est mare, si

Alcyonum oua obiiciantur, inducunt tranquillitatem. Ferunt insuper eas hanc à Ioue gratiam consecutas, vt in tempore solicitudinis suæ serenos xiv. dies in hieme accipiant. hinc Propertius tempestate vexatus eas alloquitur, & inuocat libro 1. Et merito (quoniam potuit fugisse procellam) Nunc ego desertas alloquor Alcyonas. Minores Alcyones canunt in arundinetis: collo sunt gracili & procero: rarò apparent, nec nisi circa solstitia, & in bruma: in aqua oua deponunt. parituræ Alcyones nidum instar conchæ spinis incredibili duritia subtexunt; deinde ad mare deferentes vndis inponunt, atque illis se constipantes, dum vehuntur, fetificant. piscibus viuunt, pariunt oua quina.

Aedon Græcè nobis Luscinia dicitur. Calpurnius. Vocalem superet si turpis, Ædona bubo.

Aegocephalus, auis est lyene carens.

Alauda, plumam habet elatam in capite instar Galeritæ, unde & Galerita à Græcis dicitur Corydalus: vocabulo Gallico Alauda. hanc Plinius & Tranquillus aiunt Legioni dedisse nomen, quæ Alauda vocabatur. de qua Cicero ad Atticum: Antonius, inquit. cum legione Alaudarum ad vrbem pergere, pecunias municipiis comparare. Alaudarum duo sunt genera; alterum terreum cristatum; alterum gregale, minore corpore, & sine crista.

Apiastra, auis meruit nomen ab apibus comedendis.

Ardea, auis dicitur velut ardua, quòd in sublime volet. Virg. -notasq; paludes Deserit, atque altam supra volat Ardea nubem. In mediis arenis tristis imbrem indicat, & etiam quum altior volat. Lucan. lib. 5. -quoq; ausa volare Ardea sublimis pennæ confixa natanti. Eius tria sunt genera. Pulla natura sagax & victus prouida, colore prauo. reliqua duo pulchro. Ardeam Gaza Erodium vocat.

Asterias, auis est ex Ardearum genere, dicta à colore astrorum. docilis est humanæ vocis, frequens in Ægypto.

Attagen, seu attagena auis Asiatica inter cibos electiles quondam numerata est, maxime quæ in Ionia nascitur auctore Gellio, hinc Attagen Ionicus uocatur. Plinius: Attagé maxime Ionius celebratur, vocalis alias, captus uerò obmutescens, quondam existimatus inter raras aues.

Achãtis, auis est stridula, quæ pascitur spinis & carduis, unde & Canduellis dicitur. Virg. lib. 3. Georg. Litoraq; Alcyonem resonant, & Achantida dumi. Gaza Ligurinum interpretatur.

Accipiter, auis est rapax & prædatoria, dicta ab accipiẽdis auibus. de qua Martialis: Prædo fuit uolucrum famulus nunc aucupis idem Decipit, & captas non sibi mæret aues. Imbelles uolucres insectatur, ut columbas. aucupatur hæc uolucris quadam societate cum homine, maximè circa Amphipolim Thraciæ, ubi homines ex siluis & arundinetis excitans aues, illi superuolantes deprimunt. captas cum iis diuidunt aucupes. Iones Cymindin uocant. Accipitrum genera xvi. ponit Plinius. Circon claudum altero pede, prosperrimi augurii nuptialibus negotiis & rei penuariæ, Triorchem à numero testium, Buteonem Romani uocant. Esalona Græci vocant, qui solus omni tempore apparet. Varius est omnium in præda modus alii non nisi ex terra auem rapiunt, alii circa arbores volitãtem, alii sedentem in sublimi aliqui volanté in aperto. Accipitres Massiliæ humi fetificant, nec alibi nascuntur. non comedunt auium corda. Nocturnus accipiter Cymindus vocatur, rarus in siluis, minus interdiu videns. bellum gerit internecinum cum Aquila. odit hæc volucris & refugit radicem siuelstris Asparagi. propterea aiunt tutas esse villaticas aues, si quis eam extruxerit in villa.

Anthus aquatilis est magnitudine Frigillæ.

Argatylis auicula est, nidum filis lineis intexens aduitu anguſto.

Anseres stomacho sunt calidissimo: gaudent herbis riguis, & frigidis: laurum non attingunt. cor eorum olim fuit laudatissimum inter mensarum cupedias. Scipio vel Metellus, aut, vt alii malunt, Sessius, primus docuit anseris iecur esse optimi saporis propter quod olim seruabantur in corte. Mart. lib. 3. Vagatur omnis turba sordidæ cortis Argutus anser, gemmeiq; pauones.

Alectorides aues rostro sunt oblongo, cursu agili, hominem amant. capiuntur inter sepes hortorum & vinearũ.

Anas iuxta paludes parit, & statim à partu aquas petit, aquilam formidat. huius auis pectus tantùm & ceruix gulæ dabatur. Mart. Tota quidem ponatur anas, sed pectore tantùm Et ceruice sapit, cetera redde coquo. Volant Anates protinus in sublime. atque è vestigio cælum petunt, etiam ex, qua. purgant se herba siderite, quum quid molestum comederunt. Anates Ponticæ venenis viuunt.

Apodes carent vsu pedum specie sunt hirundinum, nidificant in scopulis. cernuntur toto mari. circumuolitant naues. nulla his requies, nisi in nido, aut pendent, aut iacent.

Aematopedes, aues sunt aquatiles, peculiares Ægypto.

Aesalus auicula est, quæ oua corui frangit. Ouidius, Nescius assumptis Priamus pater Æsalon alis.

Aluen auis est nocturna, maior gallo gallinaceo.

Asiones capiuntur saltatione quadam ridicula, quam scopam vocant. maiores sunt noctuis, colore plumbeo, alis albo sparsis, duabus pennis à ciliis ad tempora pẽdentibus.

Auis incendiaria dicta est, quòd incendiis nascatur. ea est inauspicatissima. propterea ea visa, vrbes quandoque lustrare leguntur.

Bubo auis est feralis, debilis ad uolatum, in cauernis loci sq; desertis commorans. noctu uolitat solus: deserta incolit, desolataq; & inacessa loca: non habet cantum uocalem, sed genitum. propterea uisus in urbibus suspicionem affert, & portentum futuri mali. Quum Capitolium intrasset, Sexto Papelio Istro, & L. Pediano consulibus, urbs luctrata est. plumæ sunt ei uelut aures. Bubonis pedes usti cum pulpagine herba auxiliantur contrà serpentes. eius cor impositũ sinistræ mammæ mulieris dormientis efficit ut omnia secreta pronuntiet. Aiunt præterea ferentes ipsum in pugnam fortiores fieri: item sanguine pulli bubonis crispari capillum. cinis oculorum eius collyria mistus claritatem oculis facere promittitur.

Caladrius auis est albi coloris.

Caprimulgi, aues sunt maiores paullò merulis, eodem ferè aspectu, quæ nec interdiu vident, nec videntur. nocturno tempore sunt furaces. dicuntur autem Caprimulgi, quòd stabula intrent, caprarumq; vberibus pro-

pter succum aduolent. qua iniuria vbere moritur, & capræ cæcitatem contrahunt.

Carduelis, auicula est capite rubro, alis luteis, albo nigroq; distinctis. semine carduorum pascitur, vnde illi inditum nomen. Cardueles imperata faciunt. auctore Plinio, nec voce tantùm, sed pedibus & ore pro manibus.

Cassita, auicula est, quæ habitat & nidulatur in segetibus. festiuus est de ea apologus apud Gellium lib. 2. c. 29.

Cenchris, auis est ex accipitrum genere, quæ aliter à tinnitu vocis appellatur Tinungulus.

Cercos auis est de genere accipitrum, altero claudicans pede, quam aliter Buteonem dicunt aiunt.

Cicina, auis est nocturna.

Ciconiæ lingua carent. nutriuntur à Thessalis contra serpentes, quos perimunt. quonam è loco veniant, aut quò se referant, incompertum adhuc est. e longinquo venire non dubium eodem, quo Grues, modo, illas hiemis, has æstatis aduenas. Parentes senio confectos nutriunt insigni pietate. propterea Ælianus ait eas deorum beneficio in quibusdam insulis conuerti in homines. & Petronius Arbiter ciconiam vocat pietatis cultricem his verbis: Ciconia etiã grata peregrino hospita, pietati cultrix, gracilipes, choralistria, Auis exsul hiemis, titulus tepidi temporis Nequitiæ nidum in cacabo fecit meo. Imago eius olim solebat insculpi in sceptris regum, quo eorum pietas & industria indicaretur. Veniunt Ciconiæ è longinquo eodem modo, quo grues. abituræ congregantur in loco certo, & sic commutatæ, vt nulla sui generis relinquatur, nisi forte captiuæ. certaturæ in serpentes Origano herba se fouent. in Fidenate agro nidum non faciunt.

Circanea meruit nomen à circuitu quem facit volitans.

Coccyx auis nidulatur semper in nidis alienis, maximè palumbium. est de genere accipitrum, licet aduncos non habeat vngues. procedit vere, occultatur ortu caniculæ. aliter vocatur Cuculus. interficitur à suo genere, mutat vocem. parit singula oua, rarò bina. subiicit pullos, quòd sciat se inuisam cunctis auibus, ac propterea non fore tuca genero suo stirpem opinatur, ni fefellerit. Cotur

Coturnix aliter dicitur Ortygometra à sono vocis. hinc etiam Delos Ortygia à Coturnicum multitudine. Coturnicibus veneni semen gratissimus est cibus. propterea damnatæ sunt mensis, tum etiam propter comitialem morbum, quem solæ animalium sentiunt præter hominem. ad nos ante veniunt, quàm grues. terrestres sunt potius, quã sublimes. nidulantur in segetibus aut gramineis locis. Austro non volant, aura tamen vehi volunt propter modicas vires, & pondus corporum. quum redire volunt, comitatum solicitant, ne quam rapiat accipiter. eas vulgus nunc appellat Qualeas.

Curruca auicula est, quæ alienos pullos nutrit, suos esse putans. fouet enim oua Cuculi. Iuuen. Sat. 6. Tu tibi nũc Curruca places, fletumq; labellis Exorbes.

Cygnus auis est candida, maior anser, argutę vocis, qui imminente morte dulcissimè cantat, & velut funus proprium deplorat. Ouid. Sic vbi fata vocant vdis abiectus in herbis, Ad vada Mæandri concinit albus olor. Poetæ fabulãtur Cygnum fuisse amatorem Phaethontis, postq; eius ruinam, mutatum fuisse in hanc volucrem. mitis est, infestatur ab aquila, cui tamen fortissimè resistit. habitat in locis amœnis circa fluuios. frequens est apud Caycum & Caystrum, vt docuimus in Cornu copiæ. Pythagoras opinabatur immortalem esse animam cygnis, ac propterea lætari imminente funere. Sacri sunt Apollini, ob præsagium finis. mutua carne vescuntur inter se. de his Lucr. lib. 4.

Cypselus auis nidum facit ex luto in modum Cistellæ. Cypseli ab aliis vocantur Apodes. nidificant in scopulis.

Cataractis, Iuba apud Plinium testis est, esse dentes ocu losq; igneo colore, cetero candidas tradens. duobus semper ducibus vtuntur; altero, qui ducat agmen; altero vero, qui cogat. scrobes excauant rostro, inde crate consternunt & operiunt terra, quam prius egesserunt. in his fetiscant. binæ sunt fores omnium scrobibus, orientem spectant, quibus eunt in pascua, occidentem, quibus redeũt. aluum exoneraturæ subuolant semper, & contrario flatu. Eas habet insula, in qua tumulatus est Diomedes. hinc Dio medæas aues nõ nulli vocant, cuius ædem pleno gutture &

madentibus pennis quotidie perluunt, & purificant. propterea poetæ fabulati sunt, Diomedis socios in earum effigies mutatos.

Chlorio auis est viridis, magnitudine turturis, quæ hiberno tempore non delitescit, sed æstiuo per solstitium apparet, malè volat. docilis est & ingeniosa, tota lutea.

Cynnamulgus auis Arabica, nidificat in furculis Cynnami. eius nidos accolæ nisi sagittis & plumbatis iaculis dissitere nequeunt, quod faciunt mercedis gratia.

Cliuinam quidam clamatoriam dicunt, Labeo prohibitoriam, Apud Nigidium Subis, quæ aquilarum oua frágat.

Cloreus auis est coruo inimica, cuius oua noctu exquirit, vt ille huius.

Commendatur fides & castitas Cornicum in matrimonio. nam extincta consorte, alteri viduitas manet impollutæ. propterea antiquitus in coniugiis vocabatur ad auspicium concordiæ & pudicitiæ. Noctuæ aduersantur cornices, inuicemq; oua sibi suffurantur. inauspicatæ sunt garrulitatis: vnde Virg. Sæpe siniſtra caua prædixit ab ilice cornix. Volantes pullos aliquandiu pascunt. inauspicatissimæ sunt fetus tempore, qui accidit post solstitium. nucum duritiam si rostro perfringere nequeant, in altum volantes, in saxa & tegulas iaciunt iterum ac sæpius, donec quassatam perfringere valeant. Ardeolas amant. Cornicis cerebrum coctum, & in cibo sumptum, remedio est ad cerebri & capitis dolores. si contra aquam clangores dederit perfundens sese, pluuiam præsagit. Virg. Tum cornix plena pluuiam vocat improba voce, Et sola in sicca secum spatiatur arena.

Corui media ætate sitiunt, in cuius initio profluuio ventris sunt obnoxii, propterea tunc abstinent ab humore. eorum oua prosunt atrandis capillis. Tauros inuadunt, & ex omni corpore oculos appetunt maximè. humanam imitantur vocem. vnde & in historiis Romanorum legimus fuisse Coruum, qui populum R. nominatim salutaret, maximè Germanicum & Drusum Cæsares. Martialis propterea Coruum salutatorem vocat. In regionibus fecundis gregatim volant: in sterilibus bini. in cibi & escæ penuria, parentes senio confecti pullos concerpunt. hinc adagium: Mali

corui malum ouum. Cameleontem occidunt, qui ne victoribus noceat, lauro infestum virus extinguunt. Cloreum oderunt, cuius oua suffurantur. Esalon quoque auicula eorum oua frangit. generant ante solstitium, ægrescunt sexagenis diebus, pariunt quinos, ore coeunt, inauspicatum præsagium afferunt, quum glutiunt vocem, velut strangulati. Corui aquatici naturaliter caluent. Corui singultu quodam latrantes, & se concutientes, si continuauerint, ventos præsagiunt; si verò carptim vocem resorbebunt, ventosum imbrem.

Cinclus auicula est palmipes iuxta mare viuens. astuta est hæc volucris & difficilis captu. capta nihilominus subitò mitescit. culum continuò mouet, debilis est posteriore corporis parte. propterea quum non sit aptus congerendo sibi nido, incubat alieno. hinc prouerbio, Cynclos dicimus paupères.

Corydus vilissima est auicula, quæ quum non sit canora, strepit tamen vtcunque inter aues mutas. hinc adagium natum, Inter indoctos etiam Corydus sonat.

Cissa auicula est imitatrix humanæ vocis.

Columbus propter genuinum timorem nidificat in sumtuis locis. fetui plerunque indulget. unde sacer Veneri esse creditur. Parientibus feminis mares subueniunt, & oua incubant, quum illæ nequeunt. Bina pariunt oua, primum mas, deinde femina. fidem seruant in matrimonio. mutua semper illis ante coitum est exosculatio. nihil, illis fecundius, quadragenis diebus concipiunt, interuallum tantùm ad æquinoctium faciétes. Varro ponit duo genera Columborum; Agreste, quod in turribus & culminibus villarum habitat; Domesticum, domi pascitur. Columbæ cõmunem seruant domum. nec nisi cælibes & viduæ relinquunt. imperiosos mares, etiam iniquos ferunt. nam tunc suspicio est adulterij, quamuis natura non sit. tunc pleno gutture obmurmurant, & plerunque rostro feriunt. facta demum cociliatione sese osculantur. Æqualis vtrique sobolis amor. hinc femina tardius ad pullos intrante oritur interdum castigatio. Quum bibunt, colla non resupinant. large bibunt iumentorum modo. purgant se herba, quæ

vocatur Helxine. uiuunt columbæ annis octonis. Legumina amant, quæ vocantur Graca. amicæ sunt pauonibus, aquilis & accipitribus odiosæ.

Chenalopex dicitur ex vulpis & anseris forma, audax in felem & aquilam, à quibus infestatur. fetus tanta caritate complectitur, vt aucupi obuium sese offerat, quò fugæ tempus præbeat suis pullis. frequens olim fuit apud Britannos, & in mensarum deliciis.

Crex auis est pugnax & ad comparandũ victũ ingeniosa.

Certhia ingenio est audaci, voce clara, nidificat i arboribꝰ.

Cærulea auicula est saxatilis, colore sui nominis & tenui rostro.

Collurio vescitur iisdem cibis, quibus merula; capitur hyemali tempore.

Cepphus auis est multis operta plumis, exiguo corpore, quæ vociferatur pariens. hinc adagium, Cepphus parturit. in eos, qui magna pollicentur.

Drepanis auis est sine pedibus, rarissimè apparens.

Epops auicula est sordida & cristata, quæ aliter à sono vocatur Vpupa.

Esalôs auis est de genere accipitrum, quæ apparet omni tempore. aliter vocatur Buteo. infesta est coruo, cuius oua etiam frangit.

Egitus auicula est, inimicitias cum atino exercens.

Erithacus auis est solitaria, quę nunquam ferè in eodem saltu nisi vna reperitur. hanc Gaza Siluiam & Rubeculam interpretatur. de hac ortum est adagium, Vnicum arbustum haud alit duos Erithacos. in eos, qui eodem munere concorditer fungi nequeunt.

Falco auis est rapax & prædatoria, curuatis & aduncis vnguibus, de genere accipitrum. uarii autem generis sunt Falcones: est quem Britannicum vocant, aquilæ magnitudine, capreolos inuadens; alium vocant Gyrofalcum, à gyro & circuitu, quo in minores vtitur, vt eas agat in prædam; tertium Montanum; quartum Peregrinum, cuius generis Falcones nidificant in altis montibus; quinctum Gibbosum, quòd breuitate colli, & alis eminentibus, insignis gibbo videatur.

Ficedula nomen sumpsit à ficubus, quibus vescitur. Martialis: Quum me ficus alat, quum pascar dulcibus uuis, Cur potius nomen non dedit, uua mihi? Formam & colorem mutant ficedulæ. hoc solum nomen habent autumno postea Melanchorphi vocantur.

Frigilla dicta est à frigore, quo cantat & viget, æstate moratur in locis calidis, hieme frigidis.

Fulica auis est aquatilis degens prope stagna & lacus. nomen sumpsit à furuo colore. paullò maior est columba. pullos aquilæ ante tempus exclusos nutrit matutino clangore tempestatem præsagit, & quum ludit in litore. Virg. lib. 1. Geor. quumq; marinæ In sicco ludunt fulicæ.

Galerita plumam habet in similitudinem galeri, vnde & nomen sumpsit. ea assa & in cibo sumpta colli vitium efficacissimè sanatur, auctore Plinio

Galgulus auis est, quam si inspexerit affectus morbo comitiali, sanari dicitur; contrà verò auis emori. alitur ligno, frequens est in Peloponneso.

Gallus nuntius est lucis, Latonæ carus, quòd ei parienti astiterit. mortua femina oua incubat, gloriam sentit, nosset fidera, it cubitum cum sole, imperitat suo generi, & regnum, in quacunq; domo fuerit, exercet. Certant inter se galli studio gloriæ; canunt in victoria, & se principes restantur; uicti occultantur, lucemque & hominum aspectum refugiunt. gradiuntur alta ceruice, & elatis cristis. cælum crebro aspiciunt, in sublime falcatas erigunt caudas. terrori sunt leonibus. unde Lucretius: Quem nequeunt contrà rapidi constare leones, Inque tueri, ita contra nuò meminere fugai: Nimirum, quia sunt gallorum in corpore quædam Semina, quæ quum sint oculis immissa leonum, Pupillas interfodiunt acremq; dolorem Præbent, vt nequeant cótra durare feroces. Pugnacissimi galli olim nascebantur apud Tanagram, & Rhodum. Secundus honor fuit Melicis, & Chalcidicis, teste Varr. Nobiles quondam habiti sunt in auguriorum obseruatione. Victoriam Bœotis aduersus Lacedæmonios præsagiuerunt, quum tota nocte cecinissent. Castrati desinunt canere. Pergami omnibus annis gallorum, ceu gladiatorum, spectaculum publicè

edebatur. Plinius scripit Alectorias gemmas repertas fuisse in ventriculis Gallinaceorum, cristallina specie, & magnitudine fabæ. Gallinacei non attinguntur vulpibus, qui secur eius animalis ederint. Acini Liguſtri sanant Gallinaceorum pituitas. Sacri sunt Soli, cui venienti assurgunt, quo cum eunt dormitum, vt diximus. Contra serpentes & miluos pro gallinis dimicant. Vnicus gallus sufficit multis gallinis. huius naturam scitè admodum & ingeniosè describit Politianus in Ruſt. dicens: Adde gregem cortis, cristatarumq; volucrum, &c. De gallis item & gallinis vide Varronem lib. 3. de re Ruſt. cap. 9.

Gallinarum varia sunt genera. Cortales, quæ corte aluntur. Ruſticæ similes sunt ferè villaticis, quæ decipiuntur ab aucupe. Numidicæ, variis sparsæ plumis, aliter vocantur Meleagrides à Meleagri tumulo, quas poetæ fabulantur ex filiabus Oenei (qui Meleagri fuit filius) mutatas fuisse in has volucres. Albertus Magnus scribit, Gallinam fuisse apud Macedones, quæ duodeviginti oua fecerit, & ex quolibet eorum duos suſceperit pullos. Aiunt Gallinas non posse interfici ab aspide, quo die ciminum animalis fœtidissimi comederint. Villaribus Gallinis religionem ineſſe scribit Plin. nam inhorrescunt edito ouo, seseq; excutiunt, & circumactę purificant, aut festuca aliqua seſe & oua luſtrant. Gallinas saginare Deliaci cœpere. Vndecim annis ante tertium Punicum bellum lege C. Fannii consulis interdictum est, ne quid volucrũ in cenis proponeretur, præter Gallinam vnam, quæ non esset altilis. Gallinis inimicissima est pituita, maximè inter messis & vindemiæ tempus. Pipire est gallinarum, vt boum mugire.

Grues æstate aduenæ æthera tranant trianguli figura. lapides pedibus librant contra vim ventorum. gerunt helum cum Pygmæis. ducem, quem sequantur, eligunt. habent & in extremo agmine disposítos, qui vicissim acelament, ne qua deesse videatur: item qui gregem voce contineant. ex his non nullæ excubias agunt nocturnas, lapillum pede sustinentes, qui lassatis somno decidens indiligentiam sono coarguat. ceteræ dormiunt, capite subter alam condito, alternis pedibus insistentes. de his Lucanus

lib. 5. Strymona sic gelidum bruma pellente relinquunt Posturæ te Nile grues, &c. Ceterũ grues silentio volantes per sublime serenitatem præsagiunt; festinantes verò, tempestatem. Ferunt eos nullis omninò laboribus delassari, qui neruos ex alis & cruribus gruis habeant. purgant se grues iunco paluſtri. dicuntur aliter Naupliadæ volucres, & Palamedis aues: quoniam Palamedes Nauplij filius ex earum ordine tres litteras reperisse fertur.

Glottis, quam Gaza Lingulacam vertit, linguam exerit. quum peregrinatur, ducitur pœnitentia in volatu propter laborem. reuerti demum incomitatam piget, & sequi. nec vnquam plus vno die cœpto volatui insistit, & in proximo hoſpitio considit. Verũ inuenitur alia antecedente anno relicta. simili modo in singulos dies, inquit Plin.

Graculi coluntur in Lemno propter locustas, quarum exitio, occurrunt aduerso volatu. loquaces sunt, & obstreperi. Graculę annuum fastidium lauri folio purgant. Graculi ferò à pabulis recedentes hiemem præsagiunt. Graculus ab Aristotele vocatur Coracias, à coruina nigredine, rostro tamen rutilo. Docilis est & facilè mansuescens.

Gauia volucris est litoralis colore cinereo, nidificans in petris.

Gryphem habet India, quadrupedem volucrem recuruis vnguibus, dorso nigrum, priori parte purpureum, alis albicantibus, ore aquilino, igneis oculis, difficilem captu, nisi rapiantur pullus & inuolucer. nidificat in altis montibus, congreditur cuiuis ferè animali, equis infestus est, maximè aurum fodit apud Bactrianos in desertis locis, & prope accedentes abigit. nidos ex eo sibi texit. ad quod arripiendũ numeroſæ hominũ turmæ simul eunt magno suo periculo. superat elephantos & dracones, & omnia animalia, præter Tygridẽ, quâ propter leuitatem nequit arripere.

Hirundines auiculæ sunt loquaces, & garrulæ, quę auerſæ coeunt, præter naturam ceterarum auium. deficiente Luna imbre seſe perfundunt & humi obuoluuntur, donec materiam repererint, qua nidum sibi sternant. quinq; numero pariunt, quos magna nutriunt æquitate. nam portionem singulis alternant, & distribuũt habita ætatis ratione. In-

cipiunt enim à primo sensim ex ordine continuantes ad minimum natu. si viderint pullos suos non sat molliter iacere, lanam ab ouium dorso exerunt, & iacentibus substernunt. quinetiam excæcatis herba quadam visum restituunt. Aristoteles ait esse albas in Samo insula, quibus excæcatis lumen iterum restituitur. Cecinna Volater. comprehensas Hirundines, nuntias belli mittebat amicis, in nidum pristinum redire solitas. Hibernis mensibus discedunt Hirundines. solæ ex his, quæ aduncos non habent vngues, carnibus vescuntur. Thebas non subeunt, quòd vrbs illa sæpenumero captа sit. constructos luto nidos stramento roborant. inopia luti puluerem aqua pennis madefactum spargunt. nidum ipsum mollibus floccis & culmis consternunt. pullorum excrementa magna munditia egerunt. Sunt non nullæ, quæ ripas excauant, & in terra fetificant. non sunt obnoxiæ rapinis ceterarum auiũ. Ex volucribus indociles sunt Hirundines, vt ex terrestribus mures. bis anno pariunt. oriuntur ante delphini ortum. nam deprehensæ intereunt. tempestatem præsagiunt, si iuxta aquam volitantes ipsam penna sæpe percutiant. Chelidoniam herbam inuenerunt, qua oculis pullorum in nido visum restituunt, erutis etiam oculis. Hirundinem sub tecto ne recipias: Adagiũ est, quo monemur, vt à conuentu & contubernio verbosorum hominum caueamus.

Hybris, auis ex accipitrum genere, rarò interdiu apparet. nam tunc modicè videt. contrà verò venatur noctu. pugnat cum aquila acriter, adeò vt ambæ mutuo amplexu inplexæ quandoque deferantur in terram.

Harpa, auis est bellum gerens cum Triorche.

Herodius, auis est litoralis, frequens in Diomedæa insula. vescitur conchis, quas per calorem discuneacas inuenit. blanditur Græcis aduenis, vt non nulli volunt.

Ibis auis Ægyptia duplex est, altera nigra, altera verò Ciconiæ propè similis, quę serpentibus vescitur. Cic. lib. 2. de Natura deorum: Velut Ibes maximam vim serpentum conficiunt, quum sint aues excelsæ, cruribus rigidis, collo proceroq; rostro. auertunt pestem ab Ægypto, quam volucres angues ex vastitate Libyæ vento Africo inuectas

interficiunt, atque consumunt. ex quo fit, vt illæ viuæ nec morsu noceant, nec odore mortuæ. eam ob rem inuocatur ab ipsis Ægyptiis Ibes. Hæc auis aduncitate rostri per eam partem se perluit, qua ciborum onera redi solent.

Immusulum aliqui arbitrantur esse vulturis pullum. Massurius apud Plinium opinatur esse pullum aquilæ prius, quàm albicet cauda.

Lagopus auis pedes habet leporino villo, vnde inditum illi nomen. nam Lagos Græcè, dicitur lepus Latinè. candida est reliquo corpore, & columbarum magnitudine. Mart. lib. 7. Si meus aurita gaudet Lagopode Flaccus.

Larus, auis est nigra, habitans prope aquas, in quibus degit, vt etiam in terra. voracis & rapacis est naturæ latoq; oris rictu. hinc Larus hians, prouerbio dicitur homo auiditatis nimiæ.

Luscíniam Græci Philomelã vocant. hæc dum oua quodam velut sinu corporis & gremio fouet, spatiosæ noctis laborem assiduis fallit canticis. verno tempore frondescentibus arborum ramis dies xv. continuos persistit in cantu. vnica hæc auis paruo corpusculo, paruulisq; faucibus varios emittit concentus, & diuersa cantica, quæ tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitauit. Hæc auis cecinisse fertur in ore infantis Stesichori. Concertant inter se: victa morte finit sæpe vitam, spiritu prius deficiente, quam cantu. Iuniores versus accipiunt, quos imitentur. audiunt discipulæ intentione magna, vicibusq; recitant. intelligitur in docente reprehensio & correctio. durat hæc argutia xv. diebus. æstu aucto, aliam habent vocem, non modulatam aut variam. mutatur & color. hieme non cernuntur. pariunt vere primo cumplurimum sena oua. Hæc & alia multa habet Plin. qui ingenium exercuit in lusciosa tantillæ auiculæ descriptione. Idem ait, Cæsares iuuenes Luscinias habuisse Græco & Latino sermone docules, præterea meditantes in diem, & assiduè noua loquentes, longiore etiam contextu.

Linx auicula est, colore vario, lingua serpentina, quam mensura quattuor digitorum porrigit, vnguibus granulis, & stridula voce. hanc aliqui Torquillam vocant, &

Mergus, nidificat in arbore veris initio apud mare. tempestatem præuidens reuolat ex æquore, & ad litus contendit cum clamore. Virg. Iam sibi tum curuis malè temperat vnda carinis, Quum medio celeres reuolāt ex æquore mergi, Clamoremq; ferunt ad litora.

Merula sola volat, & solitaria pascitur. ex nigra russescit, canit æstate, hieme balbutit, circa solstitium muta. bis anno parit. Turdum amat.

Merops auis est, quæ alio nomine vocatur Apiastra à comedendis apibus.

Meropes contra naturam ceterarum auium retro volantes feruntur. rubentibus sunt cruribus, & ore prælongo, genitores suos reconditos pascunt, pallido intus colore pennarum, supernè cyaneo, priori subrutilo. nidificant in specu sex pedum defossa altitudine.

Monedula auis est auri & argenti furacissima, vnde secūdum aliquos etymum trahit à moneta, quam surripit. Aristoteles ponit tria eius genera, Graculum, Lupum, quæ parua est & parasita: tertiam palmipedem in Lydia, & Phrygia frequentem. Condit Monedula semina in thesauros cauernarum.

Motacilla auis, semper mouet caudam.

Miluus auium rapacissimus sectatur etiam cadauera. mas in hoc genere (vt Aelianus putat) non inuenitur. femina Austro aut Euro sese pandens concipit, & pullos parit. insidiatur pullis gallinaceis & Anserinis. molliter volat. latet hibernis mensibus, non tamē ante discessum hirundinū. Plin. ait, Miluos solstitiis affici podagra. Flagrant odio corporum, & vulpium. Eorum iocinora efficassima sunt ad inunctiones omnium viciorum. de miluo, Mar. lib. 9. Hinc prope summa rapax miluus in astra volat.

Memnoniæ aues, quæ ad sepulcrum Memnonis apud Ilion quotannis aduolant: speciem habent accipitrum, carne tamen abstinent.

Monticula auis longa cauda, nomen accepit à montibus, in quibus habitat.

Noctua auis est inauspicata. Architrenius: Diuitibus summus honos, prænuntia fati Noctua præcedit. Hæc Pyrrhi contra Argos copias mouentis insidit hastæ, & sinistram ei portendit fortunam. non cernitur in Creta. noctu videt, canit, & volat sola. Ouid. lib. 11. si quando luce vagantem Noctis auem cernunt. Martianus Capella: An mage noctiuidæ tibi traditur alitis vsus. Odiosa est ceteris auibus, in quas astuta vtitur dimicatione. nā maiore circundata multitudine, resupina pedibus repugnat, collectaq; in arctum, rostro & vnguibus tota tegitur. ei auxiliatur accipiter, fœdere quodam naturæ, inquit Plinius. Nigidius apud Plinium testis est, noctuas sexagenis diebus hiemis cubare, & nouem voces habere. Noctua in imbre garrula tempestatem præsagit. contraria est apibus, vespis, crabronibus, & sanguisugis. eius cerebrum vel iecur cum oleo infusum prodest auriculis. frequentes fuerunt Athenis noctuæ. hinc factum adagium, Noctuas Athenas mittere. in eos, qui potentioribus, & nullarum rerum indigis aliquid mittūt. Nocticorax, seu Nycticorax, nocturnus appellatur coruus. hęc auis nigra est, & sola clamat, habitatas domos refugit, desertas amat.

Onocrotalus auis est similis ferè cygno, quæ collum in aqua mergens, spiransq; similem reddit sonum asinino rudenti. quidquid comedit, in fauces congerit, diuq; continet. Mart. lib. 11. Turpe Rauennatis guttur Onocrotali. Onocrotalos habet Gallia septētrionalis oceano proxima. Ophiomachus auis est dimicans in serpentes, vnde accepit nomen.

Oenanthe auis statos latebræ dies habet, exoriente Syrio occultata, ab eiusdem occasu prodit.

Otus bubone minor est, noctuis maior, auribus plumeis eminentibus. Asionem Latinè vocant. Imitatrix alioqui auis, & parasita, & quodam genere saltatrix, arripit quandoque lapidem pondusculā, aut guttur arena replet, vt aduerso ventorum flatu volet stabilita.

Otides similis sunt perdicibus, quæ præ pinguedine corporum, alis attollere sese nequeunt. quapropter quum videāt se canū latratib⁹ obnoxias, delitescūt inter frutices.

Oenas auis est magnitudine colūbi, quæ capitur autūno.

Ortygometra est quam dicimus coturnicem, cuius vo-

cem quum sentiunt aucupes, parari discessum intelligunt.

Pelicanus vbi pullos suos necatos videt à serpentibus, latus sibi fodit rostro, & educto sanguine vitam restituit mortuis. Hieronymus: Pelicani (inquit) quum suos à serpente filios occisos inueniunt, lugent, seq; & sua latera percutiũt, & sanguine excusso corpora mortuorum sic reuiuiscunt. Volaterranus ait Pelicanum esse, quem Plinius Plateam vocat. Est autem Platea auis aquatilis, cochas deuorans, quas vbi calore ventris concoxit, euomit, vt postea discumbentes comedat facilius.

Perdices aues sunt salacissimæ. oua deperdunt mares, nisi cura incubatus Venerem impediat. ad aucupes accedunt, velut deditionem facturæ, vt pullis tempus præstent ad fugam: quos vbi securos vident, proripiunt sese, eosq; sequuntur, & voce acclamant. femina paritura stipulis & multa terra se circumuallat aduersus insidias. septimo die pullos excludit. parit oua xv. Sacra est Ioui & Latonæ. Paphlagoniæ perdices feruntur esse duplici corde, auctor Theophrastus apud Gellium lib. 16. Perdices ouis stragulum molle puluere contumulant, nec in quo loco pepererc, incubant. & ne cui conuersatio sit suspecta, nidos trãsferunt & pullos. capto duce totius gregis, singuli faciè capiuntur, atque etiam circa conceptum feminæ, contra aucupem femina exeunte, vt rixando abigat eum. Si cõtra mares steterint feminæ, aura ab iis flante prægnantes fiunt. hiantes autem exerta lingua per id tempus æstuant, & superuolantium afflatu concipiunt, interdum voce tantùm masculi audita. quod est argumentum maximi caloris venerei. De his maiora multo Plin. Purgant sese lauro, nullæ reperiuntur in Bœotia.

Phœnicopterus auis est habens rubras pennas, cuius lingua præcipui saporis esse docuit Apitius. Mart. lib. 3. Nomenq; dedit quæ rubentibus pennis. Idem lib. 13. Dat minhi penna rubens nomen, sed lingua gulosis Nostra sapit.

Pygargus, auis est de genere aquilarum, albicante cauda.

Picus auicula est aduncis vnguibus arbores excauans, in quibus pullos educat. sacer est Marti: vnde & Martius appellatur. numeratur inter auspicatas aues. Pica dissimilis

pico. eodem die commutat voces. nidificat in arboribus. parit oua ix. expressior est et loquacitas, quàm Psitaco. adamat verba, quæ loquitur. nec discit tantùm, sed diligit. emoritur victa difficultate verbi, & nisi subinde eadem audiat, memoria fallitur. Plinius ait, eas facilius discere, quę glande vescuntur, & quinos habent digitos in pedibus. nul læ tamen duobus primis vitæ annis. Omnibus lata est lingua, quę sermonem imitantur humanum. Mart. lib. 7. Pica salutatrix si tibi Lause placet.

Porphyrio auis est rostro & cruribus prælongis & rubentibus, quæ auium sola morsu bibit. omnem cibum aqua tingit, quem pede ad rostrum veluti manu affert. laudatissimus est in Comagena.

Ptynge auis rapax, noctu volitat, & venatur more aquilæ, cum qua plerunque dimicat.

Palumbi viuunt ad annos xxx. hieme muti, uere uocales. sunt autem siluestres columbę. nidificant in arboribus & sepibus. Duo sunt eorum genera. unum; quod Vinagienem dicunt ab usu Labruscæ: alterum, quod Torquatum, à torque, quo uidentur insigniti. Mart. lib. 13. Inguina torquati tardant hebetantq; columbi. Non edat hanc uoluerem, qui cupit esse salax. Quum ad senectam uenerunt; spoliantur unguibus. pariunt post solstitia bis in anno oua terna, nec tamen plus duobus educant. Palumbes incubat femina post meridiem in matutinum; cetero mas. purgant se Lauro. hieme abeunt.

Parra auis est inauspicata, quæ oriente Sirio non apparet, donec occidat. de hac Hor. lib. 3. Car. Impios Parręrecinentis omen ducat.

Passeres salacissimi sunt, & argutissimi, uita breuissima. Mares diutius anno non uiuere argumentum est, quia nullus ueris initio apparet. Nigrities, quæ est in rostro, æstate incipit. feminis longior paullò uita. Martialis: Et arguto passere uernat ager.

Pauo concipit tertio uitæ anno, quo ferè uarietate colorum induitur. uiuit annos uigintiquinq;. gloriosus est, & inuidus. erecto pennarum flabello seipsum miratur. finum saum resorbet, hominum utilitati inuidens: eius

caro dura & concoctu difficilis. Samius Pauus (utrunque enim dicimus) numeratur inter cibos electiles. expandit colores aduerso maximè sole, quia sic fulgentius radiat. omnes oculos pennarum contrahit in aceruum. cauda annuis uicibus amissa pudibundus quærit latebram, donec renascatur. Pauonem cibi gratia primus occidit Romæ Hortensius orator. Ferunt Alexandrum Magnum Pauone primum in India viso admiratum fuisse, & edicto cauisse, ne quis tam speciosum animal interficeret. Columbas amant mutuò Pauones. sacri sunt Iunoni.

Phœnicurus, auis est rubra cauda. uocatur Strythacus hieme. Pyralis auis est inimica turturi.

Phœnicem unum in toto orbe habet Arabia, aquilæ magnitudine, auri fulgore circa collum, cetera purpureum, cauda cærulea, roseis pennis distincta, facie cristis ornata, & plumeo apice caput honestante. Quorundam est opinio neminem extitisse, qui uiderit uescentem. sacer est soli. uiuit annos DCLX. senescés casia turisq; surculis constructi nidum, quem odoribus replet, & super emoritur. ex ossibus deinde & medullis nascitur uermiculus, inde fit pullus, qui priori funeri iusta reddés totum nidum defert in urbé quandam Panchaiæ Soli sacram, ibiq; in ara deponit. Plinius ait allatum fuisse Phœnicem in urbem Romam Claudii principis censura, anno urbis DCCC. Mart. lib. 6. alludit ad nidum huius uolucris, dicens: Quod semper casiaq; cynnamoq; Et nido niger alitis superbæ Fragas. De hac Ouid. lib. 15. Vna est quæ reparet, seque ipsa reseminet ales. Assyrii Phœnica uocant: nec fruge, nec herbis, Sed turis, lacrymis, & succo uiuit amomi, &c. Phœnicem Virgilius reparabilem uocat, ubi de animalium ætatibus loquitur, dicens: Alipedem ceruum coruus ter uincit: at illum Multiplicat nouies phœnix reparabilis ales. Viuacem Ouidius, nobilem Plinius, Pharium Statius, Longæuũ Claudianus, Gangeticũ Ausonius, Assyriũ Strozza.

Psitacos humanæ uocis imitatores habet India. uirides sunt toto corpore torque tantùm miniato in ceruice. quę accipiunt uerba pronuntiant; salutant imperatores; in uino lasciui sunt; duritiam eandem habent in capite, quam & in

rostro. quum loqui discunt, ferreo uerberantur radio, aliter non sentiunt ictus. quum deuolant, rostro se excipiunt, cui innituntur. amici sunt turturibus. Plinius ait siluam esse Gagandem, in qua primùm uisi sunt Psytaci. De Psytaco Claudianus in Eutropium: Qui uentrem inuitant pretio, traduntq; palato Sidereas Iunonis aues, & si qua loquendi Gnara, coloratis uiridis defertur ab Indis.

Phasianæ aues, à Phasi Colchorum fluuio sumpserunt nomen, geminas ex pluma aures submittunt, surriguntq;. pediculis infestantur, & interimuntur quandoque, nisi sese puluerent. de his Iuuen. Sat. 11. Et Scythicæ uolucres, & Phœnicopterus ingens. Mart. lib. 13. Argoa primùm sum deportata carina.

Phalerides aues sunt aquatiles in Seleucia Parthorum.

Phalacrocoraces peculiares sunt Balearibus insulis.

Pyrrocteres luteo sunt rostro, peculiares alpibus.

Phoicus auis est harpæ contraria.

Paralus auicula gregatim uolans colore cinereo.

Querquedula auis est semper in aquis natans, aliter Sanqualia dicitur.

Regaliolus, auis est de uolatu cum aquila dissidens. uocatur hoc nomine tanquam rex auium; uocatur aliter Trochillus. Regaliolum aues diuersi generis discerpserunt, priedie quàm Cæsar interficeretur manibus coniuratorum.

Riparia auis nomen sumpsit à ripis, in quibus habitat.

Rustica auis est similis perdici, rostro tamen longiore. Mart. Rustica sum perdix, quid refert si sapor idem, Carior est perdix, si sapit illa magis.

Satyria auis est, quæ aliter Coruus appellatur.

Spinturnix auis est inauspicata, quæ alio nomine uocatur Incendiaria.

Stritomellus auis, aliter dicitur Marinus passer.

Strix auis est nocturna & inauspicata, quæ nomen sumpsit à stridore. Lucanus lib. 6. Quòd trepidus bubo, quod strix nocturna queruntur. Horatius: Plumamq; nocturnæ strigis. Hæc infantes noctu inuadit. Pliniusq; ait non esse fabulosum striges ubera infantium labris immulgere.

Struthius auis est grandi corpore & graui. femina voca-

tur Sthrutio. Hieronymus: Penna autem Struthionis simi-
lis est pennæ herodij & accipitris. Sunt qui eundem esse
velint cum Struthiocamelo. Sunt autem Struthiocameli
auium grandissimi. in Africa & Æthiopiâ altitudiné equi-
tis equo nisidentis vincunt,& celeritatem. pennas habent,
cetero non sunt volucres, nec à terra tolluntur. Vngulas
habent ceruinis similes, quibus dimicant, bisulcas, & com
prehendendis lapidibus utiles, quos in fuga contra sequen
tes ingerunt pedibus. Quum colla in fruticibus occulta-
runt, latere sese existimant. eorum oua propter amplitu-
dinem vsum vasorum præbent. naturaliter caluent. Soli
auium palpebras habent.

Sanquale auē Massurius apud Plinium ossifragá dicit esse.

Sylla auis est,in cujus ventre reperitur Chlorites gemma herbacei coloris.

Sturnis proprium est cateruatim volare, & quodam pilæ orbe circumagi, omnibus in medium agmen tendentibus. Plinius scribit, Cæsares iuuenes sturnum habuisse Græco & Latino sermone docilem. hæc auis maculosa est, magnitudine merulæ. vulgus Sturnellum vocat, Græce vocatur Psarus.

Subis auis est, quæ aquilarum oua frangit.

Terraneola auis est Alaudæ propè similis, præterquàm quòd apicem non habet in vertice.

Tragopanades auis maior aquila cornua habet curuata in temporibus, caput phœniceum, ceteras partes ferrugi-
nei coloris. aliter vocatur Tragopa, ab arietinis cornibus. hanc habet Æthiopia.

Trochilus auis Crocodilo amica, & obsequiosa. nam sanguisugas linguæ eius hærentes deuorat. aliter vocatur Regaliosus.

Truo auis, quæ aliter vocatur Onocrotalus. Cæcilius: Pro dii immortales, vnde processit Truo?

Turdi in cacuminibus arborum nidificant luto. à coitu decem diebus oua matureſcunt in vtero. loquacissimi sunt, sed peculiaris surditas eisdē adscribitur. hinc adagium, Surdior turdo. Fertur hæc auis præcipui esse saporis. Horatius tur-

Nil melius turdo, nil vulua pulchrius ampla. Ina-

dus cum Myrtibaccis prodest Dysentericis,& vrinæ. Turdis color æstate circum collum varius, hieme concolor. frequentes sunt in Germania tempore hiberno. Agrippina vxor Claudii Cæsaris turdum habuit imitantem sermones hominum, ætate Plinii. Turdorum fimus optimus est stercorandis agris.

Turtures vere occultantur, pennasq; amittunt. quum bibunt, colla non resupinant. octonis viunt annis. bis annos pariunt, oua plurimùm terna. Pyralim volucrem oderunt, Pytacis amicæ. purgant se herba, quæ vocatur Helxine. earum fimum albugines extenuat. Turtur erepta compare semper gemit & castitatem seruat. Virg. Nec gemere aeria cessabit turtur ab vlmo.

Tinyngulus auis terret accipitres adeò, vt eius vocem reformident. propterea amatur à columbis.

Viula auis est luctisona, & funebris, quæ ab vlulatu meruit nomen. fel eius prodest ad albugines, suffusiones & caligines; adeps ad claritatem.

Vpupa auis cristata, semper commoratur in fimo. colorem mutat, cristam habet plicatilem. cor eius laudatur in lateris doloribus.

Vultur seu Vulturius, auis rapax, tardè volat propter corporis molem. cadauera sectatur, & carne viuit. aiunt hanc auem concipere sine masculorum semine, & sine coniunctione generare, natosq; ex iis in multam ætatem procedere ad annum vsque centesimum. clarent odoratu vultures. nigri præualent. nidificant in altis rupibus. nidos nemo attigit. fetus ferè cernuntur bini. Vmbricius apud Plinium ait parere ouaxiii. Biduo præsentiunt futura cadauera. fugantur vnguento. comedunt semen Siseris. auxilio sunt contra serpentes. Hermodorus Ponticus apud Cæcilium testis est, Vultures esse omnium animalium innocentissimos,quia nihil prorsus attingant eorum, quæ serant homines, plantent, alant. animantium præterea nullam interimant. volucribus quoque vel mortuis abstineant, quodam cognationis intellectu. Præstantissimi habebantur in auguriis, vt indicant vrbis Romæ primordia. Euro grauidæ fiunt. membra tabida affectant. Catullus: Lingua exer-

ta auido sit data vulturio. Quum cœperunt oua edere, aliquid afferunt ex Indico tractu, quod est tanquam nux intus habens, quod moueatur, sonumq; subinde reddat. Quod vbi sibi apposuerunt, multos fetus producunt, sed unus tantùm remanet, qui Immusulus vocatur. Ferunt per quingẽta millia passuũ à vulturibus præsentiri cadaueris putoré.

Vespertilio, sola volucrum, animal parit; habetq; pro pennis membranam. pullos nutrit lacte, vbera admouens, infantes amplectitur, secumq; deportat. vnicam habet coxendicem. Culices amat in cibatu, sola volucrum dentes habet. habet etiam mammas.

Vipiones appellantur minores grues.

Aues inauspicatæ sunt, cornix, coruus, bubo, noctua, parra, auis incendiaria quibus adduntur ex aliorum animalium genere diuerso, prægnans canis, lupa raua, fœta vulpes, mustella, & lepus. Horat. lib. 3. Car. Impios Parræ recinentis omen Ducat & prægnans canis, aut ab agro Raua decurrens lupa Lauinino, Fetaq; vulpes, Rumpat & serpens iter institutum.

Aues nocturnæ sunt, bubo, picus, trogo, cornix, noctua.

Auium aliquæ ambulant, vt cornices: saliunt aliquæ, vt passeres & merulæ: currunt, vt perdices, rusticulæ: ante se pedes iaciunt, ut grues, & ciconiæ: aliæ expandunt alas, pandentesq; raro interuallo quatiunt; aliæ tota latera pandunt; quædam compressis pennis volant; aliæ iaculantur se in sublime, in rectum, in pronum; aliæ videntur ab alto cadere; aliæ salire. Auium fecundiores sunt fugaces, quam fortes. Aquilæ clarius cernunt, quàm homo. Vultures sagacius odorantur. liquidius auiunt talpæ obrutæ terra.

AVIVM, ET ALIORVM ANIMALIVM inimicitiæ.

BEllum inter se gerunt cornices & noctuæ; miluus & coruus; aquila & trochilus; coruus & chlorio; noctuæ & minores aues; turtur pyralis; brenthus Phætes Gauiæ; harpæ & Triorches accipiter; sorices & ardeolæ; egithus auis cum asino; vulpes & Nili angues; mustelæ & sues; esalon Auicula & coruus; thoes leones; araneus serpens; leones galli; hyena pardalis; scorpius scalabotes; vulpes cygnus; tauri cernices; canes, damæ & lepores; lupus ouis & capra; equi & gryphes; delphinus balena; ceterus lupus; muræna congrus; elephantes oderunt murẽ adeò, vt si pabulum in præsepio positum contingi ab eo viderint, fastidiant; bellant & cum draconibus perpetua discordia. cameli odium gerunt naturale aduersus equos. hostis est elephanto rhinoceros. mustellarum virus exitio est basilisco. aspis bellum habet cum ichneumone ceruis pugna est cum serpente. lacertæ inimicæ sunt cocleis. leontophonum odit leo. balænis infestæ sunt orcæ. conchis apertis insidiantur polypi. polypum lacerant congri. lupus marinus caudam prærodit mugili. prælium est aquilæ cum ceruis & dracone; cybindo cum aquila; scorpioni cũ stellionibus; salmandræ cum testudine; ranis cum apibus; formicæ cum sorice; apibus cum crabronibus. apes infestãtur ab hirundinibus.

Contra verò amici sunt pauones & columbæ; turtures & psitaci; merulæ & turdi; cornix & ardeolæ. oues capris conueniunt; palumbes perdicibus; larus graculo; harpæ miluo; musculis balænis; columbæ tinungulis.

AVIVM, ET ALIORVM animalium voces.

VArii sunt auium cantus. Gallis expergificus, Bubonibus gemulus, Vlulis querulus, Noctuis stridulus, Cicadis ostreperus, Hirundinibus perargutus, Luscinijs dulcis, Turdus trutilat, Sturnus pisitat, cacabat Perdix, gratitat anser, Turtur & Columba gemunt, Palumbæ plausitant, Anates tetriniunt, Grus gruit, Cygnus drensat, Accipiter pipat, Miluus lipit, Galli cucurriunt, Gallina gracillat, pupillat Pauo, trusat Hirundo, Aquila clangit, Vultur pulpat, crocitat Coruus, Graculus frigulat, glotorat Ciconia, Passer pipit, Cuculus cuculat, Cicada stridet, Apes bombilant, Bubo bubat, Stryx & Vespertilio stridٍent, Noctua cucubat, Vlulæ vlulant, Regu-

lus & Merops zinzululant. Thomas Rhadinus de vocibus auium sic meminit: Philomela siquidé mille vocum discrimina contexebat, Psitacus & Pica locutu vario mentiebantur homines, cuculabat Cuculus, zinzilulabat Regulus, modulans odis Merulus concinebat, Parus tinnabat, Acredula mitilabat, Turdus aderat trutilans, Sturnus pisitans, Perdix cacabans, Palumbes plausitans, Anser gratitans, Hirundo trinsans, Ciconia glotorans, Coruus crocitans, Graculus frigulans, Pauo pupillans, Vultur pulpans, Accipiter pipans. gaudebat & Cygnus drensare, Grus gruere, Turtur & Columba gemere, Passer pipire, Miluus hisdo lipire, Aquila clangere, Anas tetrinere, Gallus cucurrire, Gallina gracillare. Quod ad cetera spectat animalia, Tygres rancant, Leones rugiunt, Lynces fremunt, Vrsi vncant, Lupi vlulant, Frendent apri, Elephantes barriũt, Cerui & Onagri glocitant, Tauri mugiunt, Equi hinniunt, Verres quirritant, Aselli rudunt & oncant, Arietes blaterant, Oues balant, Sues gruniunt, Hircus mutit, Latrat canis, Vulpes gannit, Vagiunt lepores, Mures mintrant, Mustellæ dintriũt, Grilli grillãt, Serpẽs sibilat, Rana coaxat.

AVES DEORVM.

HAlcyones, Thetidis. Virgilius lib. 1. Georg. Non tepidum ad solem pennas in litore pandunt Dilectæ Thetidi halcyones.

Columbæ & Cygnus, Veneris. de columbis Prop. lib. 3. Et Veneris dominæ volucres mea turba columbæ. De Cygno Stat. lib. 3. Sil. & molles agitat Venus Aurea cygnos. Hor. lib. 3. Car. Et Paphum iunctis visit oloribus.

Pauo, Iunonis. Ouid. lib. 1. Met. de Argo centoculo: Arge iaces, quodq; in tot lumina lumen habebas, extinctũ est, centumque oculos nox occupat vna. Excipit hos, volucrisque suæ Saturnia pennis Collocat, & gemmis caudam stellantibus implet.

Coruus & Cygnus, Apollinis. Ouid. lib. 3. Met. -sed ales Sensit adulterium Phœbeius. Apollo apud Ouid. li. 2. Fast. Imea dixit auis, ne quid pia sacra moretur. Stroza

pater: Albus erat quondam volucris Phœbeia coruus.

Noctua, Mineruæ. Ouid. lib. 2. Fast. Et sine lite loquax cum Palladis alite cornix.

Picus, Martis. Ouid. lib. 3. Fast. Martia picus auis gemino pro stipite pugnant, Et lupa.

Aquila, Iouis. Syll. li. 4. Donec Phœbeo veniens Iouis ales ab ortu. Virg. lib. 1. Æn. Ætherea quos lapsa plaga Iouis ales aperto Turbabat cælo.

Phœnix, Solis. Manilius apud Plin. testis est, Phœnicem in Arabia sacrum Soli esse. Claud. de laudibus Stiliconis: Conueniunt Aquilæ, cunctæq; ex orbe volucres Vt Solis mirentur auem.

Cataractas Plinius vocat aues Diomedæas.

Aues Palamedis sunt Grues, quoniam Palamedes ex earum ordine litteras quasdam fertur inuenisse. vocantur etiam Naupliadæ à Nauplio Palamedis patre. Polit. Clagũt Naupliadæ volucres & peruia Pennis Nubila conscribunt.

ANIMALIA DIVERSA.

IAm scripsimus in Epithetis naturam equorum, asinorum, canum, leonum: ne quid tamen desit huic operi, aut pars vlla videatur manca, repetemus; sed breuius multò.

Equi, vt ab his principium sumamus, bimi in vtroq; sexu concipiunt, sed pullos generant debiliores, quàm qui trimi. Equa fert vterum menses vndecim, & duodecimo parit. Columellæ placet, vt & maribus & feminis concedatur admissura circa æquinoctium vernum; partim vt reuoluto anno eodem tempore pariat; partim etiam, quòd hoc armentum libidinis furiis maceratur, si prohibeatur coitu. Fœminæ tanto coeundi ardore plerunq; mouentur, vt masculorum penuria Venerem sibi figurent, versæq; ad meridiem hausto concipiant vento. quod aiunt fieri in vlteriore Hispania: vnde Virg. lib. 3. Georg. Scilicet ante omnes furor est insignis equarum, Illas ducit amor trans Gargara, transq; sonantem Ascanium, superant montes & flumina tranant, Continuoq; auidis vbi subdita flamma medullis, Vere magis, quia vere color redit omnibus, illæ Ore omnes

uersæ in Zephyrum stant rupibus altis, Exceptantq; leues auras: & sæpe sine vllis Coniugiis vento grauidæ (mirabile dictu) Saxa per & scopulos & depressas conualles Diffugiunt. Plinius ait hanc rabiem mitigari coma tonsa, Apuleius testiculorum amputatione. Pariunt equæ singulos quàdoque gemellos. parituræ se erigunt, stantesq; enituntur: quum tamen ceteræ quadrupedes iacentes pariant. Aristoteles equis vitam annorum xxv. adscribit. Plinius tamen ait mares ad annos xxxiii. generare, feminas gignere ad annos xl. Aristoteles sentit mares minus viuere, quàm feminas, quoniam debilitantur coitu. contrà verò Plinius breuiorem facit equarum uitam. Qui domi aluntur, minus uiuunt, quàm qui in grege. feminæ finem crescendi faciũt post annos quinque, mares anno addito. Mares citius perficiunt in utero, quàm feminæ. Partu edito non statim generosa impletur equa, sed intermisso tempore. dum peperit, carunculam quandam ex fronte pulli (quam Hippomanes vocant) deuorat, eoque deuorato pullum melius amat. nam si alia equa præriperet, partum ad ubera non admitteret mater. Equæ plerunq; macrescunt desiderio pullorum absentium. propterea dimittendi sunt in eadem pascua, quibus mater. Tanta est in hoc genere caritas, ut amissa parente reliquæ fetæ educent orbum. feminæ grauidæ hiberno tempore, tecto continendæ sunt non angusto, ne aliæ conceptum elidant. Pullus postquàm genitus est, terram ante triduum ore non attingit. Equus dentes habet quadraginta: dum bimus est, & sex mensium, medii dentes & superiores & inferiores cadunt: dum quartum annum attingit, deiectis dentibus caninis alii nascuntur: intra sextum annum molares cadunt: omnes septimo complentur. Senectute plus solito candescunt, quũ ceteris animalibus nigrescãte.

Plures sunt dentes maribus, quàm feminis: uitæ sunt breuioris quibus pauciores, viuacioris quibus plures. Equi suas matres & filias superueniunt. sunt tamen exempla, quæ cognatam libidinem eis odiosam esse doceant. Equi ducuntur gloriæ cupiditate: nam victores exultant & victi dolent. Camelum reformidant adeò, vt nec eius aspectum sustinere, nec odorem ferre valeant. aquam amãt turbulentam in potu, vt videre est. nam prius, quàm bibant, limpidam pedibus interturbant. quatriduanam sitim possunt tolerare, sed postea auidissime bibunt. fruge & herba vescuntur, & potu pinguescunt. Exanimato eorum corpore nascuntur vespę & crabrones. feminę caput affixum palo in hortis fugat erucas. Æthiopia pennatos equos generat & cornibus armatos. Fluuiatiles vocantur Hippotami. Quod ad eorum bonitatẽ spectat & generosam indolem, Varro probat equũ breui capite, nigris oculis, membris non confusis, naribus non angustis, auribus applicatis, non angusta iuba, crebra, fusca, subcrispa, subtenuibus setis implicata, in dexteriorem partem ceruicis, lato pectore, & pleno, humeris latis, ventre modico, lumbis deorsum versum pressis, scapulis latis, spina duplici, cauda ampla, cruribus rectis æqualibus, introuersis, genibus rotundis, vngulis duris, toto corpore venoso. Columella: Quum verò natus est pullus, inquit, confestim licet indolem existimare, si hilaris, si intrepidus, si neque conspectu nouæq; rei auditu terretur, si ante gregem procurrit, si lasciuia & alacritate interdum, & cursu certaminis æquales exuperat, si fossam sine contactione transilit, pontẽ flumenq; transcẽdit. Corporis verò forma constabit exiguo capite, nigris oculis, naribus apertis, breuibus auriculis, ceruice molli, lacto pectore, grandibus armis & rectis, lateribus inflexis, ventre subtricto, testibus paribus & exiguis, cauda longa & secta, crispaq;, mollibus & altis cruribus, rectisq;, tereti genu, paruoq;, neque introrsus spectante, rotundis clunibus, femineis torosis, duris vngulis, concauis & rotundis, quibus coronæ mediocres superpositæ sint. Sic vniuersum corpus compositum, vt sit grande, sublime, erectũ, ab aspectu quoque agile, & ex longo (quantum figura permittit) rotundum. Varii poetarum versus naturam & indolem generosi equi exprimentes citantur à me in Epithetis. Qui videre volet, habeat sibi.

Asinorum duo sunt genera; feri, quos Onagros vocant; mansueti, ut nostrates. viuunt asini exiguo pabulo, vt foliis, spinis, carduis, stramine: tolerantissimi sunt plagarum, & penuriæ. propterea tardius deficiũt. quàm vllum aliud ar-

mentum.negligentiam custodis fortissimè sustinent: laborem & famem patiuntur: rarò afficiuntur morbis: apti sunt ferendis sarcinis, & oneribus. propterea Columella meritò ait eos ruri necessarios esse. Impatientes frigoris: hinc Pontus & Scythia, regiones frigidissimæ, asinis carent. Tertio mense coire incipiunt, vbi partus est ocyssimus, sed à trimatu legitimus. Asinæ singulos pariunt, non nunquam etiam gemellos. parturæ lucem fugiunt, & tenebras quærunt, ne ab homine conspiciantur. Viuunt annis xxx. & amplius. femina viuacior est mare. per ignes ad fetus rendunt, quum tamen interpositum riuum contingere horreant. propterea sicco tramite eunt potum, nec pontes transeunt, quorum trabes discuneatæ aquam deorsum ostentant. ferulas amant, quæ ceteris iumētis præsentaneo sunt veneno: pediculis carent: ex mortuorum tamen cadaueribus gignuntur scarabei. Feminæ si non peperint prius, quàm dentes amittant, quod solet accidere mense xxx. sterilitas certa. Laborant morbo, quem Malidam vocant. quod vitium in capite oritur. Asini Indici armantur cornibus. Asini iecur inflatum comitialibus prodest, si ieiuni comederint. cinis quoque vngularum asininarum binis coclearibus potus comitiales ipsos adiuuat, & eisdem strumas discutit. Asinini lactis potus addito melle, prodest dysentericis. prouocat & nitorem cutis. propterea ferunt Poppæam Neronis vxorem eo lacte faciem sibi perunxisse.

Canes fidelissimi sunt homini, vt multis exemplis docet Plinius. propterea Athenienses canem publicè alendum mandauerunt, quòd in Æsculapij templo custos adhibitus compilantem sacra indicasset. Proemphanæ canem habent pro rege, motu eius imperia augurantes. Templum fuit apud Ætnam, quod soli custodiebant canes, caste adeuntibus innocui, pollutis verò infestissimi. bestiam & furem prædicant suo latratu. dominos amant, comitantur, custodiunt, excubant pro foribus. nomina sua & vocem domesticam agnoscūt. itinera quamuis longa meminere, magno memoriæ argumento. Lacedæmonij hoc animal templis omnibus arcebant, quòd impurum sit, & palam coeat. Romani placandis caniculæ ardoribus ipsum immolabant.

Generosi sunt in primis Laconici, Arcadici, Locrenses, Iberici, Cretici, Molossici, Hyrcani, Indici, Elymęi, Meliteī paruuli sunt & dominis suis inter delicias. inhumantur apud Molossos. Annui sunt eis partus, & ad pariendum annua ætas. gerunt in vtero sexagenis diebus, gignunt cæcos, qui quò largiore aluntur lacte, eò tardius visum recipiunt; non tamen vltra uicesimum primum diem, nec ante septimum. Optimus est in fetu, nouissimus cernere incipit. Mares quarto anno gignere incipiunt, feminæ tertio usque in nonum postquam peperuut, coeunt non ante sextum mensem. sunt quæ LXXII. diebus uterum ferant, quarum catelli XII. diebus cecutiunt. tenentur libidine diebus adsummū XIV. Lac earum crassum est, crassius, quàm cetero rum animalium, præterquam scrofæ, & leporis. Feminæ considentes meiunt, mares crure potius elato. Parit canis quinq; aut sex, interdū duodecim. Nec mari nec feminę permittenda uenus ante annum, quia si teneris concederetur, ui res carperet. Quos uolumus esse generosos, eos oportet non educari alienæ nutricis uberibus; quia lac maternum magis prodest ad incrementa corporis. In canibus ætatis indicium dentes arguunt. nam iuuenibus albi sunt & acuti, senibus nigri & obtusi. uiuunt annis XIV. mutant dentes, quos caninos dicimus. Canum alij sunt uenatici, ad feras; alij uillatici, ad armentorum & uillarum custodiam. Boni canes debent esse formosi, magnitudine ampla, oculis nigrantibus & rauis, naribus congruentibus, labris subnigris, acutis dentibus, & labro tectis, capitibus & auriculis magnis, & flaccis, crassis ceruicibus, & collo, internodiis arti culorum longis, cruribus rectis, pedibus magnis, digitis discretis, unguibus duris & curuis, talo fermentato, & mollicorpore à sūmis feminibus suppresso, spina neque eminulaneque curua, cauda crassa, latratu graui, hiatu magno, colore albo. feminæ debent esse mammosæ, æqualibus papillis. uillatici debent esse neque mitissimi, neq; nimis crudeles: quòd hi domesticos etiam inuadant, illis facilè adulentur fures. Degeneres sunt, qui caudam sub aluum reflectunt. Infestantur tribus morbis, angina, podagra, & rabie. rabiosi quidquid mordent, in rabiem uertunt. rabi-

es in eis cognoscitur, quum potum & escam auersantur, largam spumantemq; pituitam naribus & ore proiiciunt, toruè & solito tristius intuentur, in omnes passim sine latratu irruunt æquè, feras, hominesq;, tam ignotos, quàm familiares mordent, aquæ metu afficiuntur, ut ea uisa pili plerunq; inhorrescant, & non nunquam ex ea formidine emoriantur. quo etiam metu afficiuntur ab iis demorsi. Eorum autem rabies pestifera est in primis homini, Syrio ardentem. Radix siluestris rosæ (quam Cynorrhodam appellant) remedio est aduersus eorum morsum. Laborant & scabie canes, fiuntq; pulicosi, & his scatent vermibus, quos Plinius Ricinos appellat.

Capræ dicuntur à carpendo, teste Varrone, quòd Virgulta carpant, & agrestibus pascantur fruticibus. maleficæ sunt frondibus & arboribus, oliuæ maximè; quam si lambendo contigerint, depauerintq;, sterilescere faciunt, & enecant. amant dumeta potius, quàm situm campestrem; asperisq; locis & siluestribus optimè pascuntur. nam nec auersantur rubos, nec offenduntur vepribus. Citisum maximè amant, Ocymum verò aspernantur, quòd insaniam faciat. alsiosæ sunt, & obnoxiæ frigori. propterea melius ad hibernos exortus stabulantur. Iubet Columella, vt diligens pastor earum stabula quotidie conuertat, neq; permittat stercus, aut humorem consistere, lutum ve fieri, quòd cuncta hæc capris sint inimica. Varro ait stabulum caprile lapide aut testa substerni oportere, quò minus sit vtiginosum, & lutulentum. Substituenda item virgulta, ne obliuiscantur. Capris glans non est permittenda, nisi affatim dari possit. nam citra satietatem data facit, vt abortum pariant. Laudantur mammosæ, & abundantissimæ lactis. debent esse firmæ, magnæ, corpore leni, & crebris pilis tecto. meliore sunt semine, quę bis pariunt. Desistente autumno exigunt à grege in campo hircos in caprilia. concipiunt Nouembri mense: Martio pariunt turgentibus virgultis: reddunt fetum quarto post conceptum mense: pariunt frequenter duos, interdum quaternos, sed rarò: implentur terno aut quaterno coitu: viuunt annos octo: coeunt quandiu viuunt: crebro loca permutant, summaq; depastorum fru-

ticum solùm contingunt: sterilescunt nimia pinguedine: oculis non lippiunt: cornibus inter se quandoque pugnant, quibus sunt cornua, nam non omnibus: auribus spirant, non naribus: noctu cernunt non minus, quàm interdiu. propterea caprinum iecur vespertinam aciẽ his restituit, quos Nyctilopas vocant. semper febriculosæ sunt. Sole in occasum decliui auersæ iacent, & sese non contuentur. Villus, quem habent pensilem in mento, vocatur Aruncus, quo si quis vnam earum traxerit, aiunt reliquas stupefieri. gustato pulegio ad balatum concitantur. differunt à capreis, quòd hæ siluestres sint, illæ domesticæ. In Africa nascuntur agrestes, equi altitudine. sunt & in regione Caspia eadem magnitudine, sine cornibus, colore albo, villis longis, & tonsilibus, qui lanis Milesiis certant. apud Mendesios pulos capræ coluntur, & caprarii ipsi maximo afficiuntur honore. sunt & in parte Africæ tonsiles, ex quorum villis nautæ rudẽtes conficiunt. Habitatores Sardiniæ pellibus caprarum vtuntur pro vestimentis. Pestilentia quandoque vexãtur. qua quum agnoscuntur correptæ, iis omnibus sanguis detrahendus est. Ebulliente earum sanguine, mollitur Adamas. fel vase in terra concluſum congregat ranas. iecur comestum prodest contra visus obscuritatem. vngularum cinere perunctæ ex aceto sanantur alopeciæ. earum cornibus vel pilis accensis fugantur serpentes. cinis potus vel illitus prodest contra ictus. fimus in aceto decoctus & illitus contra ictus serpentum. caseus cum origano ad morsus aliarum bestiarum. lac contra cantharidas remedio est. sanguis decoctus cum medulla, sumitur contra toxica. lactẽ etiam caprino tolluntur lendes. vrina calefacta & instillata prodest auribus. fel cum uino sumitur contra cicatrices, albugines, & caligines. caseus siccus ex aceto & mel le purgat vlcera. Caprearum sanguis cum palma marina pilos detrahit. lacte caprino perunctæ gingiuæ faciles dentiones faciunt. fel sacrificatæ capræ oculis illitum, vel sub puluino positum somnos allicit.

Luporum rapax est natura & ignobilis. nam, vbi caulas intrauerunt, non solùm interficiunt quod satis est ad ventrẽ; at totum gregem passim iugulant. dicuntur vocem ad præ-

sens tempus adimere ei, quem priores conspexerint. Virg. Lupi Mœrim videre priores. Sæuiores sunt qui in frigida nascuntur plaga, quàm qui in Africa, aut Ægypto. habent in cauda amatorium virus exiguo in villo, qui tamen non idem pollet, nisi viuenti fuerit direptus. coeunt toto anno non amplius, quàm dies XII. in summa fame vescuntur terra. grassantur noctu. animalia cornuta inuadunt à tergo. flumina tranant seriatim, omnes præcedentium caudis mordicus apprehensis. sacri sunt Apollini, & Latonæ, quòd ei parieti astiterint. In Mareotide Ægypti parte piscatoribus assistunt, more domesticorum canum, & partem prædæ ab eisdem accipiunt, alioqui retia & omnem apparatum concerperent. pereunt gustata herba, quæ ex argumento vocatur Lycoctonia. Lupis oculi noctu splendent, & lucé iaculantur. ferunt lupi rostrum inueteratum veneficus resistere. ob id villarum portis olim præfigebatur. vestigia lupi calcata equis afferunt torporem. excrementa suffusionibus prosunt, adeps contra lippitudines. luporum iecur simile est equinæ vngulæ. In Olympo Macedoniæ monte, & in Creta insula non sunt lupi. nullos etiam fouet Britannia. In eodem genere sunt Lupi seruarii, quibus in fame mandentibus si respexerint, obliuionem cibi surrepere aiunt, digressosq; quærere aliud. congrediuntur cum leonibus. hominem à ceteris animalibus oppressum vlciscuntur. Lupus à Græcis dicitur Lycos. Lyncanthropia vocatur melancholica affectio, qua qui afficiuntur, vocantur Lycanthropi, quoniam lupos imitari videantur. Exiliunt quippe noctu, & inter sepulcra diuersantur ad diem vsque. Ferunt lupos in magna armenta certaturos ventrem explere terra, vt illa sarcina factus onerosior, non tam facilè excutiatur, sed resistat fortius.

Cerui vrgentibus canibus vltrò cõfugiunt ad hominem, viasq; humanis tritas vestigiis minus cauent, quàm secretas, & oportunas: concipiunt post arcturi sidus: vterum ferunt octonis mensibus: pariunt interdum geminos: à concepto separant se: relicti mares libidine pruriunt: fodiunt scrobes; tunc eorum rostra nigrescunt, donec imbribus abluãt. feminæ ante partum purgant se herba, quæ dicitur Siselis,

ad faciliorem partum. pastæ redeunt ad fetus, quos exercent cursu, & fugam meditari docent. ducunt etiam ad præruptа, & saltum demonstrant. Mares desiderio libidinis soluti auidè petunt pabula, pingues facti redeunt in latebras: fugiunt audito canum latratu: mulcentur cantu & fistulis: erectis auribus acutè audiunt; iisdem depressis, surdescunt: timidissimi sunt & admodum stupidi, adeo vt equo aut bucula propius accedente iuxta venantem non cernant; aut si cernunt, arcum & sagittas, mirentur: maria tranãt gregãtim nantes ordine porrecto, & capita imponentes præcedentiũ clunibus, alternatimq; ad terga redeuntes: natant in odore terrarum, quas non vident: cornua habent mares, quæ amittunt omnibus annis statuto veris tempore: cornibus amissis delitescunt vt inermes. His accensis odore fugantur serpentes, & comitiales morbi deprehenduntur. Ætatis indicia arguuntur, in illis singulis annis ramos adiicientibus vsque ad sexennes. Sunt qui dicant feminis quoq; nasci cornua. Euripides: Ceruam (inquit) cornigeram manibus Achæorum tradam, quam pro tua mactabunt filia. Et poetæ Ceruam ab Hercule expugnatam aiunt cornigeram fuisse. In ceruis etiam senecta dentibus declaratur. tunc enim aut paucos habent, aut nullos, nec in cornibus imis ramos, qui prominent ante frontem iunioribus. castratis neq; deciduntur cornua, neq; nascuntur. Quandiu carent cornibus, no ctu procedunt ad pabula: nam interdiu non audent, imbellia suæ & infirmitatis conscii. ubi creuerunt, ea ad arborem experiuntur: si firma viderint, in apertum prodeunt, securiores solito. pugnant cum serpentibus, cauernas inuestigant, nariumq; spiritu extrahunt renitentes. propterea adusto cornu ceruino odor serpentes ipsos abigit. febré non sentiunt, quin potius huic morbo medentur. centenos excedunt annos. cornua in locis inaccessis proiiciunt, ne imbelles inueniantur. felle carent, vermes habent in capite. eorum caro manè commanducata vitam hominis augere dicitur. Nulli sunt in Africa cerui: vulnerati iaculis sanant se dictamo herba, quam primi monstrauere: extractos cauernis serpentes mandunt: in Hellespontо non commeant in alienos fines & circa Arginussam: elatum non excedunt

montem, in quo fissis sunt auribus. Vicissim ad alias transeũt feminas, & ad priores redeunt. Parturæ ceruæ pascuntur Sileli: quum sentiunt se grauidas, lapillum deuorant, qui in excrementis repertus, aut in vulua partus custodit adalligatus. Vuluas pilo ceruino suffiri prodest. ceruina pellis vocatur Nebris, quoniam nebrus est de genere ceruorum. Ceruorum sanguis tenuis est & aquosus. Mart. Seruos fugitiuos nuncupauit Ceruos, ab huius animalis celeritate, à cuius timiditate viri ceruini dicuntur homines nimis meticulosi.

Vrsi coeunt hiemis initio, ambobus cubantibus complexisq; ; deinde separatim abeunt in latebras, in quibus pariunt tricesimo die, plurimùm quinos, sine oculis & sine pilo: vngues tamen prominent. hos partus lambendo pulsãtim figurant. raro visa est pariens vrsa. Mares XL. diebus latent, feminæ VI. mensibus. latebrã si non habeant, fruticum & ramorum congeriem ædificãt molli fronde constratam, ventisq; & imbribus impenetrabilem. Primis XV. diebus adeò graui somno premuntur, vt ne vulneribus quidem excitari queant, tuncque veterno pinguescunt: ab his dibus priorum pedum suctu viuunt. Feta dies XVI. immobilis manet, sine cibo dies XL. Fetus rigentes pectori admotos fouent, eodem incubitu, quo volucres oua. Vere procedunt, sed pingues mares ad laxanda intestina concreta Aron herbã deuorant. Eorũ oculi hebetãtur crebro. Inualidissimo capite sunt vrsi. ideo si vrgente vi aliqua præcipitare se velint, ipsum manibus operiunt, & inflictis in arena colaphis quandoq; exanimantur. suspensi taurorum cornibus eosdem pondere fatigant. sunt sollertes in malefi-cia. non gignuntur in Africa. Vrsa resupinata serpit ad fetus & latrebram, in qua paritura est, ne vestigia venatoribus speluncam prodãt. saturitati occurrit vomitione, quam sibi excitat commaducatis formicis. Si venatores instent, catulos partim dorso, partim ore rapiens fugit in proximam arborem. Femina sæuior est & fortior mare. Vrsus erectus duobus aliquando pedibus ingreditur. carnes depascitur etiam putres. Vrsi sunt in Mysia adeò venenati, vt solo afflatu canes perimant. apud Roxolanos inueniuntur pleriq; mansuefacti. Vrsi in longiore itinere sine calciatu fatiscunt. viuunt fruge, fronde, vindemia, pomis, apibus, caneris, & formicis. Aiunt eorum manus, id est, anteriores pedes, esse inter esitandum prædulces, & insigni suauitate, quòd frequenter partem hanc agitent, cùm apprehensione, tum incessu.

Mulus gignitur ex asino & equa. eximius est ferendis oneribus. Mula gignitur ex equo & asina, animal tarditatis indomitæ. Conceptum ex equo si sequatur asini coitus, abortu perimit, sed non equus conceptum ex asino. Feminæ à partu septimo die impleri possunt. fatigati mares melius implent. Equo & asina genitos mares antiqui vocabant Hinulos, seu Hinuleos. Horat. Vitas hinuleo me similis Chloe Mulæ non pariunt nisi prodigiosè, quoniam ex duobus diuersis generibus genitæ sunt. Theophr. apud Plinium testis est mulas in Cappadocia parere. Mulæ calcitratum inhibet crebrior vini potus. Generantur etiam mulæ ex equa & onagris mansuefactis, veloces cursu, eximia duricia pedum, rugoso corpore, indomito animo, sed tamen generoso. Nascuntur apud Indos muli ex asino & equa agrestibus. Athenienses mulum emeritum (cuius labore in extruendo templo vsi fuerant) publicè aluerunt, data lege ne quis hordeum appetenti auerteret. Aiunt puerẽ, in quo mula se volutauerit, corpori inspersum mitigare ardores amoris. Varro lib. 2. de Re rust. ait mulas non vbique steriles esse, quamuis sint in Italia. nã Mago & Dionysius apud eundem testes sunt, mulam & equam quum, conceperunt, duodecimo mense parere.

Bos in re pecuaria primam habet auctoritatẽ. est enim socius hominum in rustico opere, & Cereris minister. proptereà olim cautum fuit lege, ne quis occideret. ex eius cadauere nascuntur apes mellis matres. Ætatis quattuor sunt gradus in genere bubulo. prima est vitulorum, secunda iuuencorum, tertia boum nouellorum, quarta vetulorum. Vacca sterilis vocatur Taura, prægnans Horda. In hoc armento præcipui sunt, qui sunt membris pilosis, nigrantibus cornibus, latis frontibus, oculis magnis & nigris, auribus conpressis, spina leniter remissa, apertis nari-

bus, labris subnigris, ceruicibus crassis, & longis à collo, corpore amplo & bene costato, latis humeris, bonis clunibus, ad inferiorem caudæ partem frequentibus pilis, subcrispis, cruribus potius minoribus, rectis genulis eminulis, distantibus inter se, pedibus non latis neq; ingredientibus, qui displodantur, nec quorũ vngulę diuaricent. Cómodè pascuntur boues in nemoribus, vbi virgulta & frons mulcatur. Macra vacca facilius concipit. propterea ante admissuram nõ debet impleri cibo, aut potione, mẽsem vnũ. contrà verò tauri ante admissionem herba, palea & fœno implendi sunt, & à feminis secernendi. Quum taurus vaccam inuit, ex eius descensu cognoscitur, an mas conceptus sit an femina. si quidem si mas est, abit in dexteriorem partem; si femina, in sinisteriorem. Non oportet inire feminas ante bimatũ, vt trimæ pariant: & melior erit fetus, si quadrimæ. Idoneum tempus concipiendum est à Delphini exortu vsq; ad dies XL. Vaccæ mensibus decem sunt prægnantes, quas pasci oportet in locis viridibus, & aquosis. Æstiuo tempore infestantur tabanis & quibusdam bestiolis. His frondem substerni oportet, quo mollius quiescant. Æstate ducendæ bis ad potum, hieme semel. Locus frigidus facit eas macrescere. Vaccæ probantur, quæ sunt maximis lateribus, frontibus latissimis, oculis nigris & patentissimis, cornibus venustis, & nigrãtibus, pilosis auribus, compressis malis, caudis amplissimis, vngulis modicis & cruribus. Campania boues albos & exiles gignit, Vmbria vastos & albos, Etruria & Latium compactos & ad opera fortes, Apenninus & Gallia uegetos, & labori aptissimos. Ælianus ait taurum cornupetam alligato dextro testiculo cohiberi. Morbi boum sunt podagra & struma. Concipiunt uno initu, quòd si aberrauerint, XX. post die femina reperit marem. Tauri non sæpius, quàm bis die ineunt. Boues soli animalium retrò ambulantes pascuntur. Feminæ uiuunt ad annos XV. mares ad XX. Robur eis in quimatu, pinguescunt lauatione calidę aquæ. Domitura boum fieri debet in trimatu, antè prę- matura est, postea sera. Fuit hoc animal tantæ curæ apud Roman. ut in exsilium pulsus sit, qui bouem occiderat ad comedendum omasum. Boues lapillum habent in capite, quem

quem exspuunt, si necé timeant. Ludos boũ causa celebratos Bubecios vocabant. Serius ouium & boum effigiẽ æs signauit. Fons est in Narbonensi prouincia Orge nomine, in quo herbæ nascuntur adeò bobus expetitæ, vt mersis capitibus eas inquirant. Boues se olfactantes, seq; lambentes contra pilum, tempestatem præsagiunt. eorum simum vtile est aluearijs. Scabie si inficiãtur, ea sanatur Corcoro herba. Bupresti herba est venenum bobus. nam ea gustata dissiliunt. India boues habet vnicornes & tricornes; habet & atrocissimos tauros siluestres, maiores agrestibus, colore fulino, oculis cæruleis, præstantes cursu, cornibus mobilibus, quorum tergora silicis æquant duritiam, & omne respuunt vulnus. Bouem primus ocidit Prometheus.

Sues bis anno pariunt, vterũ ferunt mensibus tribus, vicenos quandoq; enituntur porculos, sed tam multos educare nequeunt. inire incipiunt VIII. mense. admissura est à Fauonio ad æquinoctium vernum. implentur vno coitu. Mares post trimatum non generant. feminæ senio confectæ cubantes coeunt. fetus comedunt non nunquam. viuunt ad annos XV. non nulli ad vicenos. Aiunt suem exoculatum citò emori. Obnoxij sunt anginæ & strumæ. Cruor in radice setæ dorso euulsæ & caput obliquum in incessu, indicia sunt infirmitatis. præpingues pęnuriam lactis sentiunt. gaudent volutari in luto; facilius in dextrum iacent, quàm læuum. Veteres existimabant animam eis pro sale datã, quòd ad escam tãtum nati sint. Castrantur quandoq; feminæ; pinguescunt adeò, ut Plinius scribat soricem in corpore cuiusdam præpinguis nidificasse. bis anno pariunt. Porcus olim sacer erat Cereri. & in feriẽdo pacis fœdere quõdã mactari solebat. Sues mares sunt salacissimi, & ab annicula ætate commodè progenerant, ac etiam semestres implere possunt feminã. Columella ait feminam idoneam esse ad edendos partus usq; ad annos septem, quæ quanto fecundior est, eò senescit citius. Castrati sues celerius pinguescunt. melius pascuntur in agris palustribus, quàm sitientibus. gaudent & siluis glandiferis, ac pomiferis. amant & radiculas aquatilis siluæ. Maribus in coitu plurima est asperitas. tunc inter se dimicant indurantes attritu arborum costas. feminæ in

partu asperiores. In Arabia suillum genus non uiuit. Sues in coitu spumam ore fundunt. Verres subantis audita uoce nisi admittatur, cibum non capit in maciem. Feminæ tantum plerunque efferantur, ut hominem lacerent, candida maximè uestę indutum. quæ rabies mitigatur aspersо aceto. Feminæ prægnantes coeunt. Suibus quandoque serpentes sunt in pabulo. Galenus suillam carnem ceteris ludabiliorem facit. Phorine dicitur suilla pellis. Porrò Verres, dicitur porcus non castratus.

Aper, porcus siluester dentatus est, & excellit feritate. in morbis medetur sibi hedera. Solidum aprum primus Romanorum in epulis apposuit P. Seruilius Rullus. Apris maribus non nisi anniculis generatio. Indicis apris cubitales sunt dentium flexus gemini ex rostro. totidem à fronte ceu vituli cornua exeunt. In Creta & Africa nulli reperiuntur apri. multi sunt in Macedonia. Apri cerebrum cum sanguine laudatur contra serpentes; iecur item inueteratum, & potum cum ruta & vino; itē adeps cum melle & resina. Aprotam grauis est sua vrina, vt nisi egesta sit, fugæ non sufficiat, & velut deuinctus opprimatur.

Orygem, perpetuò sitientem habet Africa. quod tamē animal liquorem habet in uesica magni cōtra sitim remedii.

Talpæ, oculis capti, frumentum in area populantur. Græci blactas vocant. similes propè sunt muribus. terrā excauant, in qua effodiunt sibi cubilia, dicente Virg. Aut oculis capti fodere cubilia talpæ.

Oues, quadrupedum sunt mansuetissimæ. in admissura si feminas cupiunt, austrum obseruant; si mares, aquilonē. Oues Arabicæ caudam trium cubitorum per humum voluunt. In Chio sunt minutissimæ inopia pabuli. quarum tamen lacte caseus fit laudatissimus. Agni statim à partu matrē agnoscunt, circaq; illam petulca gestiunt lasciuia. Probæ oues debent esse corpore amplo, molli & denso villo, & ventre piloso, cruribus humilibus. omnes infirmo sunt capite. viuunt annos decem. Arietes agnas fastidiunt, senectam ouiū consectantur. Generant in vtroq; sexu à bimatu ad nouenos annos. coeunt à III. Idus Maias ad XIII. kal. Augusti. gerunt partus diebus CL. Arietis ferocia cohibetur cornu iuxta aurem terebrato. Dextro teste præligato feminas generat, læuo mares. Tonitrua solitariis ouibus abortus inferunt. propterea congregari debent, vt cœtu iuuentur. Oues tectæ molliores sunt, Colonicæ in pascuo elegantiores. Plinius laudatissimas oues, & lanas facit Apulas, & Italicas: tertium locum dat Milesiis. Circa Tarentum & Canusium summam quoq; nobilitatem habent, & in Asia Laodiceæ. Oues frequentius, quàm ullum aliud animal infestantur scabie, quam facit macies, vt maciem exiguitas cibi. huic morbo nisi occurratur, vnica totum pecus coinquinabit. nam oues contagione vexantur. Agni si laborent morbo, non debent admitti ad matres. Tondendarum ouium tempus est in Iulio. Olim multatio non nisi ouium, boumq; impendio dicebatur. Lac ouillum dulcius est bubulo, & magis alit. Veruex dicitur, cui inuersi sunt vel adempti testiculi, Aries, qui generat. Ferunt arietinis cornibus defossis asparagum gigni. Laberius poeta vocabat arietes Reciprocicornes & lanicutes, quòd reciproca habeant cornua, & cutem lana opertam. Veruex sectarius, dicitur, qui gregem agnorum præcedens ducit.

Simiis figura est homini proxima. imitātur quidquid ab homine fieri vident. propterea venatores hac ratione eas plerunque fallunt. nam in radicibus arborum, in quas illæ repserunt, aqua se perungunt, demum vasculum visco plenum aquæ loco reponunt. quo quum oculos & ora perunxerunt simiæ, facilè capiuntur. Falluntur & alio modo, quum scilicet relictis dedita opera à venatoribus calceis sese impediunt. tristes sunt luna cana: noua lætantur. fetus amant maximè. catulos, quos in domibus peperere, omnibus demonstrant, gaudentq; tractari, & quandoque amplectendo necant. Ex Simiarum genere sunt Cercopytheci, maximi magnitudine, cauda quinum cubitorum, barba propensa, humana coma, alba facie, reliquo corpore nigrantes. confugiunt ad arbores. uersantur in montibus Indiæ. capiuntur eo, quo diximus, modo. Alexandri exercitum quandoq; terruerunt. Item Sphinges, villosæ, mammis prominentibus, quæ mansuefiunt facilè, & feritatis obliuiscuntur. Callitriches, toto ferè aspectu differunt à cete-

ris. barbam habent in facie, latâ caudam. uiuunt in Æthiopico tantùm solo. Satyri, facie sunt admodũ grata. Cynocephali, formam habent Simiarum, humani gestus æmuli, & puerorum amatores, quibus etiam mulgenda præbent vbera. Cynoprosopi, capite, dentibus, & pelle, similes sunt canibus, reliqua hominibus, veloces cursu, vnguibus manuum præacutis. petiti ad aquas confugiunt. propterea captu sunt difficiles. Cæpus, faciem habet Satyro similem, cetera inter canem & ursum. Nanticora, & Crocuta, sunt etiã de genere simiarũ, imitãtq; hominũ gestus & sermones.

Animalium maximum est Elephas, & humanis sensibus proximum. patrium enim sermonem intelligit. reminiscitur officiorum, quæ didicit. ducitur gloriæ voluptate. Solem, Lunam & sidera veneratur. Regem adorant elephantes, genua submittunt, coronas corrigunt. Indicis minores sunt Arabici. Visi sunt qui per funes incesserint. Plinius scribit vnum tardioris ingenij in accipiendis (quę tradebantur) sæpius castigatum verberibus, eadem illa meditãtem noctu repertum fuisse. Apud eundem Mutianus testis est, fuisse quendam, qui ductus Græcarum litterarum didicerit, atq; hæc scripserit, IPSE HAEC EGO SCRIPSI, ET SPOLIA CELTICA DICAVI. Dentium candore iuuenta in his intelligitur. Homine in desertis obuio & oberrante clementes sunt, atque etiam demonstrant viam. animaduerso hominis vestigio, tremiscũt insidiarum metu. subsistunt ab olfactu. circumspectant, iras proflant, gregatim ingrediuntur. agmen ducit maximus natu, cogit ætate proximus. Amnem transituri minimos præmittunt, ne maioribus alueum atterentibus, crescat gurgitis altitudo. Sutrum, & Aiax, nomina sunt duorum elephantum apud Plin. Gaudent phaleris argenteis. victi vocem victoris fugiunt. pudore nunquam coeunt, nisi in abdito, mas quinquennis, femina decennis. femina initur biennio, quinis cuiusque anni diebus. Adulteria non nouere. nulla propter feminas inter se mouent prœlia. memoria clarent: nam aiunt fuisse quendam, qui in senecta nouerit rectorem suæ iuuentutis. tanta sunt clementia in animalia minus valida, vt in grege pecudum occurrentia manu dimoueant,

ne quid obterant imprudentes: nec nisi lacessiti noceant. Infirmos, fessos, aut vulneratos in medium agmen recipiunt, & per vices subeunt. In Africa foueis capiuntur oberrantes. Troglodytæ, qui venatu elephantum viuunt, arborres eorum itineri propinquas inscendunt, inde nouissimum agminis speculati extremas in clunes desiliunt, neruosq; ferunt securi. Feminæ pauidiores sunt masculis. Domantur fame & verberibus. domiti militant, & turres armatorum in hostes ferunt, & in Oriente magna ex parte bella conficiunt. prosternunt acies & proterunt armatos. terrentur minimo Suis stridore, territiq; retrò cedunt, non minore partium suarum pernicie. Decem annis (vt non nullis placet) vterum ferunt. hinc adagium, Citius parient elephanti. Secundum Aristotelem biennio tantùm ferunt, nec amplius, quàm singulos gignunt. Multi viuunt annis ducentis. iuuenta eorum sexagesimo anno incipit. gaudent amnibus, circa quos vagantur. frigoris sunt impatientes; inflationem & profluuium alui sentiunt. terram edisse iis tabificum est, nisi sæpius mandant. deuorant etiam lapides. truncos habent in cibatu gratissimo. palmas prosternunt, & iacentium assumunt fructum, mandunt ore, spirant, bibunt, & odorantur. Murem odere adeò, vt si pabulum in præsepio positum ab eo attingi viderint, fastidiunt. in potu quandoque hirudines hauriunt, à quibus maximè cruciantur. uentres habent molles, durissimum in dorso tergus, muscarum tædio afficiuntur. Dentes in tantam magnitudinem excrescunt non nullis, vt postium vicem in domiciliis præbeant, iisq; fiant sepes, & pali in stabulis, pecorum. Elephantes habent Africa, Mauritania, Æthiopes, & Troglodytæ; Maximos India. Certant cum draconibus.

Hippolaphus animal est forma cerui & equi compositum, cerui magnitudine, villo & barba hircinis.

Dorcas aliter vocatur Caprea. Mart. Tam dispar aquilę columba non est, Nec dorcas rigido fugax leoni. Non lippit hoc animal. noctu cernit, vt interdiu. In Lycia Dorcades non transeunt montes Syris vicinos.

Musimones animalia caprarum instar villos ferunt. repe-

riuntur in Germania.

Damæ timidissimi sunt è genere caprearum. gregatim incedunt, & quandoque desiliunt in fuga. de his Mart. Dete timetur aper, defendunt cornua ceruum, Imbelles damæ, quid nisi præda sumus?

Vulpes vafrum est animal, Echinis infestum, quos quum aliter propter aculeos nequit superare, resupinat, & inuersos in ventrem (qui mollis est) lancinat, eoque modo interficit. Vexatus Vesparum multitudine impenetrat se in concauum locum extenta forinsecus cauda, cui quum se implicuerunt vespæ, egreditur, & ad murum siue arborem confugiens, eas ibidem perfricando excutit, & atterit, mortuasq; depascitur. insidiatur & pisciculis ripam oberrans, caudaq; in aquam demersa, cuius villis quum se obuoluerũt, extrahũtur quasi defossi. Vulpes inimici sunt miluis, gallinaceos non attingunt, qui vulpinum iecur comederint. In Thracia amnes gelatos, lacusq; non nisi ad pastus ituri reddituriq; transeunt. nulli reperiuntur in creta. odorem reddunt graueolentem. Mart. Hic olidam clamosus ages in retia vulpem. Vrgentibus à tergo canibus caudas suas lotio perfundunt, hisq; insectantium propius canũ ora diuerberant: qua molestia affecti canes, insequi desistunt.

Leo superbum est animal, cuius præcipua generositas arguitur, quum colla & armos vestiunt iubæ. quod contingit conceptis ex leone: nam geniti ex pardis carent hoc insigni, vt feminæ. Leo vbi pardi coitum sentit in adultera læna, supplicium sumit, & tota vi consurgit in pœnam. propterea læna culpam & odorem flumine abluit, aut conscia sceleris, & masculi metu fugientem adulterum comitatur. femina primo partu parit quinq; catulos, & per annos singulos vno minus ab vno sterilescit. parit adeò paruos, vt vix post secundum mensem ingredi valeant, quod accidit verno tempore. nascuntur apertis oculis. Vrinam mares crure sublato reddunt vt canes, coeuntq; auersi. rari sunt in potu. alternis diebus vescuntur. triduo quandoque inediam ferunt. quum quid deuorauerunt ventri molestum aut pernicioſum, iactis in fauces vnguibus euellunt, ne nimia corporis sarcina fugam impediat, si fugiendum sit. Leo

non pascitur cum læna, sed separatim errat. camelorum carnes appetunt. vrbes fame coacti interdum adeunt, & in homines sæuiunt, præcipuè senio confecti. tunc enim per corporis imbecillitatem, & dentium defectionem venari nequeunt. propterea Africani sibi timentes, captos leones pro portis vrbium crucifigunt, vt ceteros pœnæ similis absterreãt metu. Pasti & saturi faciles sũt & exarmati. Læna pro catulis dimicans, oculos in terram defigit, ne venabula expauescat. Leo caninos tantùm dentes mutat sexto ætatis mense. obliquo post partum ingrediuntur itinere, ne cubile deprehendatur. solida habent ossa, & minimè vacua. dolis carent & suspicione, nec limis intuentur oculis, nec eo modo conspici volunt. Leo si in venatu videatur, erubescens dare terga, sese paullatim recipit, si multitudine opprimatur. remotus ab aspectu venantium fugam properè molitur, turpitudinem absconsione purgari existimans. saltu caret in fuga, quo vtitur, dum quid insectatur. vulneratus percussorem obseruat acutissimè, & in quantalibet appetit multitudine. fugit interdum demissa in crura cauda, vt canum degeneres. infirmus est parte ilium contra ictus, reliquo corpore multas patitur plagas, vimq; summam gerit in pectore. oculos habet glaucos, splendescentes, & concauos, non valde rotundos, nec admodum proiectos. quidquid momorderit, aut vnguibus lacerauerit, ater inde sanguis & quædam sanies profluit. Diu viuunt: nam plerique reperiuntur dentibus defecti præ senio. hostem aggressuri caudæ verbere excitant sibi furorem. Modicè dormiunt. quiescentum oculi sublucent. dormientibus cauda non mouetur, qua vigilantum quoque arguitur animus: immota enim, index est clementiæ tranquillitatis; erecta verò, & quasi spinescens, iracundiam arguit. Tria sunt, quibus terrentur maximè; rotarum orbes circumacti, currusq; innanes; Gallinaceorum cristæ, & cantus; omnium maximè ignes reformidant. Videntur ex natura solis substantiam deducere: nam impetu & calore cetera præstant animalia, vti Sol, sidera. præterea oculis semper igneis & patentibus cernuntur, vt patenti igneoq; oculo terram conspicit. Hanno Carthaginiensis primus omnium leonem

manſuefecit, propterea relegatus, quòd hoc ipſum affectatæ tyrânidis ſpeciem præſeferret, aut quòd videretur exoraturus, quidquid petiiſſet, qui ignaras ſocietatis humanæ belluas demulceret. Qui in caueis leonum curam gerunt, vocantur Leontocomi. Nigri ſunt leones in Syria. eorum adeps cum roſaceo cutem in facie conſeruat à uitiis, & quotidianis febribus medetur. eo adipe perunctis facilior rem apud reges & populos gratiam dicuntur mereri.

Lynx eſſe dicitur de genere Luporũ ceruariorum, eſt autem uario collo & maculoſo tergore. Virg. lib. 1. Æn. Succinctam pharetra & maculoſæ tegmine lyncis. Eius urina vertitur in Lyncurium gemmam duritie calculi. Ouidius: E quibus ut memorant, quidquid ueſica remiſit, Vertitur in lapides, & congelat aere tecta. Gemma illa, in quam glaciatur humor lyncum, ſimilis eſt calculis & igneo colore fulgens. Lynces acutiſſimo ſunt uiſu. mammas habent in pectore. ſacræ ſunt Baccho.

Camelus bina in dorſo habet tubera, unũ in pectore, cui incubat, quum genua reclinantur. papillas quattuor, caudã aſino ſimilem, genitale retrò, genua ſingula in ſingulis cruribus, pedes biſulcos, ut bos dentatus. ſitim quatriduo tolerat. equos odit. bibiturus aquam pedibus obturbat. peruenit ad annos quinquaginta; quidã ad cẽtenos. caſtratis feritas tollitur, & augetur robur. Coituri latebras quærunt. crura poſteriora gerunt conuerſa. paſcuntur apud Orientales inter armenta, ubi iumentorum loco ſeruiunt. fortiores fiunt coitu negato. Cameli cerebrum arefactum potumq; ex aceto, comitialibus morbis prodeſt; fel cum melle potum anginæ. cauda arefacta ſoluit aluum. fimi cinere cum oleo criſpantur capilli. Feminæ uterum ferunt duodecim menſibus à trimatu, pariunt vere; iterumq; poſt annum implentur à partu. Dulciſſimum eſt lac camelinum.

Camelopardalis (quam Æthiopes Nabim vocant) collo eſt equino, pedibus bouinis, camelino capite, maculis rutilum colorem diſtinguentibus. Romæ viſa eſt Circenſibus ludis dictatoris Cæſaris.

Onagri ſunt aſini ſilueſtres, curſu pernices in Mauritania, ſed cito deſiſtentes & anheli à uenatoribus capiuntur. reperiuntur in India agreſtes, equi magnitudine, capite pẽnè rubenti, oculis cæruleis, vno in fronte cornu, magnitudine cubitali, ab radice albo, in cuſpide purpureo, parte media nigro diſcriminata. Talos habent, & felle carent. Onagri præcipui ſunt in Phrygia & Lycaonia. pullis eorum ceu præſtantibus ſapore Africa gloriatur, quos Laliones appellant. Onagrorum oſſa contracta & decocta pro ſunt contra venenum leporis marini.

Mantichoram habet India magnitudine leonis, pelle villoſa & purpurea, vultu & auribus propè humanis, triplici vtrinq; dentiũ ſerie, qui acuti ſunt & caninis paullò maiores; oculis item villoſis & ferè noctuinis, vnguibus leoninis, cauda bifida, aculeis utrinq; cuſpidata, quos pro telis iaculatur. ueſcitur humano cadauere. excellit curſu. propterea Indi catulos eius uenantur prius, quàm aculeati ſint.

Hirci obliquis ſunt oculis, & ad nares reſpicientibus. ſex menſes hibernos ſupra ſiniſtrum latus dicuntur iacere, quum dormiunt. ab æquinoctio hiberno totidem menſes ſupra dextrum. Hircorum rabies mitigatur, ſi mulceatur barba. olidi ſunt maximè; unde & Hircoſos uocamus homines graueolentes. Politianus: Non olidi coniux hirci. Hirci pro feminis pugnam ineunt. ut tamen placet non nullis, facilè permittunt femellas ſui generis iniri, etiã ſi uiderint.

Lepores dormiunt oculis apertis: quieſcunt interdiu, noctu uagantur: locum natalem amãt. campeſtres parui ſunt, & ualde pernices; montani magnitudine excedunt. omnes curſu accliui ſunt uelociores, propter priores pedes, poſteriores breuiores. excitant ſe ad fugam auribus in tergum declinatis. flexuoſo curſu canes plerunque decipiunt. Femina enixa ſuos fetus multis locis diſpertit & abſcõdit. accipitres reformidat. in uulpem ſi inciderit, euadere curſu contendit: uulpes uerò dolum opponit celeritati; nam in medio curſu fingit ſe deſiſtere, & quieſcit; paullò pòſt leporem nihil ſibi timentem inſectatur acrius, & cubile inuadit. Præterea ferunt leporem ultrò citroq; commeare, ut confuſis ueſtigiis cubile deprehendi nequeat. Archelaus apud Plinium teſtis eſt, lepori tot eſſe annos ætatis, quot ſunt corporis cauernæ ad excrementa. Benigna eſt natura

& innocua, & omnium prædæ nascens. solus præter Dasypodem superfetat. illati in Ithacam lepores moriuntur. pariunt omni mense. circa Briletū, & Tharniem & in Cheroneso ad Propontidem bina habent iocinora. Veteri superstitione creditum est eos olim septē diebus formosos fore, qui leporem esitassent. unde Martialis: Quum leporē mittis, semper mihi Gellia mandas. Septem formosus Marce diebus eris. Si verum Gellia mandas, Edisti nunquam Gellia tu leporē. Lepus ab auriū magnitudine vocatur Lagos.

Ex Leporum genere sunt etiam Cuniculi, sed aliquanto breuiores: quorū tanta olim frequentia extitit apud Baleares insulas, vt famem populatis messibus attulerint. terram excauant, in quam si urgeant canes, se impenetrant; nec illinc extrudi, aut extrahi possunt, nisi coniectis intro Viuerris, animalibus eorū generi īfestis. nulli sūt in Ebuso.

Dasypodem Plinius distinguit à lepore aliquot in locis, ut lib. 8. cap. 59. vbi ait: Lepus omnium prædæ nascens, solus præter Dasypodem superfetat. Idem lib. 10. Dasypodes omni mense pariunt & superfetant, sicut lepores, à partu statim implentur. Qua in re Plinium carpit Budæus, dicens, idem esse Dasypodem, & Leporem, quod & verbis Aristotelis, & multis aliis confirmat argumentis. Plinio patrocinatur Cœlius, facitq; Dasypodē diuersum à lepore.

Alces similes sunt capris figura & pellibus, sed aliquanto maiores. crura habent sine nodis & articulis. propterea in somno arboribus adhærent stantes; quas vt capiant venatores, arbores ipsas pēnè totas amputant, ita vt facili impulsu valeant prosterni. ita decidentibus illis, cadunt & alces, supinæq; nequeunt exurgere. Grandia habēt superiora labra. retrogradiūtur īpascendo, ne in priora tēdētes iuoluāt.

Vri minores sunt elephantibus, colore & figura tauri, mira velocitate, in feras & homines æquè sęuiunt. reperiuntur in Germania.

Bisontes prolixas habent iubas, figuram cerui, medium in fronte inter aures cornu. reperiūtur in Germania. Martial. lib. 1. Illi cessit atrox Bubalus atque Bison.

Bubali boues sunt agrestes, quos non nulli Bisontes esse putant. Mar. dissimiles facit, vt præcedens carmē indicat.

Bonasi iuba sunt equina, cetera similes tauro, cornibus ita reflexis, vt pugnæ sint inutilia.

Pardus benè olet, quo odore ceteræ agrestes ferę inuitatæ, propius accedunt, quas ille inuolat. in Caria & Libya reperiuntur admodum prælongi, animo imbelles, saltu agiles, pelle adeò dura, vt ferro non cedat. in prioribus pedibus quinos habet digitos, posterioribus quaternos. femina frequentior est inuentu. Ex pardorum genere est Bitis, qui si à muliere aspiciatur, eā in morbum adducit.

Pantheris versicolores sunt maculæ, qui color cunctas quadrupedes solicitat, sed oris toruitas deterret. propterea capite ipso occultato pantheræ reliquas feras dulcedine illectas corripiunt. Feruntur habere in armo similem lunę maculam crescentem in orbes, & pari modo curuantem cornua. Pantherarum mares sunt Pardi. Scaurus in ædilitate sua C L. misit, Pomp. Magnus C C C CX. Augustus C C C C X X. Tactis aconito carnibus & gustaris necantur. vnguium mucrones in corporis vaginas recondunt, ne refringantur & hebetentur. solæ animalium odoratæ sunt. earum oculi in vmbris refulgent, hebetantur in sole, & longius, quàm ceteri nitēt. His tantū terroré afferūt Hyenæ, vt ne conentur quidem resistere: quinetiam aliquid de corio earum habentem non appetunt. & si pelles vtriusq; contrariæ suspendantur, aiunt decidere pilos Pantheræ. Pantherarum carnibus viuunt Agriophagi populi. Pantheræ non attingunt perunctos iure gallinarum, præcipuè si & allium fuerit incoctum.

Tygris in India & Hircania reperitur, mirandæ velocitatis animal. maribus non est cura sobolis: feminis verò præcipua. propterea si venator equo insidens catulos eius abstulerit: illa vbi vacuum cubile respicit, prædonem mira celeritate prosequitur. raptor verò audito eius fremitu vnum ex catulis in viam proiicit. quem quum illa refert admodum, prius, quam possit regredi, nauem conscendit prædo. mox reuersa Tygris, vbi nullum vindictæ locum superesse vider, fœuit in litore. Luc. lib. 5. Ocyor, & cæ- flammis, & Tygride feta Transcurrit.

Apud Prasios, Indię populos, reperiuntur Tygres dupli-

ei Leonum magnitudine. tres dentium ordines habere dicũ tur, item aculeos in cauda, quos vt ſagittas iaciunt. Tygrim in cauea manſuefactam primus omnium Romæ oſtendit Auguſtus. Claudius verò quattuor.

Tarandum animal habet Scythia, dorſo & magnitudine tauri, pelle verſicolore, qua Scythæ ſcuta conficiunt, ferro impenetrabilia. Tarandis cornua ſunt ramoſa, vngula, bifida, villus magnitudine vrſorum. colorem omnium arborum, fruticum, & locorum (in quibus latent) reddunt.

Hyena ſexum alternatim mutat, & naturam, nunc mas nunc femina. vim habet ſoporiferam, qua actos in prædam canes enecat. quinetiam ſimulato hominis vomitu eoſdem illectos interficit. collum eius & iuba continuitate ſpinæ porrigitur, flectiq; nisi circumactu totius corporis nequit. ſermonem humanum inter paſtorum ſtabula mentitur, nomenq; alicuius ediſcit, quem euocatum foras lacerat. ſepulcra eruit inquiſitione corporum. Oculis mille ſunt varietates, oculorumq; mutationes. vmbræ eius contactu canes obmuteſcunt. & in veſtigio hæret, quodcunque animal iter luſtrauerit. Ex Hyenæ coitu Leæna parit Crocutam, voces hominum & pecorum imitãtem, cui acies perpetua in vtraque oris parte, nullis gingiuis, dente continuo, qui ne cõtrario occurſu hebetetur, capſarum modo includitur. Crocutas Plinius ait omnia dentibus frangere, protinusq; deuorata ventre conficere. Hyenæ plurimæ gignũtur in Africa. mares ſingulis feminarum gregibus imperitant, grauidas cuſtodiunt, timent enim libidinis æmulos, morſu natos mares caſtrant. grauidæ latebras petunt, & furtim volunt parere, gaudentq; copia libidinis. de Hyena Mantuan. Eſt in eis pietas Crocodili, aſtutia Hyenæ.

Poephagus eſt in India, equi magnitudinem duplo excedens, cauda nigranti & ſpecioſa, mulieribus Indicis ad capitis ornatum expetita. animal alioqui timidiſſimum: nam obuios quosque refugit, præciſa ſponte cauda, ob quam appeti ſe ſuſpicatur.

Monops reperitur in Mæonia magnitudine tauri. fugiés igneum neſcio quid, & acutum excreat; in quod ſi inciderint venatores, tabem incurrunt, qua facilè pereunt.

Hyſtrices aculeatas habent pinnas, quas iaculi modo intorquent. hinc adagium, Spinoſior hyſtrice: in homines agreſtes & inamœnos. Calpurnius Venit & hirſuta ſpinoſior hyſtrice barba. Sunt ex Erinaceorum genere, maioribus tamen aculeis, quibus ora vrgentium canum figunt. hibernis menſibus ſe condunt. partus conceptos hiſtricum cinis potus continet.

Phattaga animal Indicum, ſimile eſt terreſtri Crocodilo, magnitudine Melitei catuli, pelle ſquamoſa & aſpera, quæ etiam ferrum habetatur.

Ortus reperitur circa Erithræum mare, colore vario, magnitudine canis, ore vſque ad genas albicante, inde lineis aureis ad ceruicem pertinentibus, dorſo plano, maculis incurſantibus, aureis pedibus, prioribus albis, poſterioribus nigris, mammis duabus Mnam menſuram implentibus.

Oricentaurus antiquam corporis partem ſimilem habet humanæ, poſticam aſininæ, albo colore, curſu velociſſimo. captus amore libertatis mauult inedia perire, quàm cibum manu raptoris oblatum comeſſe.

Aſpalacũ habet Bœotia, vnde ſi transferatur, ſtatim perit.

Phyrna animal eſt, à quo ſi quis inſpiciatur, dies aliquot maciem contrahet, & pallorem.

Contrà verò Carandrium ſi quis ictericus viciſſim proſpexerit, ſanitatem recipiet.

Neades animalia ſunt in Samo inſula, grandi magnitudine, quorum voce abrumpitur tellus.

Catoblectus ſimilis eſt tauro, terribilis aſpectu, ſuperciliis altis & extantibus, oculis ſanguineis, & minoribus paulò, quàm ſint boum, ſemper in terram aſpicientibus, iuba equina, quam ad certamen erigit. frendens ore aperto haurit aera.

Chaus habet effigiem lupi & pardorum maculas.

Cepphus pedes poſteriores pedibus humanis & cruribus, priores manibus ſimiles.

Rhinoceros vnũ habet in nare cornu. certaturus in Elephantum, cornu ad ſaxa limato præparat ſe pugnæ. in dimicatione aluum eius maximè petit, vt partem molliorem. pareil longitudo, crura multo breuiora, color buxeus.

Leucrocuta fera est pernicissima, asini magnitudine, cruribus ceruinis, collo, cauda & pectore leoninis, capite melium, bisulca vngula, ore ad nares vsque rescisso, osse perpetuo vice dentium. imitatur humanas voces. ea est aut ei similis, quam Crocutam diximus.

Eale fera est magnitudine equi fluuialis, cauda elephanti, colore nigro vel fuluo, maxillis apri, cornibus cubito maioribus, iisdemq; mobilibus, quæ alterna in pugna sistit, variatq; infesta aut obliqua.

Monoceros caput habet cerui, pedes elephanti, caudã apri, mugitum grauem, vno cornu nigro media fronte duorum cubitorum eminente. hæc fera nunquam capitur viua.

Fibri Pontici testes sibi amputant, propter quos intelligunt se à venatoribus vrgeri. hoc animalis genus aliter appellatur Castor, horrendi adeò morsus, vt arbores iuxta flumina perinde ac ferro cædat. hominis parte comprehensa, non prius morsu resoluit, quàm fracta cõcrepuerint ossa.

Tragelaphus nascitur iuxta Phasim, fluuium Colchorũ, specie cerui, barba tantùm & armorum villo distans.

Chameleontem habet Africa, sed frequentiorem India. crura eius recta sunt. latera ventri iunguntur vt piscibus, & spina simili modo rostrum habet suillo non multùm dissimile; caudam prælongam, quæ in tenuitatem desinit, viperinis orbibus se implicans; ungues aduncos; motus et tardus, vt testudini; corpus asperum, vt Crocodilo. oculi in recessu cauo, tenui discrimine, prægrandes & concolores corpori, qui nunquam operiuntur. nec pupillæ motu, sed totius oculi versatione circumaspiciunt. celsus est & hianti semper ore. solus animalium nullo alio, quàm aeris alimento nutritur. colorem mutat oculis, cauda & toto corpore, redditq; semper quencunq; proximè attigit, præter rubrum, & candidum. hinc adagium, Chameleonte mutabilior: in uersipelles & varios homines. Ceterùm defuncto pallor est, sanguis in corde & circa oculos tantùm. viscera eius sunt sine splene, latet hibernis mensibus.

Thoes animal est de genere luporum, venatu viuens, innocuum homini, habitum, non colorem mutans, hieme hirtum, æstate nudum.

Pontici mures gustu sunt sagacissimo. conduntur hieme, vt alpini, quibus magnitudo media est. pabulum in specus conuehunt. fascem herbæ mas & femina supini caudã mordicus apprehensã detrahunt ad specum. ideoq; illo tempore detrito sunt dorso. residunt in clunes, binis pedibus gradiuntur, prioribus vt manibus vtuntur.

Erinacei cibos hiemi præparant, arbores conscendunt, è quibus excutiunt poma, quæ demum volutati suis infigunt spinis, portantq; ad cauas arbores. mutationem Aquilonis in Austrum, condentes se in cubile, præsagiunt. ubi sensere uenantem, conuoluuntur in formam pilæ, ne quid comprehendi possit præter aculeos. in desperatione uerò, urinam ex se reddunt tabificam, tergori suo, spinisq; noxiã, propter quod se appeti sentiunt. urina exinanita præcipua est dos tergoris: si uerò tergus ipsum ea fuerit aspersum, spinæ fiunt putres & deciduæ. propterea nunquam nisi in extrema spe maleficio illo se perfundit. calidæ aquæ aspersu resoluitur pila, in quam se conuoluerunt. apprehensi altero è posterioribus pede suspendio & fame necantur. si interficerentur aliter, tergori noceretur. eorum cute expoliuntur uestes. nulli reperiuntur in Creta.

Leontophonus animal est odiosum leoni, à quo quum rapitur & exanimatur, urinam spargit ipsi leoni exitialem. reperiuntur iisdem in locis, quibus leones.

Meles sufflata cute distentę, ictus hominum & morsus canum arcent.

Scyuri tempestatem præuident, obturatisq; (qua spiraturus est uentus) cauernis, ex alia parte fores aperiunt. caudam habent uillosam pro tegumento.

Muribus magna est dulcedo furandi. uaria sunt eorum genera in Cyrenaica regione. alii lata fronte, alii pungentibus pilis ex Erinaceorum genere. ex Gyaro insula incolas aliquando fugauerunt, ferrumq; postea roserunt. conduntur hieme Murium cinis cum melle instillatus, aut cum roso aceo decoctus, aurium dolores sedat.

Glires genitores senio confectos alunt insigni pietate. senium finitur hiberna quiete. conditi enim hi cubant, rursus æstate iuuenescunt. hiemem integram dormiunt.

Mar. lib. 5. Somniculoſos ille porrigit glires. Apud eundem hoc animal ſic inducitur loquens: Tota mihi dormitur hiems, & pinguior illo Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit.

Muſtellarum tria ſunt genera, Gales, Ictis, Meles. teſticuli muſtellæ mulieri alligati partus continent. Hoc animal infeſtum eſt ſerpenti, cui congreditur commanducata ruta, quam ſcit eſſe ipſi ſerpenti infenſam, & exitialem. colitur à Thebanis. timidiſſima eſt muſtella. gaudet latebris. Melim (de quo iam ſumus locuti) foinam uel foinum dicimus. Calétius: Et laqueo uulpes, & decipe caſſe foinas.

Feles antiquitus nó erant mãſuefactæ. uiuebant in agris, inde urbes & domos repleuere. in genere felium mas ſalaciſſimus eſt, femina amantiſſima fetuum. tetro odore offenduntur, ideò excrementa ſua terra operiunt, ne ab homine præmantur, aut ne prodantur odore. noctu uident non minus, quàm interdiu. inſidiantur muribus. uocantur à nobis Cati, & Catæ. Mantuanus in Buc. Sicú; repugnabant uotis contraria uota, Non ſecus ac muri Catus: ille inuadere pernam Nititur, hic rimas oculis obſeruat acutis. Idem in Nicolao Tolentino feles uocat tectiuagos, ubi ait: Putes ululare lupos, grunnire ſagaces Vulpeculas, grunnire ſues, certare canendo Tectiuagos feles. Viuunt ſex annos.

Mus araneus eſt muris magnitudine, muſtellina ſpecie, ore oblongo, cauda gracili, ordine dentium quadruplici, frequens in Britannia. Græci Mygalem uocant.

Salamandra habet ſpeciem lacerti. nunquam prouenit niſi magnis imbribus à ſerenitate deficiens. ignem tactu extinguit ueneni ſui frigiditate. nihil gignit. nullus eſt in hoc animali ſexus, teſte Plinio. Si arbori irrepſerit, omnia poma inficit ueneno, & eos, qui ederint, necat, frigida ui nihil aconito diſtans. Saliua eius in quacunque corporis parte reſperſa omnem toto corpore decutit pilum. hoc eius uenenum extinguitur, ab iis, qui ueſcuntur illa. Ranarum marinarum ex aceto & uino decoctarum ſuccus bibitur contra Salamandras.

ANIMA-

REmum in primis & Romulum ferunt à Lupa nutritos fuiſſe, quos Amulius auus perdendos expoſuerat Prop. lib. 2. -tucriminis auctor Nutritus duro Romule lacte lupæ.

Ferunt & Iouem educatum fuiſſe à Capra, à cuius nomine dictus eſt Ægiocus. Politianus in Nutricia: -ſi quidem Cretæa ferè in Ida Capra Ioué puerũ fidis aluiſſe papillis.

Polyphemus Cyclops nutritus eſt à Lupa. Syllius li. 14. Æneo Polyphemus erat nutritus in antro. Atq; inde antiquæ nomẽ feritatis amabat Vbera præbuerat paruo lupa.

Cyrus (qui poſtea rex fuit Perſarum) Aſtyagis aui mandato expoſitus, nutritus eſt à Cane. Sid. Non Cyrũ Aſtyagis loquor nepotem, Nutritum vbere quem ferunt canino.

Telephus Herculis filius ex Auge nympha repertus eſt inter frutices, quum adhuc eſſet infans, Cerua paſtum ſuppeditante. Ouid. in Ibin: Nec leuius doleas, quàm qui bibit vbera ceruæ.

Philonomia Victimi & Arcadiæ filia paſtoris cuiusdam concubitu prægnans facta, quum gemellos Paraſium & Lycaſtum peperiſſet, metu patris ambos abiecit in Erymanthum: ubi in concauâ quercum delati Lupum repererunt, quæ abiectis propriis catulis eoſdem lactauit. Plutarchus.

Plato quum tener adhuc infans dormiret in cunis, Apes non paruam mellis copiam dormientis labellis inſtillare viſæ ſunt. qua in re conſulti prodigiorum interpretes, futurum prædixerunt, vt aliquando ex eius lingua melle dulciori flueret oratio. Plutarc.

Midæ Phrygio (quum puer eſſet) dormienti Formicæ in os tritici grana congeſſerunt quod ex haruſpicum reſponſo portendebat eum mortalium fore ditiſſimum. Cic. lib. 1. de Diu.

Peliam, Neptuni & Tyrus filium nutriuit Equa.

Alexandro Priami filio (cui poſtea Paridi fuit nomen) alimentum ſuggeſſit Vrſa.

Aegiſthum, Thyeſtis & Pelopiæ filium, educauit Capra,

à qua & nomen sumpsit.

Derceto, Semiramis mater, speciosi adolescentis coitu prægnans facta, dum opprobrium timeret, natam mox puellam in deserta exposuit silua, volucrosa quidem & referra multis auibus, quæ Semiramidem ipsam nutriuerunt dato ex re nomine. Syrorum enim lingua Semiramis auitium signat.

Camillam reginam Volscorum armentalis Equæ mammis & lacte ferino nutriuit pater Metabus, auctore Virgilio.

Penelope ab Icaro & Peribœa parentibus in mare proiecta, a Penelopibus auibus nutrimentum suscepit, atq; etiam nomen, quum prius Arnea diceretur.

Habidem Hispaniæ regem Feræ, Canes, Sues, & cetera incredibili pauerunt humanitate.

In ore Stesichori infâtis cecinit Luscinia. Plin. l. 10. c. 29.

Pythagoras Vrsam omnibus formidolosam & conspectam feritate, apud se demulctam & exarmatam aluit, quam dimissurus, verbis nescio quibus, & quodam velut iureiurando adegit, vt nulli cunctarum animalium faceret iniurium. Abiens illa se coniecit in latebras siluarum, summaque fide præstitit, in quod adiurata recesserat. Idem boui segetes abrodenti quum verba quædam magica in aurem sussiasset, eumque mouisset, vt inferendo agricolis damno parceret, aiunt obedientissimum bouem à lacerandis frugibus destitisse. Credat qui volet: hoc tamen prodit Cœlius ex veterum monumentis.

Agrippina, coniux Claudii Cæsaris, Turdum habuit, imitantem sermones hominum, ætate Plinij.

Habebant & Cæsares iuuenes Sturnũ & Luscinias Græco Latinoq; sermone dociles.

Fuit & Coruus Romæ, qui sermoni assuefactus, omnibus matutinis in rostra & forum deuolans Tiberium, Germanicum, & Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntem populum R. salutabat.

Cecina Volat. equestris ordinis comprehensas Hirundines victoriæ nuntias amicis mittebat cum litteris, quas earum pedibus ferendas alligabat.

Columbæ epistolas pedibus annexas, obsidione Mutinẽsi in castra consulum pertulere, Decio Bruto mittente.

Tygrim Romæ ostendit in cauea mansuefactam diuus Augustus.

Tyrrheo pecoris magistro Ceruus fuit mansuefactus, & quem Siluia puella pectebat ornabatq; violis. Virg. lib. 7. Æn. -soror omni Siluia cura Mollibus intexens ornabat cornua setis, Pectebatq; ferum, puroque in fonte lauabat. Ille manum patiens, mensæq; assuetus herili Errabat siluis, rursusq; ad limina nota Ipse domum sera quamuis se nocte ferebat. Ouid. lib. 10. idem ait de Ceruo Cyparissi his verbis: Gratus erat Cyparisse tibi, tu pabula ceruum Ad noua, &c.

Apes innocuæ sederunt in ore Ambrosij infantis.

Aues Basilio episcopo in heremo pabulum ministrarunt.

Corbiniani episcopi Romã euntis quũ Vrsus Asinum deuorasset, deuorati loco, sarcinã vectauit imperãte præsule.

Seuerus abbas Passerem habuit manibus suis intrepidè ad uolantem, porrectum capientem cibum.

Laxatus a spelunca Leo famelicus in Darium martyrem, non solùm non ei nocuit, at etiam ab aliis feris eum tutatus est, sub imperatore Numeriano.

Didimus abbas, & Anachoreta Colubros & Serpentes in nocuos pedibus conculcabant.

Erasmo Capano episcopo (qui Diocletiano imperãte floruit) inter vastas nemorũ solitudines Coruus pastũ attulit.

Eadimundi Anglorum regis & martyris abscissum caput, lupus alioqui sæuissimus intactum seruauit & illæsum.

Euticyus Vrsum habuit sibi obsequiosum, & obedientem.

Mandato Eustorgii Mediolanensis episcopi Lupus iugo se submisit, & currum traxit, quo tria Magorum corpora aduehebantur in Italiam. prius enim comederat duo iumẽta, quibus currus ipse voluebatur.

Hadrianus imper. geminos Leones inusitata feritate horribiles & diuturna frendentes inedia, ad concerpendum raptim Eleutherium episcopum laxari imperauit. qui tamen non solùm non nocuerunt sancto, at pedibus eius aduoluti innocua reclinauerunt capita.

Egidio Athenienſi in deserta solitudine degenti, Coruus

ministerium præbuit & alimentum.

Paulo primo Anachoretæ solitariam in latebris ferarum vitam agenti, Coruus quotidie dimidiatum panem afferebat. quum autem eò venisset Antonius, vt Paulum ipsum videret, coruus integrum attulit panem, & propter nouum hospitem cibum duplicauit.

Paulus Leonensis Draconem mansuefecit.

Philippus apostolus Draconi imperauit, vt innocuus abiret i latebras. quod & fecit Draco, nemini prorsus iniurius.

Heraclides philosophus Draconem habuit mansuefactum, euntiq; & quiescenti solitum adesse & assistere velut comitem.

Siluestres aues relicto nemore, intrepidæ aduolabant ad Maxentium abbatem Pictauensem, eius manu tritici grana, & frustula panis rostro decerpentes.

Sindrigal, Lituaniæ princeps post Vitoldum, Vrsam habuit, quæ omnibus matutinis relicto nemore domum eius accedens, fores pedibus percutiebat, apertoq; ostio porrectum capiebat cibum.

Thoas Achaicus Draconem domi diu fouit. considerás demum quàm periculosum esset serpentem alere, ipsum in solitudines procul tulit, atq; ibidem reliquit. quo facto rediens, quum incidisset in latrones, & instantis periculi metu acclamasset, audita hominis voce, aduolauit Draco, & aduersum vim latronum suppetias attulit.

Ferunt Aiaci Locrensi mansuetum Serpentem fuisse, quo eum bibebat, & versabatur.

Sertorius Ceruam habuit, quam in expeditionibus suis habebat semper comitem, fingens Dianæ esse numen, à quo res gerendas auspicaretur.

Porus (quem Alexander debellauit) habuit Elephantum, qui rectore iubente procumbebat in genua, & se submittebat. Curtius.

Helyas propheta cibum accepit à Coruo in torrente, cui nomen Carith.

Helenus abbas fatigatus sarcina (quam ferebat) Onagrum iussit accedere, & dorsum oneri submittere. paruit fera. & quàm longè sancto placuit, onus ipsum peruexit.

Idem à reperto Crocodilo flumen præteruectus est, quum neq; pons adesset, nec appareret portitor.

Liberalis episcopus (qui sub Hadriano passus est) post varia tormenta, famelico Leoni deuotus, fera ad eius pedes innocua procumbente, illæsus permansit.

Diuersæ quoq; & horrendæ feritatis belluæ laxatæ sunt ad deuorandum Manmetem martyrem, quæ tamen sæuitiæ prioris immemores, ad eius pedes exarmatæ se prouoluerunt.

Habuit Macarius confessor in desertis nemorum locis vicinam cellæ suæ Leænam, cuius catulis cæcis quum restituisset visum, fera obsequii memor, eidem pelles ouium, & pecudum (quas venabatur) afferabat.

Zozimo abbati paruit agrestis Leo.

Hanno Carthaginiēsis primus omniū Leonē māsuefecit.

Merthes, rex Ægypti, Cornicem habuit adeò cicurem & mansuefactam, vt quoquo iussisset ille, epistolas deferret; non ignorans quò transuolandum esset, aut vbi considendum.

Cœlius prodit Cynocephalos in Ægypto litterarum ductus perdidicisse & saltationum gesticulosos motus.

Plinius scribit, Pantheram patri cuiusdam Philenis, assectatoris sapientiæ, blanditam fuisse, vt delapsos in foueam catulos extraheret ille.

Niciæ venatori in foueam lapso Canes multis latratibus dolorem testati, subsidium ferre voluerunt, eumq; apprehensa mordicus veste illinc extraxere.

Mentor Syracusanus Leonem in Syria repertum, quum expauesceret, timenti protinus sese opposuit fera, eiusque vestigia cœpit lambere, similis adulanti, donec ille ex pede Leonis (in quo tumorem & vulnus animaduerterat) sur culum ingentem extraxerit, ipsumq; Leonem liberauerit cruciatu.

Helpis Samius viso in Africa Leone pauidus arborem cō scendit. tum Leo ad arborem procumbens hiatu miserationem quærebat: habebat enim ingentem spinam pedi infixā, quam quum reuelliisset Helpis, gratiam retulit, fera venatus aggerendo.

Christina virgo Viperis & aspidibus (quarum simulacra excitabat nescio quis magus) deuota, euasit incolumis, & illæsa.

Vrsus laxatus fouea ad inferendam mortem Cerbonio episcopo, relicta feritate eundem cœpit amplecti, & circum lambere.

Eodem modo laxatus in Donatillam virginem Vrsus posita feritate ad eius pedes mansuetus decubuit.

Expositus famelicis Leonibus in prædâ Daniel propheta euasit incolumis.

Pontianus matyr (qui passus est sub imperatore Antonio) geminos Leones in suam mortem laxatos exarmauit.

Vrsi laxati ad interficiendum Pontium episcopum, decubuerunt ad eius pedes innocui.

Reperiuntur, & alii sancti feris & belluis expositi, qui tamen mortem illam effuserunt, vt Andronicus Ephesius, Albanus, Blandina virgo, Basilides, Benignus presbyter, Thecla, Dorotheus, Quiriacus, Prisca, Pontanus, Probus, Taracus, Flocellus, Germanicus, Venantius, Marinus, Martina virgo, Mymas, Magnus martyr, Mammes, Theodosia.

Androdus à domino Africam prouinciam administrante quotidianis verberibus ad fugam coactus, secessit in deserta Libyæ: vbi cùm obuio Leoni ad genua sua prouoluto ingentem stirpem è cruento pede reuellisset, conceptamq; sanie vulnere intimo expressisset, ferunt bestiam in hostimentum beneficii Androdo aliquot post annis comitem adhæsisse, & opimiores (quas venaretur) carnes præparasse. Pertæsus demum vitæ illius ferinæ Androdus, quum reliquisset antrum, fato inauspicato comprehensus est à domini satellitibus, ferisq; adiudicatis. vbi idem Leo (qui in venatu captus fuerat) agnitum medicum ab iniuria reliquarum bestiarum tutatus est. petentibus propterea cunctis (qui aderant) pœna solutus est Androdus, eiq; populi suffragio donatus Leo. quem quum tenui loro reinctum compitatim per vrbem traheret, sequentes cum plausu dixisse feruntur, Hic est leo hospes hominis, Hic est homo medicus leonis.

VERMES DIVERSI.

CAmpe genus est vermis, arboribus & herbis hortésibus infestissimum. Col. lib. 11. Nec solũ teneras audent erodere frondes Implicitus conchæ Lymax, hirsutaq; Campe.

Cantharides vermiculi sunt virides aureis sparsi maculis, quorum succus instar est veneni. Ouid. in Ibin: Cantharidem succos dante parente bibas. Hinc adagium natum, Myia cantharis: de homunculo abiectissimo.

Centipeda, vermis est pilosus, multis pedibus arcuatim repens. Est & Chrysalis genus vermis.

Conuoluolus vermis eruca minor, rodit pubescétes vuas.

Eruca vermis tenaciter hæret, repit in olerum folia, & abrodit, præsertim brassicas. oliuam arborem turpi facie depastam relinquit. nascitur tempore humido & lento.

Galba vermiculus est exilis, qui nascitur in æsculis.

Cnips vermiculus eroso ligno semper locum mutare nititur. hinc adagium, Cnips in loco stare non potest: in hominibus inconstantes.

Est & inter materiarũ pestes Teredo vermis dictus, quòd dentibus terat & erodat.

Ceraste vermis, vbi tantum erosit, quantum ad corporis volutationem satis est, generat alium.

Ips cornua & vites rodit, vt Cips frumenta, Trips ligna Sis vestes, Is vitra, Midas fabam.

Lãpyris noctu lucet, latinè vocat Noctiluca seu Nitedula.

Bombyx aranearum instar fila ducit tenuissima, quibus pretiosæ admodum vestes fiunt, quæ vocantur Bombycinæ. aliter vocatur Bombylius, & Necydalus.

Lytta vermiculus nascitur in lingua canum, qui si catulis eximatur, nec rabidi fiunt, nec fastidium sentiunt.

Melolantha genus est scarabei, colore viridi nascens.

Millepeda nomen sumpsit à pedum multitudine.

Mylochos est de genere blattarum, nascitur circa molas.

Onystus multipes est, fusci coloris, sub lapidibus viuens aut figulinis vasis. tactus arcuat sese, & in formam pilæ contrahit. aliter dicitur Tylus. is est, qui aliter Multipeda vocatur.

Pytocãpæ venenato sunt morsu. nascunt in pinu arbore.

Pyrausta vermis est de specie araneorũ, fauis pernicios⁹. volitat ad lucernas tantisper dũ combustis alis pereat. hinc adagium, Pyraustæ gaudere gaudium: de momentanea & breui lætitia.

Sanguisuga vermis est aquatilis, cruoris appetens. aliter vocatur Hirudo. Horatius in arte: Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.

Crabrones ex putridis equorum carnibus enascuntur.

Solifuga genus est formicæ venenatæ, lucem refugiens. vnde inditum nomen. huic contrariũ est cor vespertilonis.

Tarmes vermiculus carnem exedit. Vitruuius lib. 2. de Architectura: Sed ea quòd habet in se plus caloris, procreat & alit tarmitem, ab eoq; vitiatur.

Tinea libros & vestes abrodit. Hor. lib. 1. Epist. Aut tineas pasces taciturnus inertes.

Tipula sex habet pedes. tantæ leuitatis esse dicitur, vt sit per aquam currens non desidat. Plautus: Neque Tipulæ pódus leuius est, quàm fides lenonia.

Voluox vermiculus est prærodens pubescentes vuas. aliter appellatur Conuoluolus.

Brucus vermiculus est volitans, sed sine alis, qui herbas erodit.

Xylophagus albus est & obæsus, nigro capite. nascitur in carie lignorum, quæ corrodit. hunc in Ponto & Phrygia comedisse, luxuria est.

Tenebras amant Blattæ, vitam lucemq; fugiunt, in balneis maximè humido vapore prognatæ. Virg. l. 4. Georg. Lucifugis congesta cubilia blattis.

Rutuli aridam terram fodiunt, fauosq; in modum spongiæ fistulosæ medicato melle conficiunt.

Araneus vermis est lanuginosus, & serpentis in modum repens, quo dissecto inueniri dicũtur intus vermiculi duo, qui adalligati mulieribus ceruina pelle ante solis ortum, præstant ne concipiant. flores arborum populatur, & ita quandoq; abrodit, vt sterilescant.

Bupresti similis est scarabeo. fallit inter herbas bouem, vnde meruit nomen; deuoratusq; tacto felle ita inflammat,

vt rumpat.

Cantharolethrus brachia habet, & in cauda spiculum.

Asilus aculeum habet in ore. latiusculis quibusdam bestiolis (quæ in fluuiis supernatant) enascitur, frequens proterea iuxta aquas.

Oestrum aliter, seu Oestrus appellatur. de hoc Virg. li. 3. Geor. Est lucos Silari circa, ilicibusq; virentem Plurimus alburnum volitans, cui nomen Asilo, Romaũ est, (Oestrũ Graii vertere vocantes) Asper, acerba sonans, quo tota exterrita siluis Diffugiunt armenta, furit mugitibus æther Concussus. Asilum quidam Tabanum vocant, alii diuersum faciunt. Tabanus autem nascitur ex ligno, in quo plurimus est humor.

Chrysalis vermiculus duro cortice mouetur ad tactum aranei.

Cicidelæ vespere lucẽt per aruã, Græci Lãpyrides vocãt.

Cossi gignuntur ex ligno. his veteres in cibo vsi sunt.

Gurgulio vermis est frumenti vel fabæ. Virg. libro 1. Georg. -populantq; ingentem farris aceruum Gurgulio, æque inopi metuens formica senectæ.

Papiliones vermes sunt, ex quorum stercore enascuntur Tineæ. lucernarum luminibus aduolant. his contrarium est cecur caprinum. ceras depascuntur, & relinquunt excrementa, quibus Teredines gignuntur. eorum aduentus vestis initium indicat.

Petauri generantur sordibus aridi soli.

Rauæ uermes nascuntur in radice quercus.

Phalangium simile est formicę, sed maius tamen, ruffo capite, reliqua parte corporis nigra, albi intercursantibus respersum guttis. acerbius pungit, quàm uespa. uiuit circa turnos & molas. ab eo percussis si alterum eius generis ostendatur, remedium affert.

Ricini uermiculi sunt, quibus infestantur canes.

Rhagio similis est nigro acino, ore minimo, sub aluum breuissimis pedibus, tanquam imperfectis. quos momordit, eodem afficit dolore, quo Scorpius.

Asiortion uermis est, cuius morsu genua labefactantur.

Myrmecion caput habet simile formicæ, aluum nigram

guttis albis distinctam. eodem torquet dolore, quo ue spæ.

Triphæ similes sunt cullicibus. Sunt & alia pleraq; nomina, ut Cymex, Collotus, Gryllus, Hepacótinus.

SCVLTORES, CÆLATORES, Statuarii, & Marmorarii.

ALchimedon nomen est cælatoris & vascularii apud Virgilium dicentem: -pocula ponam Fagina, cælatum diuini opus Alchimedontis.

Alcon nomen est argentarii, qui Æneæ pateram cælauit. Plinius scribit proximos à Mētore fuisse Bœtum & Agraganta. de Alcone & Bœto Virgilius in Cul.-nec pocula gratum Alconis referunt Bœtiq; toreuma.

Eurycion nomen est fabri argentarii apud Virg. lib. 10. Quæ bonus Eurycion multo cælauerat auro.

Polycletus statuarius fuit, Ageladis discipulus, qui quantū reliquos superauit in forma hominum ad ueritatem effigiandam, tantum abfuit ab auctoritate reddenda formæ nitimum, quod Phidiæ & Alcameni datum est. signa fecit ex ære nobilitata scriptorum præconio, vt Astragalizontes, id est, talis ludentes. de eo & aliis Mart. lib. 8. Quis labor in Phiala docti Myos? an ne Myronis? Mentoris an manus est, an Polyclete tua?

De Euphranore Fabius lib. 12. sic ait: Euphranorem admirandum facit, quòd & ceteris optimis studiis inter præcipuos, & pingendi fingendiq; idem mirus artifex fuit. Iuuen. Sat. 3. Hic aliquid præclarū Euphranoris, & Polycleti.

Mentor primus claruit argento cælando, qua in re magnam promeruit laudem. testimonium laudis ei perhibuit Capitolinus Iupiter, & Ephesia Diana, quibus consecrata fuerunt artis eius uasa. Iuu. Sat. 8. Multus ubique labor, raræ sine Mentore mensæ.

Phidias sculptor Athenienſis claruit minoribus simulacris sculpendis. idem fecit statuam Mineruæ ex auro & ebore amplitudinis XXVI. cubitorum: in cuius scuto cælauit prælium Amazonum & Gigantomachiam, in soleis pugnam Lapytharum, & Centaurorum. Plinius eum vocat

artificem nunquam satis laudatum. Fabius: Phidias (inquit) diis, quàm hominibus efficiendis melior. In ebore verò longè citra æmulum, vel si nihil nisi Mineruam Athenis, aut Olympium in Elide Iouem fecisset. Mart. lib. 3. Artis Phidiacæ toreuma clarū, Pisces aspicis, adde aquā, natabūt.

Inter omnium opera præcipuam laudem meruerunt Tabula Aristitis Thebani pictoris, quam centum talentis licitatus est rex Attalus. Medea & Aiax Timomachi, quas tabulas Cęsar dictator emit talentis octoginta. Candaules rex Heraclidarum Bularchi picturam, in qua erat Magnetum prælium, pari rependit auro. Rhodiis pepercit rex Demetrius, ne Protogenis tabulam cremaret. Vesanus amor pueri Gnydiam Venerem maxime nobilitauit. Immortale nomen peperit Phidiæ Iupiter Olimpius, vt Mentori Capitolinus & Diana Ephesia. Dyadumenus molliter iuuenis Polycleti centum talentis nobilitatus. Cycliæ tabulam Argonautas talētis CXLIV. mercatus est Hortensius orator. Nicias Athenienſis pictam Homeri necromantiam vendere voluit Attalo regi talentis XL. Zeusis pinxit Archigallū, quam picturam LX. sestertiis æstimatam Tiberius princeps cubiculo suo inclusit.

Myro statuarius fuit numerosior in arte, quàm Polycletus. vtebatur ære Deliaco. Ageladis fuit discipulus. hunc maximè nobilitauit Bucula celebratis versibus. fecit & Canem & Discobolon & Persea & Pristes, & Satyrum admirantem tibias, & Mineruam, & Delphicos pentathlos Pancratiastas; item Herculem, Cicadæ monumentum, & Locustæ, & Apollinem. Ipse tamen corporum tenus curiosus, animi sensus non expressit. Iuu. Sat. 8. Et cum Parrhasij tabulis signisq; Myronis.

Lysippus Sicyonius adeò claruit sculptura, vt ab eo solo fingi voluerit Alexander, quemadmodum pingi à solo Apelle. Horatius: Edicto cauit, ne quis se præter Apellem Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra. Hunc Plinius ait fecisse ad 610. opera.

Arcesilas sculptor fecit simulacrum Dianæ, in quo Simonides lusit epigramma.

Callimachus sculpturam in tenuiorem, exquisitioremq;

disciplinam reduxit. nam ipse prius lapidem perforauit, minutatimq; tractauit.

Diopœnus, & Scybis Cretensis, Sicyonem se contulere, vbi fuit quondam præcipua omnium metallorum officina, ibiq; sculpendo marmori primi claruerunt.

Epitherses discipulus fuit Lysippi.

Praxiteles marmore nobilitatus est, duplicique; Venere, Coa & Gnydia, sed Gnydia præcipuè, cui ob elegantem formam noctu congressus est puer, relictis maculis tantæ libidinis indicibus. Quinctianus: -cedat Praxiteles, cuius muliebris imago procacem Impulit ad coitum iuuenem. Sunt tamen qui hoc dicant de alio simulacro. scripsit quinque volumina nobilium operum in toto orbe. speculum argenteum primus fecit.

Theodorus, & Teladeus fratres, Samij, Rœci filij, sculptores celeberrimi fuerunt, quorum Teladeus Pythij Apollinis signum in Samo incepit, Theodorus Ephesi alio saxo absoluit: quibus simul compositis, ita cohæsit & conuenit, vt ab vnico artifice & eodem lapide factum videretur. fuit etiam Theodorus nobilis architectus, qui suasit vt carbones subiicerentur fundamentis templi Dianæ Ephesiæ. idem primus ferrum fundere docuit, & ex eo statuam fecit ferream.

Timotheus sculptor vnus fuit eorum, qui Mausolæum Arthemisiæ cælauerunt.

Calamis cælator fuit, cuius manu cælata duo pocula Germanicus Cæsar donauit Cassio Syllano. fecit & Apollinem positum in hortis Seruilianis.

Scopas cælauit Mausolæum cum Bryaxi, Timotheo, & Leocare. ab oriente cælauit Scopas, à Septentrione Bryax, à meridie Timotheus, ab occasus Leocares.

Pythis in fastigio Mausolæi quadrigiam fecit marmoream altitudine pedum CXL. quæ totum opus inclusit.

Fecit Metestratus Herculem & Ephesi in templo Dianæ Hecaten, tanta marmoris radiatione, vt in eius contemplatione æditui admonerent parcere oculis.

Socrates sculptor fecit Charites i propyleis Atheniēsiū.

Papippus Praxitelis discipulus fecit Zetum, & Amphio-

nem, Dircem & Taurum.

Eutichides Liberum patrem. Timarchides fecit Apollinem canentem cithara.

Philiscus Venerem in Octauiæ porticus, item Latonam, Dianam, Musas nouem, & nudum Apollinem.

Polycles & Dionysius filius Timarchidis Iouem in æde proximæ.

Heliodorus Pana & Olympum luctantes.

Polycharmus Venerem lauantē sese, & Dædalū astantem.

Lysias Quadrigam, currum, Apollinem, & Dianam ex vno lapide.

Amphistratꝰ simulacrū Callisthenis historiarū scriptoris.

Agesander, Polydorus, & Athenodorus, Rhodij, ex vno lapide fecerunt Laocoontem & liberos, draconumq; mirabiles nexus.

Chratherus cum Pithodoro, Polydectes cum Hermodoro, Pythodorus cum Artemone palatinas Cæsarum domos repleuere probatissimis signis.

Diogenes Athenienſis & Carsatides, decorarunt Pantheum Agrippæ.

Arcesilaus fecit Leænam marmoream, quam Varro dixit se habuisse. item aligeros ludentes cum ea Cupidines, quorum alij religatam tenerent, alij è cornu cogerent bibere, alij calcearent soccos, omnes ex vno lapide.

Coponius fecit XIII. nationes, quæ sunt circa Pontum.

Canacus statuarius simulacra fecit marmorea.

Sauros & Bathraces Lacones, fecerunt templa Octauiæ porticibus inclusa.

Myrmecides Quadrigam fecit cum agitatore, quam tegumine alis operuit musca.

Callicrates Formicas, quarum pedes & alia membra uide non poterant.

Mys cælator fuit argentarius. Martialis: Quis labor in Phiala? docti Myos, an ne Myronis?

Pyrgoteles sculptor fuit gemmarius, à quo solo in gemma sculpisse voluit Alexander.

Alcimenē Athenienſem docuit Phidias, sculptorem nobilem, cuius permulta opera Athenienses in sacris ædibus

posuere, præclaramq; Veneris imaginem extra muros, quæ appellatur Aphrodite Exapolis: huic supremam manum imposuit Phidias.

Agoracritum Parium docuit Phidias, quem adeò amauit, vt eius nomini pleraque ex suis operibus donauerit. certauit Agoracritus in Alcmanem de Venere facienda, vicitq; Alcmanes, non opere, sed ciuitatis suffragis contra peregrinum suo fauentis. quare indignatus Agoracritus signum suum vendidit, ea lege, Athenis esset, appellauitq; Nemesim. quod simulacrum positum est in Rhamnunte pago Atticæ, quod M. Varro omnibus signis prætulit.

Antipater Satyrum in phiala grauatum somno collocasse verius, quàm cælasse pictus est. Inter eos, qui in argento cælando claruerunt, sequentes numerantur à Plinio. Mentor, Acrages, Bœus, Mys, Antipater, Stratomicus, Cyzicenus, Taurieus, Aristom, Onichus, Hecateus, Praxiteles, Possidonius, Ephesius, Lædus Stratites, qui prælia & armatos cælauit.

Zopyrus, qui Areopagitas, & iudicium Orestis cælauit in duobus scyphis XII. pondo æstimatis.

Pyrrheas cuius duæ vinciæ viginti venierunt: Vlysses & Diomedes erant in Phialæ emblemate Palladium surripientes. Fecit & iocos in paruulis potoriis.

Habuit & Teucer Crustarius famam.

Zenodorus Mercurij statuam fecit in ciuitate Galliæ Aruernis. item mandato Neronis colossum CX. pedum longitudine dicatum Soli.

Phidiæ æmuli fuere Alcamenes, Critias, Nestocles, Hegleas. deinde Agelades, Callon, Polycletus, Phragmon, Gorgias, Lacor, Mycon, Pythagoras, Scopas Pereli⁹.

Polycletus discipulos habuit Argium, Asopodorum, Alexim, Aristidem, Phrinonem, Dinonem, Athenodorum, Dameam, Clitorum, Myronem, Lycium. Olympiade XCV. floruere Naucydes, Dynomedes, Canachus, Patrocleus.

Olympiade CII. Polycles, Chephisi odorus, Leocares, Epatodorus. Olympiade CIV. Praxiteles, Euphranor. Olympiade CVII. Echion, Thermachus. Olympiade

CXIV. Lysippus, Lysistratus, Sthennis, Euphronides, Sostratus, Ion, Syllanion nullo doctore nobilis factus: qui discipulos habuit Theusim & Iadem. Olympiade CXX. Eutychides, Eutycrates, Lahippus, Cephisiodorus, Timarchus, Pyromachus. Olympiade CLV. Antheus Callistratus.

Pythagoras Rheginus Pancratiastemi Delphis posuit. hunc vicit Leontius, qui fecit Stadiodromon Astylon, qui Olympiæ ostenditur; & Lybim puerum nudum tabellas tenentem & ferentem mala; Syracusis autem claudicantem, cuius vlceris dolorem spectatores videbantur sentire; item Apollinem Citharœdum. primus neruos, & venas, & capillum diligentius expressit.

Pythagoras Samius Pythagoræ Rhegini discipulus fecit signa fortunæ seminuda. Lahippus, Beda, Eutycrates discipuli fuerunt Lysippi. Eutycratis discipulus fuit Thysicrates Sicyonius.

Telephanes Phocæus habitauit in Thessalia, vbi opera eius latuerunt. fecit Larissam, Spirarchum, Pentathlon, & Apollinem.

Aristides Polycleti discipulus fecit quadrigas, & bigas.

Iphicrates Lenam meretricem, quæ Aristogitonem & Harmodium tyrannicidas nullis vnquam tormentis adacta voluit prodere.

Aliorum & Sculptorum & Statuariorum nomina sunt Cresilas, Pericles Olympius, Cephisidorus, Chereas, Cresilaus, Demetrius, Dædalus Dynomenes, Eutychides, Hegias, Butyreus, Lycius Myronis discipulus, Menechmus, Mancerus, Niceratus, Polycles, Pyrrhus, Phœnix Lysippi discipulus, Stypax Cyprius, Syllanion, Theodorus auctor Labyrinthi Samij, Xenocrates Tysicratis discipulus, Arion, Callases, Desias, Cantharus Sicyonius, Dionysiodorus Critiæ discipulus, Deliades, Euphorion, Eunicus Hecateus.

Argenti cælatores Lesbocles, Prodorus, Pythodicus, Polygnotus, Scinus, Apollodorus, Androbolus, Asclepiodorus, Antimachus, Anthenodorus. Alia sunt infinita huiusmodi nomina apud Plinium libro 34.

Attalus rex centum talentis emisse fertur.

Asclepidorum in Symmetria mirabatur Apelles. ei Mnason tyrānus pro x i i. Deis dedit singulos Mnas tricenas.

Idē dedit Theomnesto in singulos heroas Mnas cētenas.

Nicomachus Aristodemi filius, pinxit raptum Proserpinæ; item Vlyssem pileatum, Apollinem, Dianam, Deum matrem leoni insidentem, & nobiles vaccas arreptantibus Satyris, & Scyllam. fuitq; in ea arte omnium velocissimus. discipulos habuit Aristidem fratrem, Aristoclem filium, & Philoxenum Eretrium, qui vltimus pinxit prœlium Alexādri cū Dario; itē Lasciuiā, in qua tres Sileni comesātur.

Nicophanes fuit elegans & concinnus.

Apellis discipulus fuit Perseus.

Aristidi discipuli fuerunt Niceros & Aristippus, qui pinxit Satyrum cum scypho coronatum. Aristippi Antorides & Euphranor.

Pyreicus humilia secutus, humilitatis tamen summam adeptus est gloriam. pinxit tonstrinas, sutrinas, asellos, & obsonia.

Serapion pinxit scenas, & hominem pingere non potuit.

Dionysius nihil præter homines pinxit, vnde & Anthropographus dictus est.

Callicles parua quædam pinxit.

Antiphilus Hesionem, Alexandrum & Philippum cum Minerua, Liberum patrem. Cadmum, Europen, Gryllū.

Arellius floruit Romæ paullò ante Augustum.

Amulius Mineruam, quæ spectantem spectabat, quacunq; aspiceretur.

Post eū īpretio fuere Cornelius Pinus, & Actius Priscus.

Pausias Sicyonius, Brietis filius, discipulus fuit Pamphili, qui primus lacunaria pingere instituit. paruas pingebat tabellas, maxime pueros. pinxit Gliceram coronarum inuentricem (quam amabat) sedentem cum corona.

Euphranor Isthmius fecit Colossos, & Marmora, ac Scyphos sculpsit. scripsit volumina de Symmetria & Coloribus.

Euphranoris coætaneus fuit Cyclias, cuius tabulam Argonautas Hortensius orator mercatus est talentis CXLIV, vt iam diximus.

Antidotus discipulus fuit Euphranoris, fecit Clypeo dimicantem, & Luctatorem, & Tibicinem.

Antidoti discipulus fuit Nicias Atheniensis, qui mulieres diligentissimè pinxit. eius opera multùm probabat Apelles.

Maronites Glaucionis Corinthij discipulus, pinxit Achillem habitu virgineo occultatum Vlysse deprehendente, & alia quædam.

Metrodorus pictor fuit, & philosophus magnæ celebritatis, quem Athenienses miserunt L. Paullo Æmilio, post Perseum deuictum, petenti probatissimum philosophum, ad erudiendos liberos, & pictorē ad triumphū excolendum.

Timomachus Byzantinus pinxit Cæsari dictatori Aiacem & Medeam tabulas L x x x. talentis venundatas. fecit insuper Orestem, Iphigeniam, & quædam alia.

Aristolaus Pausię filius, & discipulus pinxit ædem Apollinis Delphis.

Antiphilus puerum, ignem conflantem, & lanificium, in quo properabant omnium mulierum pensa, Satyrum cum pelle Pantherina, & multa.

Alcimachus pinxit Dioxippum, qui Pancratio vicerat in Olympia.

Ctesilochi opus fuit Iupiter Bacchum parturiens, & ingemiscens muliebriter inter obstetrices & dearū clamorē.

Testidemus fecit Oechaliæ expugnationē, & Laodomiā.

Clesides reginæ Stratonices iniuriam, à quanullo honore fuerat exceptus. pinxit & voluptatem cum piscatore, quem regina dicebatur amare.

Cratinus Comœdus Athenis Pompeium pinxit.

Euchides bigam regis cum victoriam.

Iphis Neptunum & victoriam.

Habron Amicitiam, & Concordiam & deorū simulacra.

Nicearchus Venerem inter Gratias, & Cupidinem; Herculem tristem insaniæ pœnitentia.

Nealces Venerem, Naumachiam Ægyptiorum & Persarum; item Asellum in litore bibentem, & Crocodilum ei insidiantem.

Aliorum nomina sunt Oenias Philiscus, Phalerion, Simonides, Simus, Theodorus, Leontius, Theron, Tau-

riscus, Erigonus, Pasias, Aristonides, Anaxander, Aristobulus, Syrus, Arcesylas, Tisicratis filius, Coribas Nicomachi discipulus, Carmanides Euphranoris, Dionysiodorus Colophonius, Diogenes, Eutymedes, Heraclides Macedo, Mydon Phylomachi statuarij discipulus, Mnasitheus Sicyonius, Mnasidemus, Nessus, Polemon Alexandrinus, Theodorus Samius, Tadius, Xenō Neoclis discipulus.

Mulieres pictrices fuerunt Timarete Mycaonis filia, Irene Cratini pictoris filia & discipula, Aristarete Nearchi filia & discipula, Lala Cizicena, Martia M. Varronis. hæc omnia decerpta sunt ex Plinio, ne quis fortè opinetur me ex aliena opera laudem promereri velle.

PIGMENTA.

INter pigmenta numerantur Minium, Armenium, Cynabaris, Chrysocolla, Indicum, Purpurissum, Synopis, Rubrica, Parethonium, Melinum, Eretria, Auripigmentum, Orcha, Cerussa, Sandaraca, Sandis, Syricum, Atramentum, Appianum.

Colorum nomina sunt Andricelon, Ostreon, Prasinon, Crococides, Cyaneus, Cynabari, Xanthus, Phæus, Phlogoleucus, Leucophæus.

Genera colorum apud Gellium lib. 2. c. 15. sunt Russus, Ruber, Flauus, Fuluus, Rubidus, Phœniceus, Rutilus, Luteus, Spadix, Cæsius.

FABRI, ET ALII ARTIFICES.

EPeus, auctor fuit illius machinæ, qua delitescentes Græci Troiam noctu ceperunt dolu. Virg. lib. 2. Æneid. Et Menalus, & ipse doli fabricator Epeus.

Didymaon, auctor fuit cuiusdam clypei, quem Æneas dedisse fertur Nisо cursori peractis ludis, qui fiebant in Sicilia ad Anchisæ tumulum. Virgil. Et clypeum efferri iussit Didymaonis artes: Hoc iuuenem egregium præstanti munere donat.

Perillus reperit æneum taurum, ad torquendos fontes,

uteo suppositis flammis inclusi, mugitum bouis imitarentur. quod genus tormenti ipse primus expertus est, mandante Phalaride. Prop. lib. 2. Nonne fuit satius duro seruire tyranno, Et gemere in in tauro sepe Perille tuo?

Lycaon Gnosius faber fuit & artifex ensis, quem Ascanius dedit Euryalo. Virg. lib. 9. -humero simul exuit ensem Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon Gnosius, atq; habilem vagina aptarat eburna.

Vulcanum poetæ faciunt fabrum deorum & Iouialium fulminum artificem. Idem Solis currum fecisse fertur. Ouid. lib. 2. Met. -genitor cunctatus ad altos Deducit iuuenem Vulcania munera currus. Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ Curuatura rotæ, radiorum argenteus ordo. Per iuga Chrysoliti, positæq; ex ordine gemmæ, Clara repercusso reddebant lumina Phœbo.

Dædalus, primus in formis animalium (quas veteres plastæ cæcas fingebant & immobiles) oculos induxit, & abditis quibusdam neruis effecit, vt huc & illuc mouerentur adeò scitè, vt spectantibus viuere, & ingredi viderentur. idem ligneam Venerem fabricasse dicitur, quæ argento viuo infuso moueretur. fecit insuper Cretæ labyrinthum, quo inclusus, alis sibi & nato confictis, per viam mortalibus negatam periculum effugit. hinc opera Dædala vocantur ingeniosa. de eius Labyrintho Ouid. lib. 8. Dædalus ingenio fabræ celebrrimus artis Ponit opus, &c.

Mamurius, faber ærarius fabricauit Saliorum Ancylia, qui propterea nomen eius solebant canere suis carminibus. Vertumnus apud Prop. libro 4. simulacrum suum à Mamurio ex ære formatum dicit: ideoq; præcatur, vt eius cineri terra sit leuissima. hæc autem Vertumni verba: Stipes acerbus eram properanti falce dolatus Ante Numā grata pauper in vrbe deus. At tibi Mamuri formæ cælator ahenæ, Tellus artifices ne terat Osca manus. Qui me tam docilis potuisti fundere in vsus, Vnum opus est, operi non datur vnus honos.

Phereclus, abietarius faber, Paridis ad Helenæ raptum nauigaturi naues fecisse dicitur. hinc nauis Phereclæa dici solet. Ouid. in Epist. Paridis: Hac duce Sigæo dubius à li-

tore feci, Longa Phereclæa per freta puppe vias.

Callicrates fuit minutorum opusculorum fabricator, qui muscam fecit alis quadrigam cum agitatore tegentem. fabricauit & nauem, quam auicula pennis integebat.

Myrmecides fecit formicas tam tenues, vt vix membra videri possent.

Eligius, Nouionẽsis episcop. artem aurificum exercuit, in qua quidquid lucri faciebat, erogabat pauperibus.

Ferunt Harmonidem, Troianum fabrum fuisse vnum ex eorũ numero, qui Paridis Spartam ituri naues fabricauerũt.

Aceſæus, natione Patarensis, & Helicon Caryſtius, duo fuerunt celebratæ artis artifices. qui Peplum Palladis Poliadis (quæ in arce Athenienſium colebatur) contexerunt. hinc adagium natum, Aceſæi & Heliconis opera: de his, quæ ſingulari fiunt artificio.

Glaucus, Samius primus æris ferruminationem inuenit.

Sothericus, faber fuit lignarius, cuius opera priſcam illam & rudem ſimplicitatem præ ſe ferebant: hinc natũ prouerbium, Sotherici lecti: de re vili, & minimè ambitioſa.

Elico, faber fuit, qui, auctore Plinio, ob artem fabrilem Romæ commoratus eſt.

Artemon, faber fuit loripes, auctore Plutarcho in Pericle.

Staſicrates, fuit artifex Alexãdro Macedoni gratiſſimus, qui dicebat Thraciæ montem Athon in hominis ſtatuam formari exculpiq; poſſe.

Vatinius Beneuentanus fuit artifex Calicum vitreorum. hinc Vatinia vocantur vaſa vitrea. Mart. lib. 10. Vatiniorũ proxineta fractorum. Idem in diſtichis: Vilia ſutoris Calices monumenta Vatini Accipe. Is fuit diſtorti corporis, Sutrinæ alumnus, ediditq; munus gladiatorium Beneuenti. Corn. Tacitus.

Myron, artifex nobilis buculam fecit æneam, Græcis primùm, deinde Auſonianis verſibus celebratam. Prop. Aque aram circum ſteterant armenta Myronis, Quattuor artificis viuida ſigna boues.

Architas, faber ſimulacrum Columbæ fecit ex ligno, libramentis ita ſuſpenſum & aura ſpiritus incluſa atque occulta concitum, vt ipſum volaret, auctor Gell. lib. 10. c. 12.

Telephanes, faber fuit lignarius, victum ſibi quæritans in factitandis curribus, quem tamen poſtea felix fortuna ad Lydorum regnum euexit.

Diphilus, Architectus fuit tardiſſimus in perducendi s ad finem ſuſceptis operibus. unde factus adagio locus, Diphilo tardior.

Tericles, Calices torno faciebat ex Terebintho. Plinius.

ARCHITECTI NOBILES.

Democrates, Alexandriam metatus eſt.

Spintharus, Corinthius Delphicum templum conſtruxit.

Cteſiphon templum Dianæ Epheſiæ, vbi ſimulacrum ipſius deæ vitigineum fuerat. Plin. Operi, inquit, præfuit. Cteſiphon architectus.

Meleagenes, fanum Mineruæ Prienenſis.

Theodorus Phocenſis fecit Tholum Delphicum.

Philo Athenienſis armamentarium Piræei.

Hermogenes, ædem Doricam Iunonis Magneſiæ.

Sugilas, mauſoleum Artemiſiæ.

Zenodotus, nobile pauimentum Pergami.

Hermodorus, nomen eſt architecti, qui obeliſcum fecit.

Zmilus, Rholus, & Theodorus architecti, fecerunt Labyrinthum Lemnium.

Valerius Oſtienſis architectus fuit, qui theatrum Romæ texit.

Mneſicles architectus arcem Athenis ædificauit. Plutarchus in Pericle.

Nicon, pater fuit Galeni geometriæ & architecturę peritiſſimus.

Apollodorus, Traiani forum, Methodeum & Gymnaſiũ Romæ fabrefecit. hunc interfecit Hadrianus.

Eupalinus Megarenſis, filius Nauſtrophi, Rhœcus, Phileĩ filius, & Mandrocles Samius, nomina ſunt Architectorum apud Herodotum.

CONDITORES DIVERSORum Locorum, & Ædificiorum.

ANtenor condidit Patauium vrbem. Virg. lib. 1. Æneid. Hic tamen ille vrbem Pataui sedesq; locauit Teucrorum.

Romulus, Romam. Virg. lib. 1. Æn. Inde lupæ fuluo nutricis tegmine lætus Romulus excipiet gentem, & Mauortia condet Mœnia, Romanosq; suo de nomine dicet, Ascanius Albam.

Philoctetes, Petiliam vrbem Bruttiorum. Virg. lib. 3. Æn. Parua Philoctetæ subnixa Petilia muro.

Dido, Carthaginem. Virg. lib. 4. Æn. Femina quæ nostris errans in finibus urbem Exiguam pretio posuit. Dido apud eundem sic loquitur: Vrbem præclaram statui, mea mœnia uidi.

Dardanus, Troiam. Virg. lib. 9. Æneid. & lib. 8. Et Troiæ Dardanus auctor.

Danae, Acrisii filia Ardeam vrbem Italiæ. Virg. lib. 7. Quam dicitur urbem Acrisioneis Danae fundasse colonis. Plin. lib. 3. Ardea à Danae Persei matre condita.

Catillus, Arcas, Tybur oppidum Romæ uicinum. Virg. lib. 7. Tum gemini fratres Tyburtia mœnia linquunt: Fratris Tyburti dictam cognomine gentem.

Ceculus, Prænestæ. Virg. lib. 7. Nec prænestinæ fundator defuit urbis.

Arcades, Pallantæum oppidum, situm in monte Palatino. Virg. lib. 8. Arcades hi sortis genus à Pallante profectum, Delegere locum, & posuere in montibus urbem Pallantis proaui de nomine Pallantæum.

Neptunus, muros Troiæ. Virg. lib. 9. Æn. -an non uidere rũt mœnia Troiæ Neptuni fabricata manu cõsidere signes.

Diomedes, Arpos, oppidum Apuliæ. Virg. lib. 10. Atque iterum in Teucros Æolis surgit ab Arpis Tydides. Alter vocatur Argyripa. idem lib. 11. Ille urbem Argyripam patriæ cognomine gentis Victor Gargani condebat Iapygis agris.

Cadmus, Thebas Bœotias. Ouid. lib. 3. Met. Hos operis comites habuit Sidonius Hospes, quum posuit iussam Phœbeis sortibus vrbem.

Amphion, muros Thebarum. Horat. in Arte: Dictus & Amphion Thebanæ conditor vrbis.

Capys, Capuam. Syllius lib. 11. Tum Capys vt primus dederit sua nomina muris. Virg. Et Capis hinc nomen Capanæ dicitur vrbis.

Munatius Plancus, vir consularis, & prætorius, & Ciceronis discipulus, Lugdunum vrbem.

Telegonus, filius Vlyssis, Tusculum oppidum Italiæ. Propert. lib. 2. Quid petis Aeæi mœnia Telegoni.

Galli, Mediolanum. Claud. Continuò sublime, volans ad mœnia Gallis Condita, lanigeræ suis ostentantia pellem.

Semiramis, Babylonem. Propert. lib. 3: Persarum statuit Babylona Semiramis vrbem.

Cæsar Augustus Nicopolim ciuitatem in memoria victoriæ suæ de Antonio & Cleopatra. Sueton.

Busyris, Thebas Ægyptias.

Ogdous, Memphim vrbem Ægypti.

Archias, Syracusas.

Cleopes, rex Ægypti Pyramidem magnificentissimam.

Massilienses, Niceam.

Alexander, Alexandriam vrbem Ægypti. auctoribus Plin. & Curtio.

Amazones, Ephesum.

Mithridates, Eupatoriam.

Alexander, Heracleam; Antiochus, Laodiceam; Darius, Susis vrbem Persidis; Phoroneus, Argos; Ninus, Niniuem; Sichem, Sidonem; Ocnus, Mantua; Agenor, Tyrum; Amyclas filius Lacedæmonis regis, Amyclas vrbem Laconiæ; Neleus pater Nestoris, Pylon. Ouid. in Epist. Nos Pylon antiqui Neleia Nestoris arua Misimus. Romulus, Asylum. Ouidius lib. 3. Fast. Romulus vt saxo lucum circumdedit alto Quidlibet huc dixit confuge, tutus eris. Paranus Phœnicum dux, Massiliam; Pyli, Metapontum; Iapygas, Iapix Dædali filius; Coram, Dardanus; Agyllam, Pelagi; Diomedes, Beneuentum.

SEptem fuerunt ædificia toto orbe cantatissima, quæ propter operis magnitudinem & sumptum incredibilé extitere loco miraculi, vt nihil diuinius ars humana posset confingere aut excogitare. fuerunt autem hæc: Pyramides Nili, Turris Pharia, Muri Babylonis, Templum Dianæ Ephesiæ, Simulacrum Mausoli, Colossus Solis apud Rhodios, & Simulacrum Iouis Olympici, quibus non nulli addunt domum Cyri Mœdorum regis.

Pyramides, in primis erant structuræ & moles lapideæ infernè quadratæ sursum versum acutæ, quas Ægypti reges superponendas tumulis erigebant, aut ad inanem diuitiarū ostentationem, aut vt populi torporem excitarent. earum vna saxo naturali fuit elaborata, & rubrica, cuius ambitus per frontem centum duos pedes colligebat; longitudo erat CXLIII. pedum; altitudo LXII. Alia fuit facta ex Arabicis lapidicinis, quam sexcenta hominum millia viginti annis construxisse memorantur. Tres aliæ fuerunt annis LXXVIII. & mensibus quattuor factæ. Plinius scribit MDCCC. talenta fuisse erogata in raphanos, allium & cepas, quibus artifices vescebantur, in extruenda earum vna. Quo argumento coniectare est, quanta quamque prodigiosa fuerit aliarum rerum impensa. Omnium amplissima continebat octo soli iugera, quattuor angulorum paribus interuallis per DCCCXXCIIX. pedes. singulorum laterum altitudo pedes vigintiquinq;. Secundæ singula interualla per quattuor angulos pares DCCXXXVII. pedes comprehendebant. Tertia erat minor prædictis, sed multò spectatior Æthiopicis consurgens lapidibus, trecentis sexaginta tribus pedibus inter angulos. Omnium minimam fecit Rhodope meretricula Aesopi fabulatoris conserua, diuitiis illis, quas meretricio quæstu sibi comparauerat. Herodotus in Euterpe scribit Cleopem Ægypti regem fecisse Pyramidem ex Arabicis lapidibus, cuius longitudo erat quinque stadiorum, latitudo decem passuum, altitudo octo passuum, in qua decem annos fuisse consumptos memorat. Fecit & aliam viginti annis absolutam, in qua tantum perfudit pecuniæ, vt nimio sumptu attritus, filiam (quam habebat formosissimam) coactus sit prostituere. Ea est in qua MDCCC. talenta in cepis & raphanis erogata prædiximus. Herodotus complures memorat, quas volens omitto, quoniam prædictæ satis arguunt, quàm otiosa fuerit illorum regum & opera, & prodigentia. De Pyramidibus Luc. lib. 8. Quum Ptolemęorum manes seriemq; pudendam Pyramides claudant indignaq; Mausoleа. Mart. Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis.

Memoratur etiam turris illa, quam Ptolomæus fecit in Pharo insula non ad alium, vsum quàm nocturnos ignes nauarum cursui ostendendos. hanc autem constituit talentis DCCC. Sostrato architecto, qui structuræ tantæ suū inscripsit nomen.

His miraculis annumerantur Babylonis muri, quos Semiramis condidit aut saltem ruinosos reparauit, coctilibus laterculis, & bitumine ferruminatis, ducentum pedum altitudine, latitudine verò quinquagenum pedum, adeò vt quadrigas inter se occurrentes reciperent; turresq; haberent CCC. plures multò habituri, nisi aliqua ex parte paludes pro mœnibus fuissent. huic autem operi portentoso adhibita sunt trecenta hominum millia. de Babylone Prop. lib. 3. Persarum statuit Babylona Semiramis vrbem,
Vt solidum cocto tolleret aggere opus. Et duo in aduersum misit per mœnia currus, Ne possent tacto stringere ab axe latus. Duxit & Euphratem medium, qua condidit arces. Iussit & imperio surgere Bactra caput. Herodotus scribit muros Babylonis habuisse crassitudine quinquaginta cubitorum regiorum, celsitudinē ducentorum. per amplum centum portæ stabant æreæ, omnes cum cardinibus.

Templum Dianæ Ephesiæ factum est à tota Asia ducentis & viginti annis. hoc autem in solo palustri fecere, ne terræ motum sentiret, aut hiatus timeret; & ne in lubrico & instabili tantæ molis fundamenta locarentur, antè calcatis ea substrauere carbonibus, deinde velleribus lanæ. Templi longitudo erat CCCCXXV. pedum, latitudo CCXX. Columnæ in eo centum vigintiseptem à singulis regibus factæ, ex quibus XXXVI. erant cælatæ. Operi præfuit Chesiphon.

Artemisia, regina Cariæ Mausolo marito mortuo sepulcrum erexit inter orbis miracula anumeratum, cuius altitudo attollebatur cubitis xxv. cingebatur columnis xxxvi. Patebat ab austro & septentrione pedes lxiii. Toto circuitu continebat pedes cccclxi. Ipsum ab oriente cælauit Scopas, à Septentrione Briax, à meridie Timotheus, ab occasu Leocares. Regina opere non dum absoluto concessit fatis: artifices tamen non recesserunt nisi eo consumato. Ab hoc sepulcro omnia regum & imperatorum monumenta, quæ præciosa sunt, vocantur Mausolæa: de hoc Prop. lib. 3. Nec Mausolæi diues fortuna sepulcri Mortis ab extrema condicione. vacat. Martial. lib. 1. Aere nec vacuo pendentia Mausolæa Laudibus immodicis Cares ad astra ferant.

Colossus Solis apud Rhodios fuit lxx. cubitorum altitudinis, qui post quinquagesimum sextum annum terræ motu prostratus, iacens quoque fuit miraculo. Pauci pollicem eius amplectebantur. maiores erant digiti, quàm pleræque statuæ. vasti specus hiabant defractis membris. spectabantur intus magnæ molis saxa. Factus est hic Colossus annis duodecim, tercentis talentis. artifex fuit Chares Lyndius, Lysippi discipulus. Soldanus Ægypti quum insulam Rhodum inuasit, ex ære huius statuæ dccccl. camelos oneratos fertur. Ab hoc colosso Rhodij vocantur Colossenses, & Rhodos Colossicola.

Inter orbis miracula recensetur simulacrũ Iouis Olympici, quod Phidias fecit ex ebore. Prop. lib. 1. Nam neque Pyramidum sumptus ad sidera ducti, Nec Iouis Elæi cælum imitata domus.

Sunt qui addant domum Cyri, Medorum regis, quam fabricauit Memnon, illigatis auro lapidibus.

De his miraculis & aliis quibusdam ædificiis Politianus in Manto sic inquit: Nec vetus immensum fuerit quæ sparsa per orbem Gloria septena celebrat spectacula fama: Nam neque belligeris Babylon pulsata quadrigis, &c.

ALIA OPERA, ET ÆDIFICIA sumptuosa, & magnifica.

Virgilius scribit Didonem fecisse Templum Iunoni donis opulentum: Ærea cui gradibus surgebant limina, nexæq; Ære trabes, foribus cardo stridebat ahenis.

Eodem auctore Iarbas, rex Getulorum; Templa Ioui centum latis immania regnis Centum aras posuit, vigilemq; sacrauerat ignem Excubias diuum æternas.

Idem lib. 7. scribit domum Latini regis centum columnis fuisse sublimem, & cedrinis auorum simulacris ornatã.

Regiam Solis describit Ouid lib. 2. Met. his verbis Regia solis erat sublimibus alta columnis, Clara micante auro flammasq; imitante Pyropo: Cuius ebur nitidum fastigia summa tegebat, Argenti bifores radiabant lumine valuæ. Materiam superabat opus: nam Mulciber illi Æquora cælarat medias cingentia terras, Terrarumq; orbem, cælumq; quod imminet orbi.

M. Æmilius Scaurus, Syllæ priuignus, in ædilitate sua Theatrum fecit altitudine ccclx. columnarum, cuius pars scenæ erat è marmore, media è vitro, columnæ imæ lxviii. pedum. erant inter columnas signa ærea ccc. numero: cauea capiebat hominũ lxx. millia. Plin. lib. 36.

Obelisci vocantur structuræ minores Pyramidibus deorsum versum specie quadrata, in angustum verticem desinentes, & paullatim gracilescentes. Ægypti reges quattuor fecerunt obeliscos ccccxxc. cubitorum longitudine. Ramises rex Agypti (cuius ætate captum est Illium) obeliscum fecit quadraginta cubitorum, & alium longitudine vndecenis pedibus, per latera cubitis quattuor, quem fecisse dicuntur viginti hominum millia. cuius operis admiratione factum est, vt quum Syenem oppidum expugnaret Cambyses rex, ventumq; esset incendio ad crepidines obelisci, extingui ignem iuberet, molis reuerentia.

Obeliscum posuit Phius xlv. cubitorum.

Ptolemæus vnum Alexandriæ xxc. cubitorum.

Alij duo fuerunt Alexandriæ, quos excidit Mesphees

rex XLII. cubitorum.

Alius fuit excisus à rege Semneserteo CXXV. pedum.

Nuncoreus filius Sesostris vnum fecit C. cubitorum.

Dædalus Labyrinthum fecit in Creta, tanta viarum perplexitate, vt introeuntibus non pateret reditus. Virg. lib. 6. Hic labor ille domus & inextricabilis error. fuit & Ægyptius Labyrinthus, lapideis è Parocolumnis in introitu, reliquis Syenitis. fuit & tertius in Lemno, quartus in Italia, omnes lapide polito, fornicibus tecti. Lenius habebat CL. columnas, quarum in officina turbines ita librati pependerunt, vt puero circumagente tornarentur. eius architecti fuerunt Zmilus, Rholus & Theodorus. Italicum sibi fecit Porsena, rex Etruriæ, loco sepulcri, quò si quis improperasset sine glomere lini, exitum inuenire nequiuisset. supra erant Pyramides quinque, quattuor in angulis, & in medio vna, in imo latæ pedum LXXV. altæ pedum CL. ita fastigiatæ, vt in summo orbis æneus, & pegasus vnus omnibus sit impositus, ex quo pendebant iuncta catenis tintinabula.

Aegyptiæ Thebæ centum portis nobiles coniecturam miræ amplitudinis reliquerunt vniuersæ posteritati. Iuuenal. Ecce vetus Thebæ centum iacet obruta portis.

Iulius Cæsar Circum fecit longitudine trium stadiorum, latitudine vnius, sed cum ædificiis iugerum quaternum, ad sedem CCLX. millium. idem solum tantum foro extruendo sestertiis mille ducentis emisse dicitur.

P. Clodius, quem Milo occidit, domum habuit sestertiis CXLVII. millibus emptam.

M. Lepido viro consulari, & Q. Catuli collegæ, fuit olim domus omnium in vrbe pulcherrima, quæ tamen intra annos XXXV. centesimum locum non obtinuit.

Amphitheatrum Pompeij capiebat XL. millia hominum. theatrum hoc Nero in vnum diem totum auro operuit, vt Tyridati regi Armeniæ illud ostenderet.

Agrippa fecit in ædilitate sua DCC. lacus, fontes CL. castella CCXXX. Signa CCC ærea, aut marmorea imposuit, columnas CCCC. ex marmore. fecit & aquarum ductus memorabiles: alios item incepit Caius Cæsar, quos

peregit Claudius in omnes montes vrbis leuatos, in quos influebant Curtius & Cæruleus fontes. erogata in id opus DLV. millia sestertia.

Cicero non minoris quinquaginta millibus aureis habitauit, quam pecuniam furto & rapina comparatam scripsit Sallustius in sua contra eum inuectiua.

Aurea Neronis domus tanto sumptu, tantoq; rerum omnium apparatu constructa est, vt ad eam peragendam Otho quingenties sestercium, id est, duodecies centena & quinquaginta millia aureorum nostrorum attribuerit, quum tamen nihil decesset operi: atque hoc tam prodigiosum edificium à theatro M. Scauri victum contendit Plinius. Habebat illa Neronis domus stagnum instar maris, uineta, siluas cum omni pecudum genere & ferarum; item aues argenteas, quæ in modum cæli mouebantur; in solariis lapidem quendam Sphengitem, quo perpetuus dies illucebat. De hac domo intellexit Mart. lib. 1. dicens: Hic ubi sidereus propius videt astra Colossus, Et crescunt media pegmata celsa via, Inuidiosa feri radiabant atria regis, Vnaq; iam tota stabat in vrbe domus. Hic vbi conspicui venerabilis amphitheatri Erigit moles, stagna Neronis erat.

In M. Scauri villæ incendio bis millies sestertium absumptum legitur

Pergama, seu muri vrbis Troiæ feruntur habuisse in ambitu XL. millia passuum. nec aliam ob causam adscribuntur Deis auctoribus, quàm propter magnificentia. de his Lucanus lib. 6. Nunc vetus Iliacos attollat fabula muros, Adscribatq; Deis.

Nitocris Assyriorum regina (quæ multis annis post Semiramidem floruit) Euphratem fluuium, qui mediam Babylonem rectus præter fluebat, fecit tortuosum, supraq; pontem erexit trium stadiorum, difficillimum factu propter paludes, quæ vrbem ambiunt. fecit & ingentes cauernas ad excipiendum fluminis impetum, egestitq; quid-quid erat limi ad iacienda fundamenta. Herodotus & Curtius.

Traianus lapideum pontem fecit in Danubio, in quo viginti ex quadrato lapide erant pilæ, quarum altitudo CL. pedum præter fundamenta extabat: latitudo sexaginta

pedes continebat. distabant inter se CLX. pedibus, fornicibus verò coniungebantur; quum tamen fluuius ipse sit admodum præceps & impetuosus, & non nũquam imbrium mole concitatus ripas longius submoueat, & vbi angustior est, ibidem sit ferox, & vorticosus. Hanc tamen postea molem seu liuore maligno, seu alia causa, dirupit Hadrianus. auctor Dion Cassius.

Murus Byzantii vrbis fuit olim Milesio quadrato lapide, adeò indiscreta laterum structura, vt vna propè muri compages spectantibus videri posset.

Alexander Macedo tabernaculum fecit, in quo centum lecti sternebantur, aureæ columnæ sustinebant verticem aureum variis textum ornamentis. in eo consistebant mille Persæ, mille sagittarii Macedones, & quingenti cum scutis argenteis. in medio autem erat sella aurea, super quam sedebat Alexander, stipatus suis Sarissophoris.

Inter mirabilia hominum opera sunt, Athos factus à Xerxe nauigabilis; Isthmos cœptus à multis perfodi, nec absolutus; Alpes aceto diuisæ; Lucrinus lacus vndecim annis à triginta hominum millibus exiccatus. Lucullana villa, vbi exciso monte Euripus admittebatur.

Cæsar vno die pontem in Arari constituit; alium supra Rhenum mira celeritate, quem decem diebus absoluit.

Colossus fuit Tarenti LX. cubitorum factus à Lysippo.

Fuit in Capitolio Colossus Apollinis translatus à Lucullo ex Apollonia Põti vrbe XXX. cubitorũ, factus talentis CL.

Fuit & Colossus Apollinis Tuscanicus quinquaginta pedum à pollice, dubium ære mirabilior, an pulchritudine.

Aetate Plinij Zenodorus fecit colossum Mercurij in ciuitate Galliæ Aruernis, sestertiis CCCC.

Idem quum venisset Romam, simulacrum fecit mandato Neronis CX. pedũ longitudine, quod postea Soli dicatũ est.

Ambitus Memphis vrbis Ægyptiorum ab Ogdoo rege ædificatæ fuit CL. stadiorum.

Martialis lib. I. Domitiani imp. Amphitheatrum omnibus miraculis, superbisq; ædificiis anteponit dicens: Omnis Cæsareo cedat labor amphiteatro, Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

Sabel-

Sabellicus ædificia quædam & magnifica loca sequentibus verbis enumerat. Nunc vetus Ogygios attollat Græcia muros, Adscribatque deis Neptunia mœnia, laudent Mirenturq; suos Parthi Babylona labores. Nec sileat Pharios iam barbara Memphis honores, Æternumq; sui memoret pia busta tyranni Caria diues opum, magnum vulgata per orbem Tercentum populi celebrem delubra Dianæ.

Supereſt magnificum illud Templum, quod anno regni sui quarto ædificare cœpit Salomon Dauidis filius. triginta in primis hominũ millia cædendis arboribus, vt cedris, & cupressis, sunt in Libanum destinata. lapicidarum verò exiterunt octoginta millia. latitudo templi fuit vicenum cubitorum, sexagenum longitudo, altitudo fornice distincta centenum & vicenum. inferioris structuræ materia erat ex candenti saxo. amplitudo vestibuli denum cubitorum. cellæ erant vicenæ peruio inter se vsu, & aliæ his suppositæ. trabes erant cedrinæ, cedrina concameratio auro illita, vt parietes omnes. Sanctior locus à reliquo templi corpore distinguebatur muro, in quo erant ianuæ sculptæ, vela ductilia, variis mæandris & floribus intexta. duo cherubini (ita enim dici solent) ex puro auro, pauimentum petalis aureis instructum, ianuæ vicenum cubitum altitudine auro coruscantes. ante vestibulum erant duæ columnæ æneæ XIIX. cubitorum altitudine, ambituq; duodenum. Erat & vas æneum tantæ magnitudinis, vt ab re nominatum sit mare, quod vituli duodecim diuersas mundi plagas terni singulas prospectantes circumstabant. fuit vas illud trium millium batorum capax. Erant & aliæ figuræ, quas longum esset recensere. altare fuit æreum denum pedum altitudines, longitudine duplo maiore, item mensa vna aurea, phiale & pateræ aureæ decem millia, argentæ quadruplo maiore numero, candelabra decem millia ex auro & argento fabricata. circa templum aula capacissima, in qua profanus populus consisteret. Hoc autem opus septem annorum spatio ad finem perductum est.

Fecit & Salomon sibi regiam candenti pauimento, triplici intus materia cedro, argento & auro. quod opus absoluit tredecim annorum spatio.

ABies arborum pulcherrima est & rectissima, quæ in transuersum posita renititur ponderi, nec prius rumpitur, quàm carie deficiat. pars eius inferior est enodis, & vocatur sapinus; superior nodosa & durior; situs eius in montibus. expetitur nauigiis, & trabibus, & plurimis vitæ operibus. de hac Ouid. lib. 10. Resina huic arbori vitium. Gignit pilulam, quæ in medicina vim habet vrendi. folia non amittit, quæ habet pectinum modo. terna edit germina, inter squamas corticem spargit. semen reddit post vergiliarũ occasum. ramos habet in cælum tendentes, non in latera pronos. cacuminibus ramorum decisis moritur, totis verò detruncatis durat. & si infra ramos præscindatur, quod supereſt, viuit: si verò cacumen tantùm auferatur, emoritur tota. Laudatissima est in Alpibus, Apœnino, Vogeso monte, Corsica, Bithynia, Ponto, Macedonia; deterior Arcadica: quoniam ibi facilè putrescit. Abietis vmbra satis pernicioſa est. Ab abiete fabri lignarii vocantur Abietarii; & opus abiegnum abiete factum. hinc equus Troianus à Propertio & Politiano vocatur Abiegnus. Stat. lib. 6. Thebaidis, abietem vocat audacem, quòd naues marinis se exponant periculis: sic autem ait, Hinc audax abies, & odora in vulnere pinus.

Aesculus arbor est glandifera, cuius fructu vescebantur hominas ætatis aureæ sub Saturno. sacra est Ioui. huius ramis fiebat corona ciuica. semen reddit autumno. cantũ radice descendit in terrã, quantũ corpore eminet in aere.

Amygdalus arbor est fructifera, cuius fructus duro & carnoso integitur cortice. prima omnium arborum floret mense Ianuario. ante maturitatem facilè fructum amittit. serenda est ab occasu arcturi ad brumam. In hanc arborem poetæ fabulantur mutatam fuisse Phyllidem.

Amyris arbor est infructifera, quam sterilitatem pensat odore fragrantissimo.

Apina arbor est media inter pinum & piceam, piceæ tamen similior, vnde etiam Pinus picea vocatur.

Aquifolia, arbor est ex Ilicis genere, quam Græci Similacem vocant. baccas habet sine succo. folia ei non decidunt, quæ habet aculeata. germinat verno tempore. sata in domo aut villa veneficia arcet. flore eius aquam glaciari tradit Pythagoras apud Plinium. hanc arborem Theophrastus Crateogonon vocat.

Acaron arbor est breuis & fruticosa.

Acer fere est amplitudinis tiliæ, arbor operum elegantia & subtilitate nobilis. multa eius genera. album candoris præcipui: alterum crispo macularum discursu in Istria & Rhetia præcipuum: vilius Crassiuenium vocatur. Vide alia discrimina apud Plinium. Aceris radix confusa iecinoris doloribus vtilissimè imponitur. germinat paullò ante æquinoctium vernum. semen reddit messibus. Acernę trabes dicuntur, quæ sunt ex eius ligno.

Adrachne arbor est siluestris similis vnedoni, folio tantum minore & nunquàm decidente, cortice non scabro, sed qui circumgelatus videri possit, tam tristis est aspectu. fertur semper frondere.

Alburnacum arbor est colore nigricante.

Alnus arbor nullum fert fructum, aut semen. prouenit in locis aquosis. vnde Syll. lib. 3. Fluminea sonipes religatus dicitur alno. Pinguis est ei vmbra, folia crassissima. vtilis est nauigiis. Lucan. li. 3. Siluaq; dodones & fluctibus aptior alnus. Stat. lib. 6. Theb. Alnus amica fretis, nec inhospita vitibus Vlmus.

Apiastrum, arbor est venenata in Sardinia.

Balsamum arbuscula est aromatica, vni Iudææ concessa, viti similior, quàm nitro. ea seritur malleolis. frequens est in montibus. sustinet se absq; vllis adminiculis. excrescit in bina cubita. trima fructifera est. eius succus vocatur Opobalsamum, omnibus odoribus anteferendum. Lignum Xylobalsamum inciditur vitro, lapide, vel osseis cultellis. capitur & Balsamum pro arboris succo.

Bedellium arbor est nigra, magnitudine oleæ, folio, & robore similis caprifici. nascitur apud Bactrianos, habet maturam gummi. Plinius lib. 12. cap. 9.

Betula arbor est eximii candoris, qua fiunt circuli vasis vinariis idonei. gaudet frigidis locis. bitumen ex ea

quondam excoquebant Galliæ. vtilis est conficiendis ciſtis, & ſportellis, flexibili crate,

Buxus arbor est tonſilis & ſemper virens, viſcum producens & ſemen, quod Cartegon dicitur. ea fiunt multiforatiles tibiæ. vnde & pro muſico inſtrumento non nunquam accipitur. Seneca: Tibi multifora tibia buxo ſollemne canit. Fiunt & laudatiſſimi pectines, & vnguentariæ pixides. plurima reperitur in Pyrenæis & Citoro montibus. commendabilis est duritia & pallore. Plinius tria ponit eius genera, Gallicum amplitudine procera, oleaſtrum grauis odoris in omni vſu damnatum, tertium ſilueſtre ſemper tonſile. Montes amat. folia eius ſunt concaua, quæ non decidunt. ſpiſſiſſima est arborum. non fluit in aquis, nec cariem ſentit, nec vetuſtatem.

Carpinus arbor est nota, quæ alio nomine Acer dicitur. montes amat. ea quondam fiebant faces nuptiales.

Camerepes, arbor est folio lato & molli, peculiaris Cretæ & Siciliæ.

Cynnamum, ſeu Cynnamomum arbuſcula est aromatica, præſtans odore, dulcis, & cineri coloris, cuius ſuccus ad multa remedia vtilis est. naſcitur in Æthiopia, India, & Sabæis.

Citrus arbor est peculiaris Mauritaniæ in Atlante monte, Romanis olim gratiſſima, & maximè expetita ad menſarum & lectorum vſum. de his intellexit Lucanus lib. 10. Dentibus hinc niueis ſectos Atlantide ſilua Impoſuere orbes, quales ad Cæſaris ora Non capto venere Iuba. Huiuſmodi Citreæ menſæ fulciebantur eboreis pedibus, vt his verbis liquet: Citrus Mauruſia folium habet arbuſti aut lauri. Arborem hanc Græci Medicam vocant.

Cornus arbor ramos habet duritie & rigiditate ſimiles cornibus. propterea vſus eius bellicis haſtis & iaculis dicatus est. vnde & plerunque accipi ſolet pro telo. Syll. lib. 10. vix prima momordit Tegmina Callaici cornus tremebunda metalli. Virg. lib. 10. Volat Itala cornus. Exitalis est apibus hæc arbor: nam flore eius degustato, aluo concita moriuntur. Succus est ei ſanguineus. montes amat, & primo Fauonio germinat. nullam habet medullam.

Corylus arbor gaudet planis locis. ex ea olim fiebant

faces nuptiales, vt carpino. graciles ſunt eius trunci, lata folia, delicati fructus, & ſecundis menſis expetiti. Columna dicuntur opera, quæ fiunt eius ligno.

Caſtanea fructum ſignificat & arboré. fructus integunt ſpinoſo cortice. Virg. Stât & Iuniperi, & caſtaneæ hirſutæ.

Cedrus arbor procera est, nec tamen onerosa. folia habet cupreſſinis ferè ſimilia, lignum iucundi odoris, & tineis imperuium, & infeſtum. propterea opus dignum Cedro dicimus, quod laudabile est, & ab iniuria blattarum & tinearum maximè conſeruandum. Horatius: Speramus carmina fingi poſſe linenda Cedro, & leui ſeruanda Cupreſſo? Vel quòd eius oleum illitum res omnes conſeruet à tineis & carie. Duo ſunt minoris Cedri genera: Lyria, & Phœnicia. differunt folio: nam quæ durum, acutum, & ſpinoſum habet, vocatur Oxycedros, ramoſa, ac nodis infeſta; altera odore præſtat. Duo item genera Cedri maioris: florifera fructum non fert; fructifera non floret. & in ea antecedentem fructum ſtatim nouus occupat. ſemen eius ſimile, materiæ æternitas; ideoq; ſimulacra deorũ ex ea factitauere. Reſinã fundit ad faciendas pices. montes amat. folia non amittit, quæ habet capillata. laudatiſſima est in Creta, Africa, & Syria. rimam fiſſuramq; non capit ſponte.

Ceraſus nomen ſumpſit à Ceraſunti Ponti ciuitate. fructus vocatur Ceraſum & interim pro arbore capitur. Ceraſi Romæ non fuerunt ante [illegible]t oriam Mithridaticam Luculli. Is anno DCXXC. vrbis conditæ aduexit è Ponto. In Ægypto nulla cura potuere gigni. Ceraſorum, teſte Plinio, Aproniana maximè rubent, nigerrima ſunt Actia, Cæciliana rotunda. Iulianis gratus ſapor, adeò teneris, vt geſtatum non tolerent. Principatus Duracinis in Belgis, Luſitanis, & in ripis Rheni. Ceraſis ſuccus est ſanguineus, conſtant cute & ſucco. gaudent aquoſis montibus. inſeruntur poſt brumam dempto cortice. Præcoces fiunt & matureſcunt calce radicibus admota. Ceraſus capitur etiam pro fructu. Propertius: Hic dulces Ceraſos, hic autumnalia poma.

Coſtus arbuſcula est aromatica, cuius radix flagrat odo-

re præstantissimo. Stroza fil. Accumulansq; rosas & odore germina costi. Antiqui supplicabant ture & costo.

Cynacanthe arbuscula acinos instar vuæ producit. Latini Caninam sentem. & Vuam spineam nominant.

Cyperum habet Ægyptus, semine Coriandri, candido & odorato, quod inoleo coquitur. hæc arbor est ocyssima. protinus enim floret, & semen profert.

Cotinum Plin. ait arbusculam esse in Apœnino, colore insignem.

Cupressus, seu Cyparissus, arbor feralis, succisa non regerminat. propterea in exequiis adhibita est, vt funebre signum. Virg. -& ferales ante cupressos Constituunt. Stat. lib. 5. Sil.-hilaresq; hederas plorata Cupressus Excludit ramis. Plantabatur in funestis nobilium domibus, eiusq; ramis rogorum intexebantur latera. Lucan. lib. 3. Et non plebeios luctus testata cupressus. Hæc arbor morosa est natu, fructu supervacua, baccis torua, folio amara, odore violenta, & ne vmbra quidem gratiosa, Diti sacra. nascitur in Creta; in Enaria tantùm succisa regerminat; picem fundit acerrimam sapore; aquas odit; folia habet, carnosa, quæ non amittit; trifera est: nam baccæ eius colliguntur mense Ianuario, Maio, & Septembri. cariem non sentit aut vetustatem. semper nitorem seruat. eius semẽ gratissimũ formicis tritũ seruat à vermiculis, vt folia.

Caprificus appellatur ficus siluestris, erumpens in saxis ruptis. fructus eius nunquam matureſcit.

Plinius ait Elatem arborem esse ad vnguenta vtilem. Iudatur Hammoniaca maximè, mox Ægyptia, deinde Syriaca duntaxat in sitientibus locis odorata, pingui lacryma.

Ficus arbor breuitate radicum citò seneſcit. laudatur Iudæa rubens oliuæ magnitudine, crassitudine cubitali, ramosa, materia valida, viridi cortie, folio tiliæ sed molli. Hircana dulcior nostris, & fortior, vt quæ modios C C L X X. ferat; Chalcidica, Lydia, Mamillana, à similitudine mamarum, Callistrutia sapore præstans; item Africa, Rhodia, & Tyburtina. Ficubus omnibus mollis est tactus; maturis frumenta intus, matureſcentibus succus lactis, percoctis mellis. seneſcunt in arbore. præstantissimæ sunt in Ebuſo

insula. dulci sunt succo & lacte in capite, in corpore non. item nullus iis odor. folia sunt latissima. fructum ante maturitatem facilè perdunt. non florent, pomum habent supra folia, quæ serius nascuntur. fertiliores sunt inferiore parte, quàm cacuminibus. vtiles sunt faciendis scutis. nascuntur in his vermes, qui vocantur Ceraſtes. his maximè pernicioſa est vermiculatio, quam sentiunt. laborant & radicibus madidis. serotinæ fiunt, si primæ grossi (quum magnitudinem fabæ excessere) detrahantur.

Fraxinus dicitur à fragosis locis, in quibus nascitur. procera est, & teres, & pennata folio, Achillis hasta multùm nobilitata. materies eius ad multa est vtilis. Quæ nascitur in Ida Troadis monte, adeò similis est Citro, vt ementes fallat sublato cortice. eius duo sunt genera: longa enodis, altera breuis, durior fusciorq;, laureis foliis. amplissimam habet Macedonia, quam Bumeliam vocant. diuiduntur in situ. campestris crispa est, montana spissa. Folia fraxini iumentis mortifera sunt, ceteris ruminantium innocua. succo expresso ad potum contra serpentes, & imposita vlceribus opifera est. tantaq; est vis, vt nec matutinas, nec occidentes vmbras serpens arboris eius attingat, adeò vt ipsam procul fugiat. Si ea fronde gyro claudatur ignis & serpens, in ignes potius fugiet, quàm in fraxinum. Floret fraxinus prius, quàm prodierint serpentes, nec ante conditas folia dimittit. gaudet aquosis montibus. messibus reddit semen. obedientissima est quocunq; in opere, faciendis hastis melior Corylo, Cornu leuior, Sorbo lentior. Ouid. lib. 10. Et coryli fragiles, & fraxinus vtilis hastis.

Fagus arbor est glandifera, cuius glans triangula cute includitur. folium eius autem tenue & leuissimum est, celeriùs flauescens, gignens supernè paruulam baccam, viridem, cacumine aculeatam. Fagi glans muribus gratissima est, qui propterea vnà proueniunt. grata est etiam gliribus, & turdis. fertilitas eius alternat, vt omnium ferè arborum. glans fagina omnium dulcissima est, vt qua obsessi homines durauerint in oppido Chio. Huius arboris cortex in magno vsu est agrestum. ligni honos præcipuus fuit in vasis. Manius Curius iurauit se ex præda nihil attigisse præter gutta

faginum, quo sacrificaret. Virg. -pocula ponam Faginæ cælatum diuini opus Alchimedontis. Vtilis est etiam capsis & scriniis fagus, propter lentorem plicabilem.

Ferulâ Plinius adscribit arborum generi. ea nascitur in calidis locis. nulli fruticum leuitas maior: propter quod facilius baculorum vsum senectuti præbet. eius radix candida. ea insciſa lac emanat. in ferula optimè seruatur ignis. procedit in Ægypto.

Hedera semper viret, stare non potest sine adminiculo. muros amplectitur quadam lasciuia, adeò vt erodat. vinacissima est omnium arborũ. eius racemus vocatur Corymbus. Virg. Diffusos hedera vestit pallente corymbos. Hæc arbor inimica est satis omnibus. flos eius similis est rosæ silueſtri, nisi quòd caret odore. Triplicem facit Plinius, candidam, nigram, & tertiam, quæ vocatur Helix. Huius arboris foliis olim coronabantur poetæ. ei folia non decidũt. sacra est Baccho, seipsam propagat. duplex in foliis color, viridis & flauus. propterea Sidonius eam bicolorem vocat, vbi ait: -quoties per frondea lora Flectis penniferos hederis bicoloribus armos.

Hebenus arbor est Indiæ, teste Virgilio, quam Herodotus Æthiopiæ maluit tribuere. non fluitat in aquis, neque sentit cariem, neque vetustatem. Meridiano Æthiopiæ caret dine siluæ hiberno maximè virent. Scobem eius oculis vnicè mederi dicunt, lignoq; ad cotem trito, cum passo caliginem discutit: ex aqua verò & radice albugines oculorum. Cæsa hæc arbor durescit in lapidem. Dicimus hoc Hebenum & hæc Hebenus, teste Seruio. Virg. lib. 2. Georg. Diuisæ arboribus patriæ, sola India nigrum Fert hebenum. Lucanus: -Hebenus Marcotica vastos Non operit postes.

Hyppocristes arbor est hederacei generis.

Ilex est glandifera. in carpentariis fabricis circa Elim & Lacedæmonem, vbi non nascitur, pro ea vtuntur Subere. duplex in hoc arborum genere sexus reperiri fertur. Glans Ilicis breuis est & gracilis. Masculas ilices negant ferre. huius arbori folia sunt aculeata, quæ non decidunt. nullo flore exhilaratur. nouus in ea fructus cum autumno pendet. Ciuica corona primò fuit ilignea, postea magis placuit ex

æsculo. deformatur interim nobis. Luc. lib. 3. Procumbunt orni, nodosa impellitur ilex.

Iuniperus arbor frequens est in locis arenosis. viret coma perpetua. cariem non sentit, aut vetustatem. non floret. eadem est iunipero virtus, quæ & cedro. medulla eius vbique solidior est, quàm Cedrus. lignum apprimè durum. vnde Mantuanus in quercu Iulia: Addam & Iuniperos, carie impenetrabile robur. Vasta est hæc arbor in Hispania, maximisq; baccis. montes amat, spinas habet pro foliis, flexuosa est, & intricata. combusta odorem reddit, & pollutum purgat aerem.

Iuglans odio dissidet cum quercu. Iuglandes nuces gemino proteguntur operimento. optimæ sunt Persicæ. earũ cortice tinguntur lanæ, & ruffatur capillus primùm prodeuntibus nucleis. pinguescunt vetustate. aquas odit iuglans. inferiore parte fertilior est. non facilè sentit cariẽ. eius vmbra grauis est, & noxia capiti humano, omnibusque satis.

Larix arbor vstis radicibus non repullulat. montes amat. incorrupta ei vis, humori contumax. nec ardet, nec carbonem facit, nec alio modo ignis vi consumitur, quàm lapides. Et folia sunt pungentia, quæ non decidunt. florem nescit. terna edit germina. corticem spargit inter squamas. Larix & acies arborum sunt altissimæ, quibus succisis humor diu fluit. Larix nescit cariem, validè pondus sustinet.

Laurum arborem Græci Daphnem vocant, ab eiusdem nominis puella, quam Apollo adamauit. spectatissima est in Parnaso. coniecta in ignem maximos crepitus edit. vnde & in maleficiis amatoriis incẽdi consueuit, tanquã amantium querimonias repræsentans. Virg. in Buc. Daphnis me malus vrit, ego hanc in Daphnide laurum. Credita est insuper aduersus venena remedium habere. hinc laureum baculum gestare dicebantur, qui periculum feliciter effugissent. arborum sola non percutitur fulmine. olim dum incendebatur, si crepuisset abundè, felicitatem portendi opinabantur. Tibullus: Laurus vbi bona signa dedit gaudete coloni. Contrà verò si tacita deflagrasset, inauspicatissimum arbitrabantur omen. Propert. Et tacet extincto

laurus adusta foco. Magorum superstitio promittit Lauri folia (si noctu puluillo subiiciantur) veritatem somniorum conciliare. efficacis est auxilii in numinum afflatu, & futurarum rerum præsagiis. Claudianus de Raptu Proserp. li. 2. Ilex plena fauis, venturi præscia laurus. Ea olim coronabantur sacerdotes & diuinaculi. Lauri fructus Daphnidas vocant. Dicabatur olim triumphis. Ouid. lib. 2. Eleg. Ite triumphales circum mea tempora Lauri. Plinius scribit, nullum genus Lauri fuisse quondam in Corsica. Perpetuò viret. sacra est Apollini. portata inter armatos hostes erat indicium pacis & quietis, vt Oliua. Statius lib. 12. pacifera Lauro crinem vittisq; decorus. Tiberius Princeps, tonante cælo ea se coronabat contra fulminum motus. Adhibebatur olim purificationibus vrbis. Pinguis est eius succus. amat loca montosa. folia non amittit. primo Fauonio germinat. inimicum est ei frigus. ignem cum hedera excutit. folia rubigini sunt obnoxia, si arbor fuerit inter segetes ea peste laborantes. Lauri folio annuum fastidiū purgant palumbes, graculæ, merulæ, & perdices.

Lentiscus arbor trifera est. Mastichen resinam sudat instar gumi. Baccifera est. Plinius citat verba hæc Ciceronis de lentisco: Iam verò semper viridis semperq; grauata Lentiscus triplici solita est grādescere fetu, Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi. Eius ligno fiebant olim dentifricia, & dentiscalpia. Martialis: Lentisco melius, sed si tibi frondea cuspis Defuerit, dentes penna leuare potest. Lentiscum mandere, prouerbio dicebatur, qui nimio comendi corporis studio superfluebat. nam dentium cura olim vt delicatis probro dabatur.

Ligustrum arbor est, cuius ligno aptissimæ fiunt tesseræ, succus eius neruis, articulis, algoribus; folia veteri vlceri cum salis mica, & oris exulcerationi prosunt.

Loton habet Africa, præcipuam Syrtes, & Nasamones. magnitudo est huic arbori, quæ piro; ligno color niger. expetitur ad tibiarum cantus, vnde & pro tibia plerunq; solet accipi. Politianus in Manto: Dant & multiforam modulanda ad carmina Loton. Eius radice fiebant olim cultelli & capuli. baccas profert. cariem non sentit. florem

amittit, cuius suauitate homines rerum omnium obliuisci dicuntur. Lotophagi populi nomen inde sumpserunt, quòd frequens apud illos reperiatur. Aquas amat. Mart lib. 4. Veteres eam Apollini sacram fecerunt, quòd ante solis ortum folia implicet, prosurgente autem explicet paullatim. Est & eiusdem nominis herba.

Malacra arbor est magnitudine oleæ, folio roboris, fructu caprifici. eius fructum Bedellium dicunt, quod est genus gummi.

Melia arbor fructum parit suauissimum.

Mespili arboris fructus vocatur Mespilum. Palladius: Mespilaq; exarmata pugnacibus horrida membris. Eius folia prius, quā decidant, rubescunt. multas habet radices altas & inextirpabiles. non fuit hæc arbor in Italia Catonis æuo. infestatur vermiculis ruffis & pilosis.

Morus arborum vltima floret, exacto iam frigore. vnde prudentissima vocatur à poetis. Politianus in Rustico: Mox vbi iam sapiens cœpit frondescere morus, Antè quidem sapiens, nunc ambitiosa, nec vllum Quæ pariat pomum, sed serica pensa ministrat. Fructus eius vocantur Mora, quæ quum prius alba essent, cruore Thysbes & Pyrami rubra facta sunt. Pontanus: Atque in sanguineam morus pòst versa figuram. Fructibus succus in carne vinosus, trini coloris, candibus primò, mox rubens, maturis niger. tingunt manus succo, maturi ruunt, acerbi minimè. serenda est hæc arbor ab idibus Februarij in æquinoctium. montes amat. tardissimè senescit, fructibus minimè laborans.

Myrrham arbusculam aromaticam habet Arabia, altitudine quinum cubitorum, cortice duro & intorto, guttis eiusdem nominis sponte stillantibus. Eius virtus est, vt corpora vindicet à putredine.

Myrtus baccas parit optimi saporis, amat litora. Virgil. lib. 4. Georg. Pallentesq; hederas, & amantes litora myrtos. Sacra est Veneri. odoratissima est in Ægypto. eius oleo inest quidam vini sapor. nobilitata est quali corona. crescit quandoque in locis planis. angusta sunt eius folia, quæ non decidunt. vita est breuissima.

Malobathros arbor est Syriæ, folio conuoluto, arido colo

re, ex quo exprimitur oleum ad vnguenta. sapor eius similis est nardo. hoc vnguentum vrinam cit. oculorum epiphoris vino expressum medetur.

Oleæ, seu Oliuæ arbori folia non decidunt. sacra est Mineruæ. nefas erat olim eam in profanis vsibus polluere, vt nec propiciandis quidem numinibus ex ea altaria accenderentur. ea coronabantur equitum turmæ, idibus Iuliis, & minoribus triumphis ouantes. fructus constat nucleo, oleo, carne, amurca. arbor ipsa tardè crescit. morsa capræ fertur sterilescere. immunis est à carie & vetustate. Conuenit inter auctores, arborem hanc durare annis ducentis. inimicissima est ei pluuia circa Vergilias. gaudet cinere & calcariis fornacibus. Fuit olim arborum maxima in Betica, auctor Plin. Vermiculationem paritur, & fungum. Rami eius portati olim præstabant indicium pacis. Virg. 8. Paciferæq; manu ramum prætendit oliuæ.

Ornus arbor montes amat. nascitur in saxosis montibus. procera est, & tamen infrugifera. rugosus & asper est eius cortex.

Rhamnus arbuscula est spinosa, gaudens saxosis locis, & petricosis. Architrenius: Nec simulat sparsa cristatam cuspide Rhamnum.

Platanus arbor latè spargit ramos. Sterilis est. nec ad alium vsum olim adamabatur, quàm vmbrarum, quibus adeò placuit, vt mero infuso enutriretur. hinc genialis vocatur à poetis. Stroza filius: Nec Veneris myrto, aut platanis genialibus vllam Indulget veniam. Sub ea celebrabantur conuiuia, nam Plin. scribit, Licinium Mutianum ter consulem sub vna fuisse epulatum cum XII. comite, & Caium principem sub alia cum XII. conuiuis. Poetæ fabulantur Iouem cum Europa sub platano concubuisse. non est alia maior eius commendatio, quàm solem æstate arcere, hieme admittere. Idem Plin. scribit Antandri Platanum circumdolatis iam lateribus reuiruisse, & vitæ fuisse redditam. Hæc arbor citò germinat. lata habet folia. iucunda est eius vmbra. erat in vsu apud Rom. in villa aut hortis vrbanis ad vmbras inambulationum, quæ ad otium litterarum primùm inuentæ sunt. Iuuen. Sat. 1. Frontonis

platani conuulsaq; marmora clamant. Martialis viduam vocat Platanum, velut sterilem lib. 3. vbi ait: Non otiosis ordinata myrtetis, Vidnaq; platano, tonsiliq; buxeto.

Pomus & Pomum vocabula sunt generalia. nam Poma dicimus omnium arborum fructus, siue molles, siue duros, esu idoneos. Nuces verò ea tantùm vocamus poma, quæ duro intenguntur operimento.

Prunus arbor Pruna pariens, quorum diuersa genera ponit Plin. sed omnium laudatissima sunt Damascena. Columella: Armeniisq; & cæreolis, prunisq; damasci Stipantur calathi. Pruna siluestria vbique nascuntur. aquoso sunt succo. arbor rarò crescit in montibus.

Pyrus arbor dicta est, quod ex lato in acutum feratur instar pyramidis. Crustumina pira cunctis gratissima sunt, proxima Falerno, à potu, propter copiosum succum. turbinata sunt figura, quibus eadem proprietas vini, quę & pomis. uinoso sunt succo. folia arboris circinatæ. ipsi arbori vita est admodum breuis. fructus facilè perdit. nascitur quandoq; in montosis locis. Piri siluestres tarde germinãt.

Pala arbor est maior Pomo, & suauitate præcellentior, cuius fructu (qui Ariena dicitur) sapientiores Indorum viuunt. folium alas auium imitatur longitudine trium cubitorum, latitudine duum. arbor ipsa fructum è cortice mittit admirabilem succi dulcedine, vt vno quaternos satiet.

Paliurus, arbor est fructuosa. cui Cyrenaica regio suam postponit Loton. eius nucleus non simul manditur, iucundus per se, & vino suauior. germinat concepto vere.

Palmis abundat Indæa. reperiuntur etiam in Europa, sed steriles. in maritimis Hispaniæ fructum ferunt, sed immitẽ: dulcem in Africa, sed statim euanescentem. Orientales ex his vina conficiunt, & non nullæ gentes panem. terra fertida & fabulosa habet frugiferã palmam. gaudet & riguis. coma eius est in cacumine, & pomum non inter folia, sed inter suos ramos. folia cultrato sunt mucrone, lateribus in se bifidatis. huic arbori est vterq; sexus, vt omnibus aliis. mas in palmite floret, femina citra florem germinat tantùm spinæ modo. Pomum palmæ est oblongum, non vt oliuæ or biculatum. arbor portat in trimatu. Genera eius XLIX. non

nulli posuerunt. fructui dulcis est succus, nullum lignum. arbori folia non decidunt. longum esset in compendiũ quo que redigere, quod de ea multis admodum verbis scripsit Plin. propterea satis erit nobis vnum adiicere, quod ex Aristorelis & Plutarchi testimonio scribit Gel. lib. 3. cap. 6. Si super palmæ arboris lignum (inquit) magna pondera imponas, ac tam grauiter vrgeas, oneresq;, vt magnitudo oneris sustineri nequeat, non deorsum palma cedit, nec intrà flectitur, sed aduersus pondus resurgit, & sursum nititur, recuruaturq;. propterea in certaminibus palmam signũ esse placuit Victoriæ, quoniam ingenium eiusmodi ligni est, vt vrgentibus, præmentibusq; non cedat.

Persicus, nomen sumpsit à Perside, vnde primùm aduecta est. hæc arbor in Rhodo floret, nec fructum parit.

Pinus arbor non floret. folia habet capillata, quę non decidunt. firmissima est aduersus cariem & tineas. vmbra eius necat germina. sterilescit, si quis cacumen auferat; nec tamen emoritur. eius erucæ vocantur Pytocampæ. excisa nullam remittit sobolem, sed prorsus emoritur. propterea Cræsus (vt est apud Herodotum in Erato) minabatur se extirpaturum Lampsacenos spini in morem.

Pinaster vocatur silũestris Pinus muri altitudine, & à medio ramosa, sicut Pinus in vertice. copiosam parit resinam. folia non amittit. ea sunt prætenuia, & mucrone aculeata.

Picea arbor est feralis, & funebri indicio ad fores ponit solita. vnde Virgilius de tumulo Miseni loquens ait: Procumbunt piceæ, sonat icta securibus Ilex. Tonsilis est, & resinosa: montes amat: non floret. eius vmbra satis perniciosa est. cortex eius vsui est agrestibus ad vasa & corbes. folia sunt instar pectinum.

Populi tria sunt genera, teste Plinio, Alba, Nigra, & quæ vocatur Libyca, folio minima ac nigerrima. Alba folio bicolor, supernè candicans, inferiore parte viridi. Nigræ, folia sunt circinatæ rotunditatis in iuuenta, vetustiora fiũt angulosa. Populorum foliis gratissima est lanugo. Fluuios amant. Virg. Populus in fluuiis, abies in montibus altis. Sacra est Herculi. pediculus ei tremulus, vmbra nulla, folia inter se trepidantia. cito germinat, nullum semen aut fructum parit. placet vitibus, vtilis est scutis faciendis.

Rhododaphnes arboris folia veneno sũt quadrupedibus, homini verò contra serpentes præsidio, ruta addita, & è vino pota. Pecus etiam & capræ, si aquam biberint, in qua ea folia maduerint, mori dicũtur. Arborem hanc sunt qui Nerium vocent, sempiternum fronde, rosæ similitudine & cauli bus fruticosum.

Ricinus arbor est altitudine oleæ, caule ferulaceo, folio vitium, semine vuarum gracilium & pallidarũ. frequẽs est in Ægypto.

Ridica arbor est pedamentis apta.

Robur arbor est glandifera, quæ præter fructum plurima alia gignit, vt quædam veluti mora, quibus fructus inest nucleis oliuæ similis; item pilulas nucibus nõ absimiles, intus habentes flocculos molles, lucernarum luminibus aptos: nam sine oleo flagrant. gignunt & culices, & quædam alia. Montes amat. folia habet sinuosa. terna edit germina, & inter squamas corticem spargit. carnosas habet radices, quas in profundum agit. Teredines patitur. durissima est arborum. non facilè vetustatem sentit aut cariem.

Salsicortex arbor est glandis amaræ, quam nullum animal contingit præter sues.

Salix arbor est viminosa, & multis perticis se surrigens. infructuosa est, & infrugifera, amaro cortice. Virg. Florentem cytisum, & salices carpetis amaras. Plicatilis est, lenta, colore glauco, ventis agitabilis. amat litora, & humida loca. Ouid. Amnicolæq; simul salices & aquatica lotos. Columella aptissimo epitheto eam vocat Perticalem, dicens: Perticalis fere salix eundem agrum, quem viminalis desiderat, melior tamen riguo prouenit, atq; ea talcis conseritur. quum germinauit, ad vnam perticam summittitur. pampinatur instar vineæ, vt in longitudinem porius, quàm ramorum latitudinem euocetur: sic culta quar to cæditur anno & vinculis præparatur: absciſſa cito repullat: mutationem loci facilè patitur in iuuenta: semen ocyssimè perdit, & ante maturitatem, ob id dicta ab Homero frugiperda: citò germinat: longa sunt eius folia, & non multum lata. quum flauescunt, ruunt sua sponte. eius fe-

men mulieri sterilitatis medicamentum est. lentissima est, & propterea faciendis scutis aptissima. auctore Plinio breuis ei vita. Fructus ante maturitatem abit in araneam. sed si prius colligatur, sanguinem reiicientibus prodest. Varia sunt ex ea medicamenta. cinis corticis è ramis primis clauum & callum aqua mista sanat. vitia cutis in facie emendat magis admisto succo suo, qui triplex est. folia cocta cum cera trita imponuntur podagricis. cortice & foliis in vino decoctis sanantur nerui. Flos tritus cum foliis furfures purgat in facie. folia contrita & pota, intemperantiam libidinis coercent, & in totum auferunt vsum sæpius sumpta. alio nomine vocatur Siler. Virg. Sponte sua veniunt, camposq; & flumina latè: Curua tenent, vt molle siler, lentæq; genistæ.

Spinus arbor est prunifera. Virg. -& spinos iam pruna ferentes.

Sycomorus dicitur ficus fatua nomine Marisca. habet multitudinem lactis. fructus non egreditur ex summitatibus ramorum, sed ex ramis ipsis. grana eius sunt minora granis ficuum: nec maturescunt nisi radantur instrumento ferreo. frequens est apud Rhodum locis frumentariis.

Sambuco plurima est medulla. ocyssimè floret. eius interiora mirè firma esse traduntur, ita vt venabula ex ea præferantur omnibus. constat ex cute & ossibus. cæditur tempestiuè quum decorticatur. cortice est inextricabili, & carie subnascente ei, materiaq; nigrescente. numeratur à Plinio inter eas, quæ faciendis scutis aptæ sunt.

Smilax arbor hederæ similis, spinosa & densis caulibus tota genibus, fruticosa ramis, folio hederaceo, paruo non anguloso, flore candido, & lilium olente. fert racemos instar labruscæ, colore rubro. lugubris est ob eiusdem nominis virginem, quæ amore iuuenis Croci in hunc fruticem mutata est. ea fiunt codicilli. admota auribus leuem sonum reddit.

Sorbo folia vniuersa decidunt: infestatur vermiculis ruffis & pilosis, & ita emoritur. gaudet aquosis montibus.

Suber minima est arbor, cuius lignum, non solùm non mergitur aquis, sed aliis quoque rebus alligatum, facit, ne mergantur. hinc adagium, Subere leuior. vsus eius anchoralibus nauium, piscantium tragulis, & cadorum obturamentis, & in hiberno feminarum calceatu. apud nos vtuntur etiam viri. folia non decidunt. non facilè sentit vetustatem aut cariem. iuuatur detracto cortice, quod tamen omnibus ferè, arboribus exitiale est. lignum forammosum est, & leue. Politianus: Multiforumq; replent operosa examina suber.

Taxus similis est abieti. baccas profert venenatas, præcipuè in Hispania. hinc plerique Toxicum dictum arbitrantur, vt taxicum, mutata littera. Claudianus: Qualis pestiferas animare ad crimina taxos. Feralis est. Ouid. lib. 4. Est via decliuis funesta nubila taxo. Eius fumo necantur apes. Est in Arcadia adeò venenata hæc arbor, vt si quis sub ea dormiat, aut capiat cibum, protinus emoriatur. Plinius ait esse innoxiam, si in ipsam clauus æreus infigatur. Ea pastæ apes mel conficiũt amarissimũ. frequens est in Corsica. Virg. Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos.

Tæda arbor liquorem, seu picem stillat, & abundæ liquido succo. ea optimæ fiunt faces, quæ propterea Tædæ vocantur, vt Ceres tædifera, quòd in perquirenda Proserpina tædas inflammauerit. Ouid. libr. 3. Fast. Quos cum tædifera nunc habet ille dea. Grata erat flammis, & lumini sacrorũ. hãc mares dũtaxat ferebãt. montes amat.

Terebinthus arbor soliditatem habet in speciem buxi. Resinam emittit odoratam, quæ inde vocatur Terebinthina. Mascula est sine fructu. Feminarum duo sunt genera. alteri fructus rubet lentis magnitudine, alteri pallet. Frequens est & magna in Syria. fruticosa in Macedonia. lenta eius materies & fidelis ad vetustatem. lignum nigri splendoris. flos racemosus oliuæ modo. densa folia, quæ non decidunt. fert folliculos emittentes quædam animalcula ceu cicadas, & lentorem resinosum, qui cortice erumpit. mellibus reddit semen.

In Tilia mas & femina differunt. materies maris dura est, nodosa, ruffior, & odoratior. cortex crassior & detractus inflexibilis. nec semen fert aut florem, vt femina, quæ crassiore arbore materia candida præcellensq; est. succus folio-

rum & corticis dulcis est. fructus eius nullum animalium attingit. Inter corticem & lignum tenues habet tunicas multiplici membrana, è quibus vincula fiunt, quę vocantur tiliæ, quorum tenuissimum vocatur Phylira. Horatius: Displicent nexæ Phylira coronæ. Materies teredinem non sentit. proceritas ei permodica, verum vtilis. montes amat. erat quondam apta scutis. germinat paullò ante æqui noctium. mollissima est & calidissima, quia citissimè ascias retundit. de hac Virgilius: Nec Tiliæ leues, aut torno rasilæ Buxum.

Vnedo arbor fructum emittit eiusdem nominis similem fragis, sed inhonorum: qui vnus tantùm mandi potest. vnde inditum arbori nomen. ei folia non decidunt. fructus ipse anno matureſcit. Iuba apud Plinium testis est, esse in Arabia vnedones quinquaginta cubitorum altitudine.

Vlmus amica est vitibus. Pontanus: Tecum inter salices, sub amicta vitibus vlmo. Græci duo eius faciunt genera, Montosam, quæ sit amplior; Campestrem, quæ fruticosa. gummi profert. semen eius vocatur Samara. folia eius sunt ramulosa. cito germinat. rigorem fortissimè seruat, ob id cardinibus, assamentisq; portarum vtilissima.

De variis arboribus meminit Virg. lib. 1. Georg. Flumi nibus salices, crassisq; paludibus alni. Nascuntur steriles saxosis montibus Orni. Litora myrtetis lætissima, deniq; apertos Bacchus amat colles, Aquilonem & frigora taxi. Item Ouid. lib. 10. Et Statius lib. 6. Theb. Et Claudianus lib. 2. de Raptu.

Porrò arborum succi varii sunt: vinosus Pomo, Piro, Myrto: pinguis Oliuæ, Lauro, Nuci, Iuglandi, Amygdalis: dulcis Vuis, Ficis, Palmis: aquosus, Prunis.

Differũt & colore succi: sanguineus Moris, Cerasis, Cornis, Vuis nigris; albis candidus; lacteus in capite Ficis, in corpore non item; spumeus Malis, nullus Persicis.

Ferales arbores sunt Picea, Taxus, Cupressus.

Veteres eas arbores vocabant Infelices, quæ sunt in tutela inferum deorum: vt quæ baccam nigram, nigrosq; fructus ferunt. Cato Infelices vocat arbores infrugiferas. Plinius Damnatas religione, quæ neque seruntur vnquam, nec

fructum ferunt.

Felices verò putantur Quercus, Æsculus, Ilex, Sapinus, Fagus, Corylus, Sorbus, Ficus alba, Pirus, Malus, Vitis, Prunus, Cornus, Lotos.

Arbores montanæ sunt, Cedrus, Larix, Tæda, Abies, Robur, Castanea, Tilia, Ilex, Iuniperus, Terebinthus, Populus, Ornus, Cornus, Carpinus. montes & ualles amant Abies, Robur, Castanea, Tilia, Ilex, Cornus. aquosis montibus gaudent Acer, Fraxinus, Sorbus, Fagus, Carpinus.

Folia non decidunt Oleæ, Lauro, Palmæ, Myrto, Cupresso, Pinis, Hederæ, Rhododaphnæ, Abieti, Larici, Pinastro, Iunipero, Cedro, Terebintho, Rubo, Ilici, Aquifolio, Suberi, Taxo.

Aquas odere Cupressi, Iuglandes, Castaneæ, Laburnũ.

Cariem & vetustatem non sentiunt Cupressus, Cedrus, Hebenus, Lotos, Buxus, Taxus, Iuniperus, Oleaster, & Olea.

Arboretum, Quercetum, Vepretum, Dumetum, Oliuetum, Pinetum, Senticetum, Carectum, Æsculetum, Baxetum, Populetum, Salictum, Vepretum, Lauretum, Myrtetum, Mespiletum, Ornetum, Rhamnetum, vocantur loca, in quibus crescunt eiusmodi nominis arbores.

ARBORES DEORVM, ET DEARVM.

POpulus, Herculis: Virg. in Bucol. Populus Alcidæ gratissima, vitis Iaccho, Formosæ myrtus Veneri, sua Laurea Phœbo. Plin. lib. 12. Arborum genera nominibus suis dicata perpetuò seruantur, vt Ioui Æsculus, Apollini laurus, Mineruæ olea, Veneri myrtus, Herculi Populus.

Bacchi arbor Vitis, & etiam Hedera. de Vite, auctor opuscoli de nuce: Sæpe tuas igitur Liber miratus es vuas, Mirata est oleas sæpe Minerua suas. De hedera Ouidius lib. 3. Fast. Cur hedera hæc cincta est? hedera est gratissima Baccho. Ferula etiam assignatur Libero patri. teste Plinio.

Veneris arbor est Myrtus. Virg. lib. 5. de Æenea: Sic fa

tus velat materna tempora myrto. Venus apud Statium l. 1. Sil. Maluit & noſtra laurum ſubtexere myrto.

Apollinis, Laurus, & Lotos. Virg. in Battarum: Laurus item Phœbi decus. Apollo apud Ouid. lib. 1. Met. Daphnem alloquens: at quoniam coniunx mea non poteſt eſſe, Arbor eris certè dixit, mea: ſemper hebebunt Te coma, te citharæ, te noſtræ laure pharetræ. Veteres quoque Loton Apollini ſacram fecerunt, quòd ante ſolis emerſum ſua folia implicet, proſurgente autem ſenſim ac paullatim explicet.

Æſculus & Quercus, Iouis. De Æſculo Virg. libro 2. Georg. nemorumq; Ioui quæ maxima frondet Æſculus. De quercu Ouid. lib. 1. Met. Et quæ deciderant patula Iouis arbore glandes. Item lib. 7. Sacra Ioui quercus de ſemine Dodonæo.

Mineruæ, Oliua. Virg. lib. 2. Georg. Palladia gaudent ſilua viuacis oliuæ. Ouid. lib. 6. Met. Illic incumbens cum palladis arbore palmæ.

Cybeles, arbor Pinus. Cybele apud Virg. lib. 9. Pinea ſilua mihi multos dilecta per annos. Ouid. lib. 10. Hirſutaque vertice pinus Grata deum matri.

Plutonis, Cupreſſus. Plinius lib. 16. de ea loquens: Diti ſacra, & ideò funebri ſigno ad domos poſita.

Pinus, Panos. Proper. lib. 1. Fagus & Arcadio pinus amata deo.

SILVAE.

HErcinia ſilua eſt Germaniæ, cuius quondam latitudo habuit iter nouem dierum. Plinius ait, in ſeptentrionali plaga eſſe Herciniam ſiluam roborum vaſtitate intacta, in qua colles occurſantium inter ſe radicum repercuſſu attollantur.

Carmon, lucus eſt in Meſſenia.

Nemea ſilua eſt Græciæ inter Cleonas, & Phliunthem oppida: in qua Græci Nemæa ſacra inſtituerunt in honorē Herculis, ob leonem ibidem interfectum. Ibidem etiam fiebant agones in memoriam Archemori filii Lycurgi regis, qui negligentia nutricis Hypſiphiles fuerat occiſus à ſerpente. De hac Mar. lib. 1.

Proſtratum Nemees, & vaſta in valle leonem,
Nobile & Herculeum fama canebat opus.

Ida ſilua eſt Cretæ, & Prygiæ, in qua Paris ſententiam tulit de pulchritudine dearum. De Cretæa Martialis lib. 4. Conſcia Dictæum qua tulit Ida Iouem.

Arſium, Plutarchus ait eſſe lucum, prope quem Arnus Tarquinii filius & Brutus vna concurrerint bello.

Liuius li. 8. ab vrbe condita de Ciminia, Etruriæ ſilua, hunc in modum ſcribit: ſilua erat Ciminia, magis tum inuia atque horrenda, quàm nuper fuere Germanici ſaltus: nulli ad eam diem ne mercatorum quidem adita. eam intrare haud ferè quisquam audebat.

Calidonia, ſilua eſt Britanniæ, à cuius nomine Britanni ipſi vocantur Calidonii. Luc. lib. 6. Calidonios fallit turbata Britannos.

Arduenna, ſilua Galliæ incipiens à Rheno per fines Treuerorum, Eburorum, & Menapiorum x. millibus paſſuum longitudine per mediam Belgicam in Oceanum tendit.

Albunea vetus fuit Etruſcorum ſilua, ad quam populus Romanus confugebat oraculorum gratia.

Prope Ariciam, oppidum Italiæ, fuit nemus Aricium, Dianæ ſacrum. Lucanus lib. 6. Parua Myceneæ quantum ſacrata Dianæ Diſtat ab excelſa nemoralis Aricia Roma.

Bacenis ſilua eſt Germaniæ ampliſſima, Cheruſcos à Suebis dirimens.

Clarium nemus Colophoniæ olim ſacrum fuit Apollini. Coricum erat propinquum Thebis.

Daunia, Apuliæ ſilua, nomē acepit à Dauno patre Turni. Poetarum carminibus laudatiſſima ſiluarum eſt Dodona Chaoniæ, cum propter vſum glandis ibi repertum, tum ob ſimulacrum Iouis Dodonæi, & columbas, quæ quercubus inſidentes reddebant oracula.

Pholoe, mons eſt, & ſilua Theſſaliæ.

Grynæum nemus eſt in Ionia Apollini ſacrū, in quo Moplus & Calchas de diuinandi peritia venerunt in certamen.

Idalium nemus eſt Cypri, Veneri ſacrum, quæ Idalia

propterea dicitur.

Hyrcania, silua miræ vastitatis, & multiplici belluarum genere referta, nomen dedit regioni eiusdem nominis.

Micana, silua Galliæ,

Marathonia, silua fuit in Attica, in qua Theseus taurum toti regioni formidolosum occidit.

Parthenium, nemus est Arcadiæ, in quo virgines solebant exerceri venationibus.

Pelion, mons & nemus Thessaliæ, ortu Chironis illustratum.

Tegæa silua Arcadiæ Pana deum rusticorum numen venerabatur.

LEGVMINA DIVERSA, & frumenta.

ERuum, Vicia, Cicer, Cicercula, Faba, Lenticula, Lens, Phaseolus, Pisum, Lupinum, Faba, Milium, Panicum.

Frumenta sunt & fruges, Far, Siligo, Triticum, Ador.

Frugum pestes Lolium, Tribulus, Carduus, Lappa, Rubus, Auena, Paliurus. Virg. Pro molli viola, pro purpureo Narcisso Carduis & spinis surgit paliurus.

FRVTICES DIVERSI.

CYtisus, Myrica, Capparis, Chamæmyrsine, Erica, Gnaphos, Gossipion, Helenium, Lacerpicium, Myrsinites, Ophiostaphyles, Oxymyrsine, Rhodostendrus, Scammonia, Tamarix, Tithymalus, Vlex, Amomum, Chamælæa, Charitoblepharon, Cynostraton, Elleborine, Epipactis, Eryx, Genysta, Opheostaphyle, Physcos, Pyrosachne, Pytusa, Plocamon, Quisquilium, Rubus, Saripha, Scorpio, Spartum, Thymelæa, Tragon, Lentiscus, Nardus, Cinnamum Scioton, Sisarum, Tragacanthe.

FLORES, ET VIOLÆ, ET alii frutices odorati.

ROsa, Lylium, Calta, Bacchar, Combretum, Lotos, Crocus, Hyacinthus, Abrotonum, Amaranchus, Saliunca, Polion, Ametystus, Cyamon, Holochrysos, Chrysitis, Origanum, Thymus, Coniza, Cytemis, Narcissus, Amaranthus, Epithymon, Oenanthe, Phrygma, Rosmarinus, Anethum, Acanthus, Anemona, Cherinæa, Ligustrum, Vaccinium, Conuoluolus, Cyanus, Cyclaminus, Sisymbrium, Tymbra, Satureia, Casia, Melilotos, Lyrium, Lichnis.

HERBARVM DIVERSA NOMINA.

ABsinthium, Aconitum, Aegolethron, Alcibiadiõ, Alga, Aloe, Altercum, Amygdalite, Anagyris, Anchusa, Andrachne, Anethum, Anthemis, Apium, Apiastrum, Asclepion, Asterium, Atractylis, Atriplex, Aruncus, Abrotonum, Acanthus, Achanon, Achemenis, Acinos, Acopon, Acoros, Acros, Agrios, Acta, Action, Adiantum, Adipsos, Aegilops, Aegocere, Aethiopis, Agaricum, Aglaphotis, Aizoon, Albucum, Alcanna, Alectorophos, Alypon, Alisma, Alysson, Alopecuros, Alsine, Altercangenum, Althea, Amomum, Ampelodisme, Amulum, Anabasis, Anagallis, Anacampsoretis, Anarrhinos, Aneriala, Androsæmum, Anemona, Anodyon, Anthalium, Anthericus, Anthillis, Anthriscum, Anthicellium, Antirrhinos, Aparine, Apate, Aphrodes, Aphrum, Apiosiscas, Apronia, Aproxis, Arachiona, Arachos, Archezostis, Arctios, Argemone, Aros, Arsenogonon, Artemisia, Asaron, Ascalonia, Asyla, Asphodelus, Asplenum, Assarum, Aster, Ateramnum.

Balis, Balotis, Batis, Batrachion, Bachion, Beta, Betonica, Blachnon, Blataria, Botrys, Brabilla, Bryenia, Bryon, Bromos, Brotis, Bubenion, Bucera, Bucolicon, Buphthalmos, Bupleurõ, Buselinũ, Bacuar, Barbula, Blattaria.

Cacalia, Cactos, Cacubalum, Calla, Calligonon, Cal-

lion, Callitrachia, Callithrix, Chamæcissos, Chamæleuce, Canaria, Cantabrica, Capnos, Capparis, Carduus, Caryte, Casia, Catannache, Caulis, Cemos, Centaurion, Centunculum, Ceratia, Cherintha, Cestros, Chalceos, Chamæacta, Chamæcissus, Chamædaphne, Chamælea, Chamæmilon, Chamæmirsyne, Chamæpeuce, Chamæpitys, Chamæsice, Chamæcyparissos, Chamædrys, Chamæleon, Chamæpithyos, Chamærops, Camæzelos, Chenamychon, Chenapodis, Chironia, Chondrylon, Chondris, Chrysippea, Chrysocome, Chrysochanon, Chrysotheles, Cyclaminus, Cicorion, Cicuta, Cinare, Cynocephalia, Cynoglossos, Cynoides, Cynomyaie, Cynomorion, Cynops, Cynosorchis, Cyparissias, Cyperus, Circea, Circion, Cytisus, Clemaeleonicion, Climenos, Cincon, Cnidos, Cochla, Colocasia, Combretum, Coniza, Consigilis, Consiligo, Corcorus, Cordylis, Coricon, Corymbia, Corymbite, Corion, Coris, Cotylendon, Cotonea, Crateogenon, Crategis, Cremon, Crepis, Crethinos, Crocus, Cunila, Cærefolium, Cannabis, Carduus, Carex, Carminothum, Carpophyllos, Centaurea, Chibis, Consolida, Corambla.

Dactylos, Damasomos, Dendroides, Digitellum, Dimenum, Diopteris, Diphonon, Dispiron, Dodechateum Dolychos, Dorypetron, Doris, Dracunculus, Dictamus.

Echite, Elaphoboscum, Eutomon, Ephedra, Ephemeron, Ephydros, Epictymum, Epimedion, Epipactis, Epipetron, Equisetis, Era, Erica, Erigeron, Erineon, Erinoge, Eriphia, Eris, Erisimone, Erisithale, Eritheles, Eruca, Erutia, Euphorbia, Exedum, Emphrasinum.

Farfigium, Felix, Fœnum, Fragum.

Gentiana, Glastum, Gnaphalium, Galeopodolon, Gallion, Gelotophyllis, Geranium, Glaucion, Glycistis.

Hali, Haliamon, Halicacabum, Helenium, Heliocallis, Heliotropium, Helioscopium, Helleborus, Hemionos, Heptapleuros, Heraclion, Herina, Hermerocalles, Heroion, Hibiscum, Hyoscyamus, Hioscyris, Hypericon, Hypocheris, Hypocisthis, Hypogessos, Hypolgloss, Hypophestoo, Hippolapathos, Hipposelinum, Hocus, Holo

chrysos, Holosteon, Hippuris, Hysge.

Iberis, Iris, Ischemon, Isoetes, Isopyró, Ixine, Ixion, Intibus.

Lactuca, Lada, Lago, Lassione, Latace, Lathyris, Lauer, Lemonium, Letophyllon, Leucanthe, Leucacata, Leucatenum, Leucographis, Libadion, Libanotis, Lingula, Lotos, Lapsana, Lectipes, Leonina, Leontopetalon, Leocopodium, Lilium, Linoystois, Linostrophon, Lithoron, Lolium.

Magyderis, Malua, Marathrum, Massaris, Mastos, Mecon, Melanipodion, Melanion, Melilotos, Melitena, Menta, Mentastrum, Mesoleucon, Myagros, Myoctonon, Myopsionon, Myosoton, Myrsinite, Myrtis, Moly, Molybdena, Mollon, Marrubium, Medica, Mellealotos, Mandragora, Muratis, Muscus, Myrtopetalum.

Nasturcium, Nautea, Neutris, Nepentes, Nepete, Nyctegreton.

Ocymum, Oenanthera, Oetum, Ononis, Onopyxos, Onopordon, Onosma, Orchis, Orto, Oreoselinum, Osyris Oxalis, Oplicys, Origanum, Oseritas, Olus.

Paliurus, Panaces, Papauer, Parietaria, Partenis, Pentaphyllon, Perditium, Personata, Peruinca, Petroselinum, Pseleos, Pycostallassion, Piperites, Plantago, Polygalon, Polygonaton, Polypodion, Polytricon, Portulaca, Pseudocasia, Pulegium, Pyretrum, Pæderos, Pæonia, Panax, Pancration, Pappus, Paralius, Pentapetes, Peplion, Periclymenos, Petilium, Phernion, Phylantes, Phlox, Phoenos, Picris, Pistana, Polemonia, Polycantos, Polygonon, Polium, Polypodion, Polytricon, Potamogeton, Poterios, Pseudanchusa, Psyllion, Pteris.

Radicula, Raphanus, Regia scopa, Rhexia, Rhodora, Rhus, Rhopalos, Rubia, Ruscus, Ruta.

Saliunca, Saluia, Sampsucus, Sandix Sanguinaria, Sardoa, Saturea, Satyrion, Scandulaca, Scandis, Scorpiuros, Sedum, Serpillum, Syderion, Sideritis, Sili, Silicia, Sinapis, Sifer, Sparton, Stygmon, Sympherium, Sabina, Sacopenium, Sagapenum, Sagitta, Samolum, Sandix, Sarapias, Saxifragum, Scylla, Scythice, Seraphium, Sesama, Sici-

ion, Syce, Silybum, Silphion, Syrum, Sisarum, Sparta nia, Splenion, Stachys, Staphylinos, Stommatice, Strichnó Strumea.

Thaptia. Thelictonon, Teucria, Teuthrion, Thelygonos, Thelypteris, Theristaba, Thesion, Thlaspe, Thymus, Thymbra, Thysselium, Tithymalus, Triorchis, Tragopogon Trichomanes, Trifolium, Trientalis, Tragonia.

Veratrum, Vrbena, Verrucaria, Vitreolum, Vnicaulis, Vrtica, Vlua, Xiphion, Zoophthalmos, Zopyrocheron.

COCI.

PHyrnis Lesbius coquus fuit Hieronis Syracusani, datus postea Aristoclidi.

Mystillus, & Taratalla nomina sunt coquorum apud Martialem scribentem: Si tibi Mystillus coquus Æmilianę vocatur, Dicetur quare non Taratalla mihi.

Perdix fuit caupo quispiam claudus, qui sequenti prouerbio locum fecit, Perdicis crura, in homines distortis cruribus.

VESPILLONES.

DIaulus nomen est Vespillonis apud Martialem lib. 1. scribentem: Chirurgus fuerat, nunc est vespillo Diaulus.

Plutarchus in Phocione ait Cymonem fuisse quendam inter Athenienses homunculum, qui in tumulandis efferendisq; cadaueribus quæstum faceret. is interfectum Phocionem accepta mercede in Eleusinam deportauit.

Sunt autē Vespillones tumulatores cadauerum, qui mortuos efferunt ad sepulcrum. Suetonius de Domitiano loquens: Cadauer eius populari sandapila per vespillones exportatum. Aliter dicuntur Libitinarij, & Sandapilarij.

CArpophorus mango fuit temporibus Domitiani, alius ab illo venatore, de quo scribit Martialis, Est quota Carpophori portio fusus aper.

Thoranius fuit mango, qui vendidit Marco Antonio duos eximia forma pueros, alterum Asiaticum, alterum Gallicum, vt geminos & vterinos, tanta erat formæ vnitas & similitudo. De eodem sic ait Macrobius: Delectatus erat Augustus inter cenam symphoniacis Thoranij mangonis, atq; eos frumento donauerat. Meminit & Suet. Qui matresfamilias, inquit, & adultas ætate virgines denudarent, atque perspicerent, tanquam Thoranio mangone vendente. Erant autem mangones seruorum & puerorum liberali forma diuenditores, quibus moris erat medicamentis puerorum venalium paupertatem & barbam coercere, vt formosi semper apparerent. hoc autem faciebāt Hyacinthi radice bulbacea, quæ vino dulci illita non patitur pilos erumpere. Mangonium, vocatur ipsum mangonis artificium. Plin. Nec tamen in hoc mangonio quidquam totum placet.

Alphenus nomen est sutoris apud Horatium lib. 1. Serdicentem: Vt Alphenus vafer omni Abiecto instrumento artis, clausaq; taberna Sutor erat sapiens operis.

Cadmus fuit quispiam notæ impietatis carnifex. Horatius: Tunc Syridamæ, aut Dionysi filius audes Deiicere à saxo ciues, aut tradere Cadmo?

Apud eundem Lycinus nomen est tonsoris, vbi in arte scribit: Si tribus Antyciris caput insanabile, nunquam Tonsori Lycino commiserit.

Fuit Diadumenus pincerna Augusti. Secundus (id proprium est viri nomē) pincerna Nicomedis regis Bithyniæ. Ganymedem poetæ faciunt Iouis præguſtatorem.

IANITORES.

BVtes armiger fuit Anchisæ & Ianitor. Virgilius libro 9. -forma tum vertitur oris Antiquum in Butem, hic Dardanio Anchysæ Armiger antè fuit, fidusq; ad

limina custos.

Cerberum poetæ fingunt esse custodem & ianitorem inferorum. Virgil. lib. 8. Æn. Te Scygij tremuere lacus, te ianitor Orci.

Ammianus Marcellinus ait Eunum fuisse Ergastularium quendam, qui ductauerit in Sicilia fugitiuos.

PASTORES, ET ARMENTARII.

TAmburlanus, primùm fuit bubulcus: demum tamen adeò fauentem reperit fortunam, vt ad imperium Scytharum conscenderit.

Apollo, priuatus deorum ambrosia ob interfectos Cyclopes, pauit armenta Admeti regis Thessaliæ. Tibul. lib. 2. Pauit & Admeti tauros formosus Apollo.

Crathis, seu Crathides, pastor fuit apud Sybarim, quem infando amore capræ exarsisse iam diximus.

Sybotes, fuit Suarius, qui Vlyssem profugum & iam suis ignotum, in patria deduxit.

Primislaus, è buculco factus est Bohemorum rex.

Actius Nauius, augur clarissimus, ob paupertatem sues puer pauit. auctor Cicero lib. 1. de Diuinatione.

Alsus, nomen est pastoris apud Virg. lib. 12. scribentem: Sic rigido latus ense ferit, Podalyrius Alsum Pastorem.

De Amynta pastore Martialis lib. 11. Indulget pecori nimiũ dũ pastor Amyntas, Et gaudet fama luxuriaq; gregis.

Tytornus, fuit bubulcus mirandæ fortitudinis, qui cum Milone certauit.

Mirmillo, fuit armentarius, cuius similitudo obiecta est Cassio Seuero celebri oratori. Testis Plin. lib. 7.

Obares, fuit equiso, & armentarius Darij, cuius astu Darius ipse regnum Persarum assecutus est.

Faustulus, fuit pastor, cui Amulius dedit Romulum & Remum exponendos. aliis placet Faustulum eum fuisse, qui expositos nutriuerit. Plutar. in Romulo.

Euthycus, apud Suetonium nomen est Asinarij, vbi ait: Apud Actium descendenti in aciem asellus cum asinario occurrit. Homini Euthycus, Bestiæ Nicon erat nomen.

Mithridates, apud Herodotum nomen est pastoris, cuius vxor Spaco nomine Cyrum infantem (qui postea rex fuit Mœdorum) ab Astyage deuotum feris, aluit.

Daphnis, fuit pastor, qui carmen Bucolicum reperit.

Gyges, beneficio cuiusdam anuli rex è pastore factus est. auctor Cic.

Sophi, (qui postea rex fuit Turcarum) in agendis armentis victum puer quæritauit.

Philetius, fuit bulbucus Vlyssis, & Eumeus porcarius: de his intelligit Ouid. in Epist. Vlyssis: Hoc faciunt custosq; boum, longæuaq; nutrix, Tertius immundæ cura fidelis harꝫ.

Tilippus, fuit pastor, qui Lycastum & Partusium à Philonomia matre expositos, educauit. auctor Plutar:

CRVDELISSIMI HOMINES.

LVcius Sylla, Romam & vniuersas Italiæ partes ciuilis sanguinis fluminibus inundauit. quattuor legiones contrariæ partis, misericordiam implorantes, obstruncari iussit. Prænestinos (qui iuniorem Marium receperant) post factam P. Cethego deditionem extra mœnia iussit occidi, & eorum corpora per agros spargi; qua immanitate periernnt quinque millia hominũ. quattuor millia & septingentos diræ proscriptionis edicto iugulatos in publicas tabulas referri voluit, ne tanti facinoris deleretur memoria. virorumq; cædibus non satiatus sæuiit in mulieres. abscisa miserorum capita afferri sibi iussit, vt, dero illo aspectu satiaretur feritas. M. Marium prætorem non prius vita spoliauit, quàm oculos eidem erueret, & singulas corporis partes cõfringeret. M. Plętorium (quòd ad supplicium Marij exanimis cecidisset) mactauit protinus. C. Marii erutos cineres, in Anienem sparsit.

C. Marius, vrbe potitus post exsilium, cum Cinna, Carbone, & Sertorio statim ad cædem principum animum conuertit. Octauii consulis caput exposuit pro rostris. Antonii consularis caput mensis appositi. Cæsarem & Fimbriã in penatibus domorum suarum trucidauit. Crassi pater &

filius in mutuo alter alterius aspectu iugulati sunt. Bebius & Numitorius per medium forum vncis carnificum tracti sunt. Catulus Lutatius hausti carbonibus hostili se exemit ludibrio. Archarius & Merula flamen dialis confossi sunt. quæ omnia feritatis exempla à Ianuarii kal. intra Idus absoluit.

Damasippus, homo nulla præditus virtute, nobilissimos ciues (qui Syllanis partibus adhæserant) inter victimas tanquam belluas crudeliter enecauit. Aruinæ tribuni plebis truncum in sublime elatum per ora vulgi deferri iussit, tandem à victore Sylla obtruncatus.

Numatius Flaccus, Pompeiani nominis defensor, obsessus à Cæsare in Hispania, & inclusus Attinguensium mœnibus, omnes eius oppidi ciues (quos Cæsari studere intelexerat) iugulatos è muris præcipitauit. feminas quoque virorum (qui in contrariis erant) cum liberis interfecit, alios infantes in conspectu parentum humo infixit, alios superiactos pilis excipi iussit.

Carthaginienses Atilium Regulum palpebris antè resectis in machina referta aculeis concluserunt, ibiq; inaudito mortis genere necauerunt. Claudianus: Prorogat æternam feritas Punica palmam Regule. Interfecto demum duce, milites fundo nauium substratos necauerunt.

Horum dux Hannibal, pontem humanis cadaueribus in Gelo flumine constructum, superq; exercitum traduxit. Ouidius in Ibin: Vt quos dux Pœnus mersit putealibus vndis, iacto canas puluere fecit aquas. Idem Hannibal captiuos Romanorum itinere fessos prima pedum parte succisa relinquebat in itinere: quos verò in castra perduxerat, ferro cogebat decernere, paria fratrum & propinquorum iungens. nec antè explebatur feritas, quàm ad vnum victorem omnes redegisset.

Mithridates, rex Ponti vna epistola x c. millia Romanorum per Asiam dispersa mandauit interfici.

Cysenis, filia Diogiridis Thraciæ regis, viuos homines dissecabat medios, & parentibus comedendos apponebat liberos.

Ptolemæus Phisco, rex Ægypti, filium suum Memphitè

(quem ex Cleopatra vxore eadem & sorore substulerat) occidi iussit. interfecti demum præcisos pedes, caputq; & manus cista conclusos pro munere natalitio matri misit. Idé quum animaduerteret se suis omnibus odiosum esse, vt periculo posset obsistere, frequens iuuentute gymnasium armis & igni circumdedit, inclusosq; omnes partim ferro, partim flamma necauit.

Darius, rex Persarum constitutus, quum populo iureiurando affirmasset se nullum ex septem principibus (qui cõiurauerant aduersus Magos) veneno, ferro, aut inedia oppressurum, vt religione solutus videretur, locum parietibus cinxit cineribus plenum, superq; suspensum imposuit lignum, cui principes ipsos benignè cibo & potione excepros incidere iussit, vt somno sopiti decciderent in insidiosos illos cineres.

Ochus Artaxerxes Ocham sororem, eandem & socrum, uiuam capite defodit. patruum cum centum liberis & nepotibus telis imperauit transfigi, quòd in his maximam apud Persas probitatis laudem videbat consistere.

Athenienses, Aeginetis adolescentibus, nauticarum artium peritis, pollices præciderunt, ne in certamen nauale secum deinceps descenderent.

Excogitauit æneum taurum Perillus, quò inclusi subditis ignibus longo & abdito cruciatu mugitum bouis imitarentur, ne eiulatus similes humanæ voci Phalaridem tyrannum ad misericordiam inducerent. quod teterrimum artis suæ opus primus artifex inclusus expertus est. Ouidius in Ibin: Ære Perillæo veros imitere iuuencos, Ad formam tauri conueniente sono.

Etrusci, viuorum corpora, saniosis & tabidis mortuorum cadaueribus alligabant, ora oribus, manibus manus, & pedes pedibus componentes. feritatem hanc in Mezentio notat Virg. lib. 8. dicens: Mortua quinetiam iungebat corpora viuis Componens manibusq; manus, atque oribus ora. Tormenti genus, & sanie taboq; fluentes Complexu in misero longa sic morte necabat.

Scythæ exenteratis animalibus viuos homines includebant eminentibus solis capitibus, vt cibo capto diutius

languerent, viuerentque, donec putrefactis animalibus excrescerent vermes, à quibus consumerentur. præcedentia hæc exempla habet Val. Max.

Saul rex Iudæorum, audita ab aratro suorum hominum legatione de Hammonitarum iniuria querentium, bobus (quos præ se agebat) succidit crura, præfatus sic omnes perituros, qui sibi eodem die ad Iordanem fluuium præsto non essent in armis.

Abimelech, Gedeonis filius, regnandi cupiditate LXX. fratres crudeliter occidit, vno duntaxat excepto, qui fuga & pedibus salutem sibi reperit. Idem Sichimitas (quòd ab his vrbe & tribu eiectus fuisset) noctu adortus, omnes trucidauit, nulla sexus aut ætatis habita ratione. vrbem vi captam diruit, & in eius area salem sparsit pro semine. eos verò, qui spe salutis ad templa se receperant, facta lignorum congerie ibidem flammis & fumo necauit.

Athalia, feminarum sæuissima, omnem Dauidis stirpem sustulit, ne quis superesset à quo prohiberetur dominio.

Herodes, multa puerorum millia occidi iussit, vt auctorem nostræ salutis interciperet.

Vitoldus, princeps Lituaniæ, homines mortis destinatos mira crudelitate vrsinis includebat pellibus, eoq; modo inuolutos canibus dabat concerpendos. in bellici. expeditionibus arcum semper habebat intentum, vt ordine aberrantem sagitta configeret. Multi tantæ feritatis metu vltrò sine carnifice animas proiecerunt.

Ecelinus (qui circa Taruisium, & in Euganeis exercuit tyrannidem) castrabat pueros, stupro vitiabat virgines, matronis adimebat mammas, prægnãtum secabat vteros, partus exertos in ignem mittebat. bissena Patauinorum millia sub suo vexillo merentia ad vnum interfecit, audita Patauij defectione.

Diomedes, & Busyris, equos humana carne pauerunt. Virg. lib. 3. Georg. -quis aut Eurysthea durum, Aut illaudati nescit Busyridis aras? Ouid. lib. 3. de Trist. Sæuior ei tristi Busyride, sæuior illo, Qui falsã læto torruit igne bouẽ.

Phalaris, tyrannus Agrigentinorum, non contentus exquisitissimis cruciatibus, æneo vsus est tauro, quo miseri

mortales inclusi boum mugitus effingerent. Ouid. Ipse Perillæo Phalaris permisit in ære Edere mugitus, & bouis ore queri.

Cambyses, fratrem & duas sorores occidit. Apim boiem ferro violauit. captis inimicorum vrbibus, neque pepercit templis, neque simulacris deorum.

Alexander Pheræus, viuos homines obuersis in se facie bus sepeliebat, alios vrsorum pellibus inuolutos dabat confciendos venatoribus, & feris confodiendos. Polyphrahem aunnculum peremit hasta, quam sacrauit, & festa præcinxit corona.

Tamburlanus, Scytharum rex, nihil habebat iucundius, quàm animi feritatem humano cruore oblectare. cuidam roganti cur in omnes vsq; adeò sæuiret, toruo aspectu retortisq; oculis fertur respondisse, An tu me hominem putas, & non Dei iram potius, ad hominum perniciem in terris agentem?

Parysatis, mater Cyri iunioris, rationem commenta est, qua humana corpora sibi gignerent vermes, à quibus demum lenta morte consumerentur.

Septimius Seuerus imperator post Didium Iulianum Clodium Albinum tumultuantem interfecit, & capite eius Romam misso corporis truncum equo refugienti conculcandum præbuit.

Tullia, filia Tarquinij, currum super faciem mortui parentis duxit, equis etiam refugientibus. Ouid. lib. 6. fast. Filia carpentos patrios initura penates, Ibat per medias alta feroxq; vias. Corpus vt aspexit, lacrymis auriga profusis Reddidit, hunc tali corripit illa sono. Vadis, an exspectas pretium pietatis amarum? Duc inquam inuitas ipsa per ora rotas. Certa fides facti est, dictus sceleratus ab illa Vicus, & æterna res ea pressa nota est.

Romanus, Iunior imper. matrem Helenam à se reiecit, & sorores, quas ablatis imperialibus pannis inclusit cœnobio.

Huius filius nomine Basilius, imperator post Ioannem Zimiscem Bardam Silerum vnum ex suis ducibus rebellantem quum vicisset, oculis priuauit. Bulgaros tumultuan-

tes, quum in potestatem suam redegisset, quindecim millibus captis, oculos effodit, vno tantùm incolumi relicto, qui excæcatos ad Samuelem eorum ducem dirigeret.

Caligula, auiæ Antoniæ defunctæ, nullum exhibuit honorem, prospexitq; siccis oculis è triclinio ardentem rogum. fratrem Tiberium interemit. Sillanum socerum ad secandas nouacula fauces compulit. cum omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecit, easq; (quod est omnium longè turpissimum) exoletis suis prostrauit. Ptolemæum regis Iubæ filium consobrinum suum, item Macronem, & Enniam (quos habuerat imperii adiutores) pro meritorum gratia pessuit morte. multos ex senatoribus interfecit. quæstorem suum in coniuratione nominatum flagellauit veste detracta. multos honesti ordinis prius stigmate deformatos, ad munitiones viarum, ad metalla, aut ad bestias condemnauit, aut bestiarum more quadrupedes cauea coercuit, aut medios serra dissecuit: idq; ob leuissimam culpam, aut nullam potius. parentes supplicio filiorũ cogebat interesse, quorum vni valetudinem excusanti, lecticam misit. curatorem munerum & venationum, per continuos dies in conspectu suo catenis verberatum, non prius occidit, quam offensus putrefacti cerebri odore. comœdiographum quendam ob ambigui ioci versiculum igni cremauit in ipso statim amphitheatro. equitem R. obiectum feris quum se innocentem proclamasset, reduxit, abscissaq; lingua induxit rursus. quendam ab exsilio reuocatum, quum interrogasse, quidnam ibi facere consuesset, quum per adulationem hæc respondisset, Semper oraui, vt periret Tiberius, & tu imperares: capta ex eo verbo coniectura exsules suos mortem sibi imprecari, misit qui vniuersos contrucidarent. Præter facta, verbis vtebatur, feritatem immanem spirantibus. dicebat omnia sibi in omnes licere. Gallis Græcisq; aliquot vno tempore condemnatis gloriabatur Gallogræciam se subegisse. quos torquebat, minutis ictibus plecti iubebat, quò diutius languerent, addito etiam præcepto, Curate vt se mori sentiant. Iactabat & illud tragicum: Oderint dum metuant. optauit plerunq;, vt populus R. vnicam haberet ceruicem. quærebatur & dolebat sua tempora nullis calamitatibus publicis insigniri. optabat exercituum cædes, famem, pestilentiam, incendia, & hiatum aliquem terræ. Puteolis dedicatione pontis multos è litore ad se inuitatos omnes præcipitauit. quosdam gubernacula apprehendentes, scontis detrusit in mare. publico epulo seruum ob detractam lectis argenteam laminam carnifici confestim dedit, ut manibus abscissis & antepectus è collo pendentibus per cœtus epulantium circumduceretur, præcedente titulo, qui causam pœnæ indicaret. Mirmillonem secum rudibus certantem, sponte prostratum, confodit ferrea sica. admota altaribus victima elato malleo cultrarium mactauit. insistés Iouis simulacro quum Apellem tragœdum interrogasset, vter illi maior videretur, cunctantem flagellis discidit. vxorem vt amiculam quum osculabatur, addebat, Tam bona ceruix simul ac iussero, demetur. Hæc omnia ex Tranquillo.

Diocletianus paucis diebus XVII. millia Christianorũ variis suppliciis affecit.

Auidium Cassium Romani alterum Catilinam vocarunt, quòd cruoris esset cupidus. is inauditum & nunquam prius visum tormenti genus commentus est. trabem enim longitudine XXC. aut C. pedum infixam terræ erigebat, cui à summo ad infimas partes alligatos homines flamma & fumo suffocabat.

Macrinus imper. prodigiosi fuit animi in exhibendis supplicijs. nam geminos boues miræ magnitudinis aperiri iussit, hisq; milites singulos (qui ancillæ hospitis pudorem violasse ferebantur) incluſit, capitibus boum exectis, vt facilius vnà colloqui possent.

Maximinus imp. tam crudelis fuit animi, vt Cyclops, Busyris, Gyges, & Typhon diceretur. vnde sequentibus versibus eiusdem sæuitiæ illusum est. Et qui ab vno non potest occidi, à multis occiditur Tygris acerrimus est, & tamen occiditur. Caue multos, si singulos non times.

Irene imperatrix, vxor Leonis quarti, Constantino nato, filio suo in carcerem coniecto, oculos eruit, quòd ab ipso prius fuisset expulsa.

Domitius Nero, Domitii Ahenobarbi & Agrippinæ filius, matrem interemit. Octauiam & Sabinam Poppæam in

matrimonium duxit viris earum trucidatis, ipsasq; demum vxores dedit morti. Petro & Paulo vitam abstulit. Antoniã filiam Claudii, recusantem sibi nubere post Poppææ mortẽ occidit; item Aulum Plaucium iuuenem, quem ante mortẽ per vim constuprauerat. Rufum Crispinum priuignum Poppæa natum impuberem adhuc submersit. Tuscum nutricis filium relegauit. Senecam præceptorem ad necem compulit. Plerosq; libertos diuites & senes (quos semper fautores inuenerat) occidit. Cassio Longino iurisconsulto oculos effodit. Polyphago cuidam Ægyptii generis, crudam carnem mandere assueto, viuos homines laniandos obiiciebat, & absumendos. Populo & mœnibus patriæ nõ pepercit: urbem enim palàm incendit, quasi offensus deformitate veterum ædificiorum: quod incendium lætis oculis prospexit è Mecenatiana turri. inflammatis iam domibus nemini permisit ire ad reliquias rerum suarum.

Tiberius verò, tertius Romanorum imperator, testamẽtum matris pro irrito habuit. tres ex Germanico nepotes Neronem, Drusum, & Caium variis modis afflixit. Neronem ad mortem compulit, quum ei laqueos & vncos ostentaret carnifex. Drusum in ima palatii parte sublatis alimẽtis adeò macerauit, vt ille tomentum è culcitra tentauerit mandere. Exviginti viris patriciis (quos elegerat consilii causa) vix duos aut tres incolumes reliquit, ceteros diuersis causis necauit. Seleucum Grammaticum ad mortem cõpulit. Piscatori, qui sibi secretum aliquid agenti mullum inopinanter obtulerat, perfricari eodem pisce faciem iussit, & os locusta lacerari. militem prætorianum ob surreptum è viridario pauonem capite puniuit. Nullus à pœna hominum cessauit dies, ne religiosus quidem ac sacer. multos accusauit & damnauit cum vxoribus ac liberis suis. interdixit ne capite damnatos propinqui lugerent. nemini delatorum fidem abrogauit. pleriq; citati ab eo ad dicendam causam, partim se domi vulnerauerunt, partim in media curia venenum hauserunt: quos tamen colligatis vulneribus & semianimes in carcerem rapi imperabat. puniti omnes in Gemonias vnco tracti sunt. viginti vno die adiecti tractique nulla ætatis aut sexus habita ratione. virgines plerq; que

prius à carnifice vitiatæ, demum strangulatæ sunt. mori volentibus, vim adhibebat viuendi. mortem adeò leue supplicium putabat, vt quum audisset quendam Carnulium eã anticipasse, exclamauerit: Carnulius me euasit. Furiatus dolore quem ex morte filii sui Drusi conceperat, multos nulla causa interfecit. Rhodiensem hospitem, quem benignis litteris Romam euocauerat, vbi aduenit, torqueri iussit & occidit. Carnificinæ locum habuit Capreis, vnde damnatos post exquisita torméta præcipitari coram se in mare iubebat, excipientibus deorsum classiariis & cadauera remis elidentibus.

Domitianus multa crudelitatis exempla exercuit. discipulum Pantomimi puberem occidit, nullam aliam ob causam, quàm quòd magistro similis esset forma; item Hermogenem Tarsensem propter quasdam in historia figuras. interemit & multos senatores, in his aliquot consulares, vt Ciuicam Cerealem Asiæ proconsulem, Saluidienum, Orfitũ, Aciliũ Glabrionẽ, Ælium Lamiam ob suspicioſos iocos, Metium Pomposianum, quòd habere imperatoriam Genesim vulgò ferebatur, & alias quasdam ob causas leuiculas. præterea Sallustium, Lucullum Britanniæ legatum & Iunium Rusticum, philosophos omnes urbe, Italiaq; summouit. occidit & Eluidium filium, quòd sub persona Paridis & Oenones diuortium suum cum vxore tractasset. Flauium Sabinum, quòd eum præco non consulem, sed imperatorẽ salutasset. Aretinum Clementem consularem capitis condemnauit.

M. Antonius allatum sibi Ciceronis caput in mensa apponi voluit, perq; diem illud aspexit, quousque tali spectaculo animam exatiasset.

Eiusdem Antonii vxor Fuluia caput ipsum maledictis ac diris execrata est, demum insumens gremio suo apposuit, acriusq; inspiciens linguam illi è faucibus euellit: eamque frequenter confodit acicula, qua tunc ad ornamenta capitis vtebatur.

Vedius Pollio quum piscinas magno studio ac diligentia coleret, seruos suos occidebat, eosq; piscibus dabat in præda, vt hominum cruore pasti delicatiores essent.

Manlius Torquatus consul, dum cum Latinis bellum gereret, edictumq; esset, ne quis extra ordinem pugnaret, filium securi percussit, quòd à Genutio Metio, Tusculanorum equitum præfecto, lacessitus manum conseruisset, licet parta de hoste victoria.

Amalasuntha, mater Atalarici regis Gothorum, mortuo filio adiutorem sibi delegit Theodatum, à quo tamen in balneo strangulata est.

Claudius Cæsar (qui interfecto Caligulæ successit imperio) tormenta quæstionum, pœnasq; paricidarum repræsentabat, & exigebat palàm. gladiatores retiarios iubebat interfici, vt exspirantium faciem videret. bestiariis meridianisq; gladiatoribus adeò delectabatur, vt à prima luce ad spectaculum descenderet, & meridie dimisso ad prandiũ populo persederet.

Aulus Vitellius nobiles viros & condiscipulos omnibus blanditiis ad societatem imperii allicefactos vario genere fraudis occidit, & in his vnum veneno manu suo porrecto in aquæ frigidæ potione, quã is febre affectus poposcerat. portitorem quendam nulla penitus culpa interfici iussit, velle se dicens oculos pascere; duos item iuuenes patri supplicium auertere conantes. quendam equitem Rom. iugulari mandauit cum liberto; item plebeios quosdam, qui Venetæ factioni maledixerant. venit & in suspicionem matri venenum porrexisse, quòd audiuisset à Cata muliere vaticinatum diutisimè se imperaturum, si superstes parenti extitisset.

Aemilius Censorinus, Ægestæ vrbis Siciliæ tyrannus, multis muneribus eos prosequebatur, qui inauditum aliquod tormenti genus excogitassent. spe igitur lucri commotus quidam Aruntius Pateculus, equum ex ære fabricatum ei dono dedit. ille autem muneris auctorem primum ibidem conclusit, & emori fecit.

Achilles interfectum Hectora currui seu equinæ caudæ alligauit, & circum muros vrbis Troiæ ter exanimem pertraxit: demum venale cadauer expositum parenti Priamo. Virg. lib. 1. Æneid. Te circum Iliacos raptauerat Hectora muros, Exanimumq; auro corpus vendebat Achilles.

Scinis latro Corinthius, arbores complicabat, hisq; al-

ligabat hominum brachia, vt sublime redeuntes lacera membra discerperent. Proper. lib. 3. Arboreasq; cruces Scinis, & non hospita Graiis Saxa, & curuatas in sua facta trabes.

Atreus Pelopis filius vxorem habuit Meropem, quam quum stuprasset Thyestes frater, & grauidam fecisset, susceptos ex ea liberos Atreus decoxit & conuocato per speciem beneuolentiæ fratri apposuit comedendos. quod faci nus adeò Sol exhorruit, vt refugus matutinum repetiuerit cubile. vide Ouidium lib. 1.

Therodamas fuit nescio quis carnifex, qui leones pascebat humano sanguine. Ouid. in Ibin: Therodamantæos vt qui sensere leones.

Phineus, rex Arcadiæ, filios suasu secundæ vxoris exoculauit, propter quod facinus vltricem numinum vindictam passus est amisso paullò pòst visu. Ouid. li. 1. de arte: Quid fodis immeritis Phineu sua lumina natis.

Cleomenes, Lacedæmoniorum dux, ab Antigono victus profugit ad Ptolemæum, à quo benignè primùm exceptus est, demum tamen Nicagoræ cuiusdam calumnia suspectus regi factus est, & ab eodem excoriatus.

Arpiages fuit quispiam, qui filium comedit. Ouid. in Ibin: Vt puer Arpiagæ referas exempla Thyestæ, Inq; tui cæsus viscera patris eas.

Alphonsus tertius, rex Hispaniæ, quattuor fratribus oculos eruit.

Atelstanus, rex Angliæ, Edimum adolescentem in naugio sine remige fluctibus perdendum exposuit.

Sigiprandus, Arisprandi filius, & Longobardorum rex, Ariperto (quocum certabat) oculos eruit, vxoremq; eius naso auribusq; truncis dehonestauit.

Atila, rex Pannoniæ, vndecim virginum millia in expugnatione Coloniæ interfecit. fratrem Budam morti dedit. Aquileiam diruit.

Alboinus Longobardorum rex ex capite Cunimundi Gepidarum regis bello victi craterem sibi fecit.

Narses, Italiæ præfectus, Sindualdum Britonum ducem, armis domitum in trabe suspendit.

Boleslaus, tertius Bohemorum rex, Mosconi regi Polo-

niæ superato oculos eruit, vt etiam Odoalricus Boleslai frater alteri fratri Iamuro.

Tomyris Scytharum regina, quum Cyrum Persarum regem superasset, caput eius abscisum demersit in vtrem sanguinis plenum, eiq; his illusit verbis: Satia te sanguine, quem tantopere sitisti Cyre.

Totila, rex Gothorum, capta Roma tertiam partem murorum disiecit, Capitolium incendit, omnia diripuit: & tâta passim feritate debacchatus est, vt dei flagellũ diceret.

Dirce, Thebana mulier, vbi sensit Lycum maritum captum amore Antiopæ Nicteï filiæ, puellam tauri ceruicibus alligauit, suspensis à cornibus tædis ardentibus, vt bos tormento furiosior Antiopam ipsam per abrupta & scopulos tractam discerperet.

Clodomyrus, Clodouei primi filius, Sigismundum, filium Gundebaldi regis Burgundiæ, bello captum vna cum liberis & vxore in puteum coniecit.

Huius frater Childebertus Almaricum regem Gothorum sororis suæ Clotildis maritum obtruncauit, & Toletum vrbem (in qua ille se tutabatur) diripuit. duos item fratres Clodomyri filios simulata beneuolentia conuocatos interfecit.

Clotharius, horum duorum frater, & Clodouei filius, Conabrum ducẽ Britonum interfecit, & Crominum eius filium cum vxore & liberis igne cremauit.

Colomanus, rex Pannoniæ, Almo fratri oculos eruit.

Cambyses rex Parsarum blandè submonitus à Prexaspe domestico, vt ab ebrietate & potu nimio caueret, quòd id malum quandoque rationis vsum auferat, statim furore correptus filium eiusdem sagitta confodit. Idem Cambyses templa & leges ludibrio habuit, deorum simulacris illusit, reclusis conditoriis mortuorum inspexit cadauera. Amasis cadauer è monumento reuulsum verberibus cædi iussit, & omnibus probris affici, demum cremari. duodecim Persarum primores nulla penitus causa interfecit, viuos in caput defodiens.

Sapor, rex Persarum, quum Aurelianum imperatorem bello victum cepisset, equum ascensurus curuatos eius

humeros premebat suppedanei loco.

Eadem feritate vsus est Tamburlanus, rex Scytharum, in Bazaitatem principem Turcarum, quem bello captum caueis inclusit, & catenis vinctum, sub mensa instar canis iussit comedere, & mandere ciborum analecta.

Sanctius, quartus Hispaniæ rex, patrem suum Alphonsum decimum, è Garmania redeuntem, occupato regno non admisit. quattuor hominum millia trucidari iussit, quòd in tumultũ quodã Alphonsum fratris sui filiũ regẽ appellassẽt.

Egebertus Sicoberti filius, & post patrem Angliæ rex, fratris filios enecauit.

Ptolemæus Philopator, rex Ægypti, patrem, fratrem, & amicos ferè omnes interfecit.

Alphonsus primus, rex Lusitaniæ, matrẽ cõiecit in vinculã, quòd mortuo primo marito secũdas tentasset nuptias.

Hippomenes, Athenienſium princeps, Limonem filiam in adulterio deprehensam, equo feroci & famelico præbuit absumendam. Ouid. in Ibin: Solaq; Limone pœnam ne fenserit illam, Et tua dente ferox viscera carpat equus. Ortum est hinc adagium, Magis impius Hippomene.

Orodes, rex Parthorum, Mithridatem fratrem, quamuis supplicem, in conspectu omnium interfecit.

Ioannes Maria, dux Mediolanensis, quotidie nouo tormenti genere ciues opprimebat. idem matrem (à qua interim corripiebatur) in carcerem detrusit, & ibidem mori coegit.

Mamertes, Syſaphonis Corinthii fratris sui filios interfecit cupiditate dominandi.

Septimuleius excisum C. Gracchi caput liquato plumbo respersit.

Solebat Erix, filius Veneris & Butæ, hospites crudeliter enecare. hunc Hercules occidit. Martialis lib. 5. Et grauis in Siculo puluere fusus Erix.

Dionysius tyrãnus Marsiã quẽda interfecit, ea tãtùm causa, quòd is per quietem iugulare se Dionysiũ existimauerat.

Antonius Commodus, gladiatoriis cædibus adeò Romanum atriuit imperium, vt nomen gladiatoris vulgò meruerit. Idem, teste Lampridio, homines, qui

pedibus debiles forent, sagittis solebat conficere. clauâ multos etiam affixit, Herculem se fingens. sacra Mithriacâ homicidio polluit. irridentes se feris obiecit. eum, qui Tranquilli librum vitam Caligulæ continentem legerat, feris obiecit. si quis se mori velle prædixisset, hunc inuitum iubebat præcipitari. obæsi corporis hominem medio ventre dissecuit, vt eius intestina subito funderentur.

Cleomedes athleta Lachum Epidamnium ictu pugni interfecit, interfecti latera adaperuit, & iniecta manu intestina eduxit.

Termerus fuit quispiam, qui humana capita confringebat. hunc Hercules interfecit claua.

Othomanus, Turcarum princeps, anno salutis DCCCC XIII. Constantinopolim cepit. Constantini imperatoris mortui caput ad ludibrium palo affixit, & totis castris gestauit. mares & feminas illustres iugulauit, aut ad vsum nefariæ libidinis reseruauit.

Apteras fuit quispiam, qui patri testes eruit, & filios occidit. auctor Annius in Berosum.

Spendius fuit quidam Italici generis, Capua oriundus, qui captiuos in bello bestiis laniãdos obiiciebat. Polyb.

Orœtes Persa Polycratem Samiorum tyrannum affixit cruci. auctor Herodotus.

Xerxes maximum filiorum Pythij Bithonij hominis ditissimi, à quo tamen cum toto exercitu fuerat hospitio susceptus, medium dissecari iussit.

Thrax fuit quispiam, qui filiis suis omnibus oculos effodit, quòd neglecto patris mandato, Xerxem secuti, aduersus Græciam militassent.

Amastris Xerxis vxor, vxorem Masistæ Bactrianorum præsidis, excarnificauit. eius mamillas præcidit, quas obiecit canibus. item nares, aures, labra, linguam inhonestissimis deformauit plagis.

Creon tyrannus, militum in bello mortuorum cadauera vetabat sepeliri, & inhumari. hunc Theseus interfecit. Ouid. in Met. prohibentem busta Creontem Atticus Ægides rupit Marathodine quercu.

Progne, Pandionis Athenarum regis, filia, Iryn filium

marito suo Tereo Thracum regi apposuit comedendum, quòd stuprum intulisset Philomedæ eiusdem Prognes soro ri. Virg. in Buc. Quas illi Philomela dapes, quæ dona parrarit. Vbi Philomelam posuit pro Progne.

Medea fratrem Absyrtum, & filios ex Iasone susceptos membratim discerpsit. Ouidius in Ibin: Et tua, sic latos spargantur membra per agros, Tanquam quæ patrias detinuere vias.

Tydeus arrosit caput Menalippi. Idem Ouid. Nec dapis humanæ tibi erunt fastidia, quaq; Parte potes, Tydeus temporis huius eris.

Gerion Mercurio natus patri hospites immolabat. Plut.

Tartari Pannoniam ingressi, Varidano oppido capto, feminas templis inclusas cremauerunt, & Belam, quartum eius populi regem, sic terruerunt, vt ad præsidium salutis, latebras inquisiuerit.

Traiano imperante Iudæi, duce Andrea, multos ex Græcis & Romanis obtruncarunt. qua cæde non contenti, humanis carnibus vesci cœpere, seq; occisorum intestinis, fluente adhuc sanguine, incingere, eorundem pellibus obuoluti. multos item per medium vsque ad verticem dissecuerunt: multos obiecerunt bestiis laniandas. alios inter se digladiari coegerunt, vt ducenta & amplius hominũ millia eo furore, & armis Iudæorum, interierunt. auctor Dion Cassius.

Q. Mucius Scævola, tribunus plebis, nouem collegas duce Sp. Cassio ad dominationem aspirantes, viuos cremauit. Valerius de Seueritate.

CLEMENTES, ET HVMANI.

Romocheres, Getarum rex, Lysimachum hostem bello captum mira clementia dimisit illæsum.

Hannibal, inuentum Aemilii Paulli consulis, & collegæ Terentii Varronis cadauer, honorificè tumulauit.

L. Aemilius Paullus, huius Aemilii filius, Perseum Macedoniæ regem vinctum fleuit, & assidere sibi iussit.

Ladislaus rex Pannoniæ victum à se inimicum regnare permisit. quinetiam si per proceres licuisset, oblatum re-

cusasset principatum.

Solebat Traianus ægrotantes amicos visere exinanita imperatoria maiestate. Ausonius.

Alexander capto Dario Leonatum ex purpuratis suis misit, qui eius matrem, vxorem, aliasq; feminas consolaretur, & à lacrymis auerteret, & impediret. atque etiam matri Darii (cui nomen erat Sisigambis) permisit, vt quos vellet bello extinctos milites patrio more sepeliret. eius verò vxorem (quam nulla id ætatis femina corporis pulchritudine vicit) non solùm non violauit, at summam adhibuit curam, ne quis captiuo corpori illuderet. omnem insuper cultum feminis reddi iussit, nec quidquam ex pristinæ fortunæ magnificentia adimi, & (quod omnium maximum humanitatis argumentum) Darium ipsum amisso iure belli regno restituit.

Ludouicus Pius, Gallorum rex, quum quattuor liberos variis principatibus honorasset, ab his tandem incommoda multa passus est, atque etiam coniectus in carcerem. quod tamen animo adeò ciuili & mansueto pertulit, vt cum his postea redierit in gratiam.

M. Aurelius Antonius imp. Auidio Cassio, aliisq; compluribus (à quibus insidias parari sibi cognouerat) pepercit, immemor furoris & vindictæ: qua tamen summi principes debacchari solent, si vel fracta nuce, aut vngue praue secto offendantur.

Cæsar captis apud Pharsaliam Pompeii scriniis, epistolas omnes inclusas bona cremauit fide, nulla earum lecta. Plin. lib. 7. Idem imperator simultates contra nullos tam graues accepit vnquam, vt non occasione oblata deponeret lubens. C. Memmio (cuius maledictis probrosisq; ver bis fuerat lacessitus) fauit in petitione consulatus. C. Caluo post famosa epigrammata de reconciliatione per amicos agenti, vltrò & prior scripsit. Valerium Catullum (cuius versiculis ineluibile stigma receperat) satis facientem eadem die adhibuit cenæ, hospitioq; patris eius, sicut consueuerat, vti perseuerauit. Cornelio Phagitæ (cuius insidias vix effugerat) noceri non permisit. statuas Syllæ & Pompeii inimicorum à plebe diuectas reposuit, si qua grauius in se dicerentur, inhibere maluit, quàm vindicare. nocturnos conuiuatores satis habuit monere, ne perseuerarent. crimino simis Auli Cæcinæ & Pitholai scriptis laceratam suam famam ciuili animo tulit.

Cydon Corinthius fuit hospitalitate adeò insignis, vt eius fores omnibus essent peruiæ. hinc adagium natum, Semper aliquis in Cydonis domo.

Polycrates matres militum, qui in bello periissent, opulentioribus ciuibus dabat nutriendas.

Maras fuit quispiam apud Beroeam Syriæ ciuitatem ditissimus, humanus & officiosus in omnes, tũ ciues, tũ hospites.

Probus imperator Arrodionem (quem singulari certamine pugnans confecerat) magnificentissimo honestauit sepulcro.

Darius eos obiurgauit, qui Histiei caput truncauerant. testis Herodotus.

Fabricius Cornelium Ruffinum, quem hostiliter oderat, inuit in petitione consulatus.

Titus Vespasianus duos in vrbe clarissimos viros (quos habebat compertos insidiarum in suam vitam) non tantùm non puniuit, at etiam sibi assidere iussit. fratrem Domitianum insidias quoque parantem flens sæpe obtestatus est, ne paricidio assequi cuperet, quod breui esset habiturus. idẽ laborantes morbo, & ægrotantes suis pascebat manibus, & suorum mortibus afflictos consolabatur.

Antonius pius fuit adeo mitis, vt quum ob inopiæ frumentariæ suspicionem lapidibus à plebe Romana perstringeretur, maluerit placare, quàm vlcisci seditionem.

Fl. Vespasianus Vitellii hostis filiam splendidissimè maritauit, dotauitq;, & instruxit. nullius vnquam cæde lætus est. iustis etiam suppliciis illacrymauit, & ingemuit.

Iulianus imperator Nebridium Constantii (in quem ille bellabat) fautorem ad genua sua prolapsum paludamento protexit, ne à militibus interficeretur.

Domitianus inter initia imperii sui adeò ab omni cæde abhorrebat, vt edicere destinauerit, ne boues immolarentur. Suetonius.

Alphonsus expugnata per vim Neapoli noceri vetuit,

pepercitq; ciuibus, à quibus tamen fratrem suum sciebat interfectum fuisse. Proteæ cuidam homini verboso (cui iure plurimùm succensuerat) non modò veniam petenti dedit, at quinque etiam talenta vltrò obtulit.

Scipio Hispanos captiuos sine pretio dimisit.

Ptolemæus rex fugato Demetrio quoscunq; Demetrii amicos cepit captiuos, vnà cum eius supellectile statim remisit.

Antiochus rex captum Scipionis filiũ remisit sine pretio.

Pyrrhus captiuos Romano populo reddidit.

Demetrius classe Ptolemæi (qui prius fuerat victor) superata, eorum, qui ceciderant, corpora sepeliri iussit, & captiuis omnibus liberum concessit reditum.

Philippus Maria Mediolanensis captum nauali pugna Alphonsum cum duobus fratribus, non libertate solùm, at multis etiam honestauit muneribus.

Antigonus Alcioneum filium, Pyrrhi ad se caput deferentem baculo percussum reiecit, vt barbarum, vt pollutum inclamans; oculosq; obduxit, ne lugubri fœdaretur aspectu. multis insuper lacrymis inimici mortem prosecutus est.

Lucius Albinus quum animaduertisset virgines Vestales sub sacrorum onere laborantes, & ope hominum destitutas, statim exonerato sarcinis curru, vxore & liberis iter pedibus facere iussit, virgines cum sacris conscendere currum imperauit.

Hannibale Capuam tenente Faucula Clunia captiuis egẽtibus suppeditauit alimenta.

Beatrix Romana virgo corpora martyrum occisorum in agro suo furtim sepeliebat. quod etiam fecisse ferunt Bibianam virginem.

Cyprianus Afer diuitias omnes pauperibus erogabat.

L. Crassus orator tanta fuit clementia, vt mureṇam mortuam multos dies atratus fleuerit.

Crispus & Crispinianus quidquid lucri faciebant arte sutoria, quam exercebant, pauperibus impartiebantur.

Anastasia Chrysogoni discipula sanctis (qui in carceribus tenebantur captiui) tacitè victum ministrabat. Idem quo-

que fecerunt Praxedes & Pudentiana sorores.

Pompeius Syllæ cadaueri honorem exhibuit, teste Plutarcho.

Petrus Vrseolus, Venetiarum princeps, pauperum ægrotantium cubicula solebat furtim visere, & opibus suis iuuare. Idem xenodochium suo vnius sumptu extruxit.

Moses Ægypto fugiens Iosephi secum ossa tulit.

Tobias sepeliendis mortuis vacabat.

Machabæus post prœlium in Gorgiam commissum iussit, vt occisorum corpora sepelirentur.

Iehu rex Israel hostem suũ Iezabelẽ fecit ornari tumulo.

Pericles mortuos in bello Peloponnesiaco primus oratione publica laudauit.

MODESTI, ET VERECVNDI.

THemistocles iacentem hostem armis pulcherrimis indutum sequenti militi exuendum reliquit, quum ab huiuscemodi facto ipse abhorreret.

Quum Mitylenæi Pyttaco multum agri offerrent gratuito munere, tantum sumpsit, quantum hasta percurreret, vt apud Romanos P. Claudius, quantum vno die arasset.

Cato ob modestiam nullam sibi statuam erigi passus est, dicens: Se malle, vt posteri percunctarentur, cur Catoni posita non esset statua, quàm cur posita.

M. Fabius consul deuictis Veiis oblatum triumphum remisit ob fratris & collegæ mortem.

Pompeius oblatam sibi ab Hebræorum rege mensam & sedem auream, deferri iussit in publicum ærarium.

Fabius Gurges, Fab. Pictor, C. Numerius, & Q. Vgolenus legati ad Ptolemæum missi, accepta ab eodem munera in ærarium retulerunt.

Q. Cincinnatus dictatura se sponte abdicauit. quod etiã L. Sylla fecit ultrò.

Cn. quoque Plancus censuram volens exuit.

Cimon Athenienſis reip. munera castè semper & incorruptè obiit, & ab omni genere expilationis abstinuit.

Pescenius Niger sic se ipsum & milites rexit, vt nihil à prouincialibus non oleũ, non lignũ, operam ve extorserint.

Agathocles rex Siciliæ nullo vnquam luxuriantis fortunæ zephyro auerti potuit à recordatione figulinæ patris officinæ. quamuis enim haberet auri & argenti abundè, semper tamen abacum vasis fictilibus onerabat. Ausonius: Fima est fictilibus cenasse Agathoclea regem, Atq; Abacum -Samio sæpe onerasse luto. Quærenti causam respondit, rex ego qui sum Sicaniæ, figulo sum genitore satus. Fortunam reuerenter habe, quicunque repente Diues ab exili progrediere loco.

Terentius Varro delatam sibi ab vniuerso senatu & populo dictaturam recusauit, quòd remp. confregisset Cannensis pugnæ temerariæ congressu.

Cicereius quum prætoriis Comitiis Cn. Scipioni superioris Africani filio cõpetitori omnium suffragiis præponeretur, erubescens se tanti viri filio prælatum, ex competitore suffragatorem se fecit.

Pompeius in acie Pharsalica victus à Cæsare, quum postero die Larissam intraret, oppidiq; illius vniuersus populus obuiam ei processisset, Ite, inquit, & istud officium prælatæ victori.

Iulius Cæsar tribus & viginti vulneribus coniuratorum mucronibus confossus, à verecundia absterreri non potuit. nam eo tempore, quo spiritus à mortali corpore secernebatur, togam vtraque manu demisit, vt inferior pars corporis tecta collaberetur.

Spurina egregius adolescens quum sua forma complurium feminarum solicitaret oculos, verecundia motus oris decorem vulneribus deformauit.

CONTEMPTORES HONORVM, & Diuitiarum.

SExtum Ælium Catum, virum consularem, quum legati Ætholorum vasis fictilibus prandentem reperissent, eidem vasa argentea miserunt, quæ tamen recusauit, neque aliud argenti extremum vitæ diem habuit, quàm duo pocula accepta à L. Paullo socero suo. auctor Plinius.

Cimon dux Athenienſis spolia victis hostibus erepta suis ciuibus partitus est.

Agnes

Agnes vxor Henrici tertii imp. omnibus & diuitiis & honoribus se abdicauit, vt religioni daret operam.

Crates Thebanus non paruum auri & argenti cumulum proiecit in mare, quò melius philosopharetur citra impedimentum.

M. Curium rapam in foco torrentem quum legati Samnitum reperissent, eiq; multum obtulissent auri: Malo, inquit, hæc in fictilibus meis comesse, & aurum habentibus imperare.

Raymundus, Io. Germanus, Vmbertus Viennensis, Albertus magnus se suis episcopatibus abdicarunt vltrò.

Clotildis, seu Batildis vxor regis Clodouei dimissis opibus & regno, cœnobio se inclusit.

Diocletianus relicto sponte imperio in propriis agris consenuit.

Beata Eugenia relictis opib⁹ paternis cœnobio se inclusit.

Etburga filia Eduardi senioris regis Angliæ relicta itidem paterna domo claustrum ingressa est, in quo ad mortem durauit sanctissimè.

Homo bonus ciuis Cremonensis opes nundinariis & negotiatoriis partas laboribus reliquit, vt spiritali consuleret lucro.

Lotharius imperator & rex Gallorum imperio sponte se abdicauit.

Iudocus, regis Britonum filius, relicto principatu, cui post patrem erat, successurus, byssum & purpuram in pannos, & viles commutauit tunicas.

Antonius Anachoreta ne eligeretur episcopus, læuam sibi auriculam ferro præsecuit.

Tuditanus patrimonium populo diripiendum sparsit.

Democritus agros suos reliquit, eosq; pascua publica fieri passus est.

Legati Samnitum Fabricii domum ingressi, quum viderent multa ad splendorem & tanti viri deesse maiestatem, magnam vim auri eidem obtulerunt. quam repudiauit vltrò. Gel. lib. 1. cap. 14.

Maior Scipio publicam rerum administrationem sponte reliquit, vt priuatus ageret.

Maximianus princeps relicto imperio vitam quoq; priuatam elegit.

Amurathes Turca dimissa filio regni cura priuatus egit.

Petrus, rex Angliæ, dimisso suis regno Romam venit, vbi in paupertate priuatus vixit.

Lysander, rex Lacedæmoniorum, vestimenta magna pretii filiabus suis à Dionysio missa recusauit.

Messala primus omnium Romæ vrbis præfectus constitutus, die sexta ab ea dignitate se abdicauit.

Theodosius, Atramytenus imperator, post Artemium pertæsus belli ciuilis cessit imperio, monasticamq; vitam amplexus est.

Michael Curoplates, imperator post Stauratium, Leoni Armeno curam imperii reliquit vltrò.

Manuel quoque habenas imperii Alexio reliquit, monasticam secutus vitam.

Idem fecit Ioannes Catacuzenus imperator, qui successit Andronico iuniori.

In Tygris alueo oppidum est Bibythace, cuius incolæ mortalium soli aurum in odio contrahunt.

Arsenius, Romanus patricius, quum vocem hanc incerto auctore audiuisset, Fuge, tace, & quiesce, relicta paterna hereditate ad cœnobium properauit.

Rachis, Longobardorum rex, regno se sponte abdicauit, vt monachum ageret.

Placidia virgo, Valentiniani imperatoris & Eudoxiæ filia, repudiatis opibus nulli rei præterquàm saluti inhiabat.

Forseus Hiberniæ regis filius, neglecto regno monachum egit

Aeneas militis cuiusdam Turno adhærentis (cui nomen erat Magus) diuitias spreuit, quas offerebat, vt veniam consequeretur victus. Æneas apud Virg. lib. 10. Argenti atq; auri memoras quæ multa talenta Natis parce tuis.

Nicolaus Pataræus Smyrnæ antistes patrimonium pauperibus impertiuit.

Phocioni quum Alexander ex Persica Gaza bello parta magnum auri pondus misisset, recusauit ille.

Midas rex fuit Phrygiæ, cui propter Bacchum hospitio susceptũ concessum est, vt quidquid vellet, optaret, voti futurus compos. Optauit autem vt quidquid corpore contigisset, in aurum verteretur. Tantæ fuerunt eius diuitiæ, vt in prouerbium abierint. Stat. lib. 1. Sil. Digne Mide, Crœsiq; bonis & Persidе gaza.

Opulentia Crœsi Lydorum regis maximè quondam nobilitata est apud Græcos, & adeò, vt fecerit prouerbio locum. propterea (vt scribit Herodotus) existimabat, se mortalium felicissimum. Mart. lib. 5. Crœso diuitior liceret fuissem.

Virgilius scribit Sycheum Didonis maritum fuisse ditissimum agri inter Phœnicas. quæ opulentia fuit ei exitio, impulitq; Pygmalionem regem Tyri, vt eum interficeret. Quantum autem auri & argenti habuerit, hinc suspicari licet, quòd eius thesauris profuga Dido æmulam Romani imperii Carthaginem ædificauit.

Volunx fuit quispiam ditissimus, de quo Syll. libro 5. sic scribit: -ditissimus agri Occumbes generosè Volunx, ne clausa repostis Pondera thesauris, patrio nec regia quondam Præfulgens ebore, & possessa mapalia soli Profuerint.

Aesopus Tragœdus, amicus Ciceronis, arte histrionica ad tantam peruenit opulentiam, vt sexcentis sestertiis ei patina steterit: reliqueritq; filium adeò diuitem, vt is vniones liquefactos cenis apponeret.

Cæcilius Claudius testamento suo edixit, Quamuis multa bello ciuili perdidisset, tamen relinquere seruorum quatuor millia centum & sexaginta; iuga boum tria millia & sexcenta; reliqui pecoris ducenta quinquaginta septem millia; in numerato pondo sexcenta millia. qui funerari se iussit sestertiis vndecim millibus.

M. Crassus negabat diuitem esse, nisi qui reditu annuo legionem posset alere. in agris suis possedit sestertium bis millies: hoc est ære nostro quinquagies centena millia aureorum coronatorum. Nec satis fuit, inquit Plin. nisi totum Parthorum esurisset aurum. Harum autem diuitiarum maximam partem ex ciuilibus bellis atq; incendiis compa-

parauerat, calamitates publicas in suam vnius vtilitatem vertens. nam quum trecenta solùm talenta ex paterna hereditate accepisset prius, quàm aduersus Parthos exercitum duceret, septem millium & centum talentorum summam coegisse traditur, quum etiam decimam partem facultatum suarum Herculi consecrasset, & publicum epulum dedisset populo, ac tres minas ciuibus viritim contulisset. Seruos habuit circiter quingentos, fabrilis artis, & architecturæ peritos, quibus non solùm ad propriæ domus extructionem vsus est, sed ciuibus ædificare volentibus eorum operas mercede locauit.

Pallas, Claudii libertus, Crasso ditior fuisse perhibetur vicies & quinquies centenis millibus.

Plinius præter hunc Pallantem ait Callistum, & Narcissum Claudii principatu fuisse opulentiores. Narcissi autem diuitiæ in prouerbium venerunt, quum Iuuenalis dicat. Nec Crœsi fortuna vnquam, nec Persica gaza Sufficient animo, nec diuitiæ Narcissi, Indulsit Cæsar cui Claudius omnia. De Pallante Iuuen. Sat. 1. Ego possideo plus Pallante & Licinis. Hi duo Pallas & Narcissus liberti fuerunt Claudii, quos decreto quoq; senatus, non solùm ingentibus præmiis, at etiam magistratibus ornari passus est. Tacitus scribit Claudium Pallanti prætoria insignia & centies quinquagies sestertium censuisse, & Pallantem ipsum sestertiii ter milles possessorem fuisse. Idem lib. 14. ait Neronem veneno interfecisse hunc Pallantem, quòd immensam pecuniam longa senecta detineret.

Licinius Cæsaris libertus tantum agrorum fertur habuisse, quantum peruolarent milui.

Quamuis numerosæ fuerint Crassi diuitiæ, Plinius tamen facit Syllam ditiorem, vbi de Crasso loquens ait, Quiritum post Syllam ditissimus.

Pompeio res gerente circa Iudæam Ptolemæus octona millia equitum sua pecunia tolerauit. mille conuiuas totidem aureis potoriis mutans vasa cum ferculis saginauit.

Pythius Bithynius platanum auream, vitemq; nobilem Dario regi donauit. Xerxis copias, hoc est septies centena xxxcii x. milia hominum excepit epulo: stipendium

quinq; mensium, frumentumq; pollicitus, vt è quinq; libertis senectui suæ saltem vnus concederetur. Testes Herodotus & Plinius. Interrogatus à Xerxe quantum possideret: respondit, se habere argenti talenta duo millia, auri myriadas quadringentas, staterum Daricorum septem millibus minus. Quam summam quum obtulisset ipsi Xerxi, demiratus rex propensam hominis liberalitatem, expleuit quod illi deerat ad quadrigentas myriadas.

Seneca philosophus rerum actui prepositus à Nerone quadriennio ter millies sestertium quæsiuit.

Tarius Rufus infima natalium humilitate consulatum militari industria meritus circiter mille sestertium liberalitate Augusti congestum, agris cœmendis exhausit.

Idem Seneca testis est Lentulum augurem eodem Augusto imperante quater millies sestertium suum vidisse.

Herodes Atticus tanta fuit rerum opulentia, vt Isthmum vellet perfodere, & maria coniungere diuersa, si per imperatorem licuisset. quod tamen frustra tentauerat Nero.

Pleriq; veterum suam satis opulentiam prodiderunt arduis conatibus, quibus rerum naturæ faciem mutare voluerunt: vt Niganor Seleucus, qui excogitabat perfodere spatium à Bosphoro Cimmerio ad Caspium mare, quod intermallum erat c l. mil.

Sesostris, rex Ægypti, interstitium à rubro mari ad Nilū proscindere adorsus est. quod postea Darius molitus est.

L. Luscius Syllanarū partiū amplius sexcenties possedit.

Galesus fuit in Latio, quispiam ditissimus agrestis Gazæ. Virgil. lib. 7. Æn. Corpora multa virum circa, seniorq; Galesus, Dum paci medium se offert, iustissimus vnus Qui fuit, Ausoniisq; olim ditissimus aruis, Quinque greges illi balantum, quina redibant Armenta, & terram centum verterbat aratris.

Camertes, Volscentis filius, partium Turni fautor in Aeneam, ditissimus fuit. Virg. lib. 10. Persequitur fortemq; Numan, fuluumq; Camertem Magnanimo Volscente satum, ditissimus agri Qui fuit Ausonidum, & tacitis regnauit Amyclis.

Dorylas ponitur ab Ouidio lib. 5. Met. ditissimus agrē-

stis opulentiæ, vbi ait: Nasomoniaci Dorilas ditissimus agri, Diues agri Dorylas, quo non possederat alter Latius, aut totidem tollebat farris aceruos.

Cyrus deuicta Asia XXI V. millia pondo auri inuenit: præter vasa aurea, aurumq; factum, & in eo folia ac platanum vitemque. qua victoria argenti quingenta millia talentorum reportauit.

Cleopatræ quoque diuitiæ arguuntur ex coctilibus illis muris inter septem orbis miracula numeratis: ex cratere, cuius pondus erat XV. talentorum: ex apparatu conuiuii, quo Antonium excepit: ex vnionum sorbitione, & multis item sumptibus.

Esubopes rex in Suanorum terra, velleribus aureis inclyta, plurimum argenti auriq; fertur eruisse.

Cæsar in munere patris funebri, omni apparatu arenæ argenteo vsus est.

C. Antonius ludos scena argentea fecit. itē & L. Murena.

Caius princeps in circo pegma duxit, in quo fuere argenti pondo CXXIV.

Nero Pompeii theatrum operuit auro in vnum diē, quod Tyridati regi Armeniæ ostendit.

Populus Romanus septem annis ante primum bellum Punicum habuit in ærario auri pondo DCC XXVI. millia, argenti XCII. millia, & extra numerum CCCLV. millia. item Sex. Iulio & L. Martio consulibus XXCIV. auri pondo. Cæsar primo introitu vrbis in ciuili bello suo ex ærario protulit laterū aureorū XXVI. millia, & numero pōdo CCC. Paullus Æmilius Perseo Macedoniæ rege deuicto retulit in ærarium prædam pondo trium millium.

Scipio Africanus victa Cartagine MCCCCLXX. pondo auri inde transtulit. item argenti cælati millia CCCCL. vasorum aureorum pondo centum millia.

Mamurrā Catullus dixit habere quidquid habuisset comata Gallia. Cornelius Nepos adiecit eum totis ædibus nullam nisi è marmore columnam habuisse, omnes solidas è Carystio aut Lunensi.

P. Clodius (quem Milo occidit) habitauit domo empta sestertiis CXLVII. millibus.

Cissanis Cous fuit gregibus pecuariis supra modū diues.

Dionis Syracusani opes immensæ fuerunt, & regia in uiuendo propemodum pompa, & supellex, Plutarcho teste.

Lucullus quum reipub. infensus, priuatæ vitæ se dedisset, ædibus & prætoriis extructis, hortis & cenationibus amœnissimis incredibili sumptu paratis, & Bibliotheca libris vtriusq; linguæ cumulatissima, opes bello quæsitas cōterere non potuit. Idem Pompeio & Ciceroni extemporariam apparauit cenam impendio quinquaginta millium, tanta epularum, & rerum lautitia, vt conuiuas in admirationem traheret. Idem perfodit montem, & flumen immisit in piscinas, quæ reciprocæ fuerunt.

Plinius iunior tanta fuit opulentia, vt ducenta millia nūmum pro accessione pretii agrorum contempserit, emptrice Cornelia hoc petente, vt suis ipse verbis docet ad eandem feminam scribens: Tu quidem (inquit) honestissime quòd tam impense & rogas & exigis, vt accipi à te iubeam pretium agrorum non ex DCC. millibus, quanti illos à liberto meo, sed ex nongentis, quanti à publicanis partem vigesimam emisti. inuicem ergo & rogo & exigo, vt non solùm quid te, verùm etiam quid me deceat, aspicias. Idē plin. patriæ suæ donauit annua sestertia tricena, quæ à nobis DCCL. aureis æstimantur. Hanc eius opulentiam pluribus verbis describit Budæus.

Quantæ fuerint opes Dauidis, coniectare est verbis eiusdē qui cap. XXII. Paralip. ita loquens ad Salomonē inducitur: Confortare, & viriliter age, ne timeas, neque pueas: ecce ego in paupertatula mea præparaui impensas domus domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentum. Historia Regum scribit Dauid habuisse argenti mille millia talentum, id est decies centena millia, & auri centum millia, quæ mille millia talenta argenti valent. propterea Budæus ait opes Dauid decies fuisse maiores opibus Darianis.

Fuerunt & immanes Salomonis diuitiæ, vt testatur quod lib. 3. Regum & cap. 10. scriptum est hoc modo: Non erat argentum, nec alicuius pretii putabatur in diebus Salomonis: quia classis regis per mare cum classe Hiram semel per

tres annos ibat in Tharsis deferens inde aurum & argentũ. Et paullò inferius: Fecitq́; vt tanta esset abundantia auri & argenti in Hierusalem, quanta & lapidum. consumpsit in templi sui columnis & vasis aureis quadragies sexies centena millia, argenti verò ad clauos & alia instrumenta M C C. XXXII. talenta, æris verò in columnis, fornicibus & ceteris talenta XIIX. millia.

Victo Dario inuenta sunt Persidè CXX C. millia talentũ: quum tamen Darius septem millia fugiens rapuisset.

Mynias fuit quispiam sua ætate mortalium ditissimus, qui primus thesaurum recondendis pecuniis struxisse fertur.

Cœlius ait Mæandrum Protagoræ patrem tanta rerum opulentia præcelluisse, vt Xerxem Persarum regem domo & donis excipere ausus sit. quod iâ de Pythio memoranim⁹.

Heliogabalus mensas & capsas habuit argenteas. primus etiam caeabos, vasa deinde centenaria argentea sculpta & non nulla stigmatibus libidinosissimis inquinata. Aelius Lampridius.

Tantali diuitiæ prouerbio locum fecerunt, quem præditem fuisse ostendit carmen illud ex tragœdia apud Plutarchum de exsilio. Viam dierum duodecim sero iugera.

Callicrates fuit quispiam Carystius, qui ciues suos omnes opibus longè præstitit. hinc adagium natum: Vltra res Callicrates.

Herodotus scribit Rhampsimitum regem immanem pecuniæ copiam habuisse, quam nemo regum posterorum adæquauit.

Darius vectigalem sibi fecit Asiam, ex qua quotannis D. LXXV. millia talentorum accipiebat, præter aliud tributũ, quod ex Africa & iis, qui Europam Thessalia tenus incolebant, eidem afferebatur.

Indorum regio, teste Curtio, diues est non auro modò, sed margaritis & aliis gemmis, ad luxus magis, quàm ad magnificentiam exculta.

Inter populos diuitiis memorabiles recensentur Lydi, Babylonii, Seres & Arabes. Stat. lib. 5. Sil. Si Babylonis opes, Lydæ si pondera gazæ, Indorumq́; dares, Serumq́; Arabumq́; potentes diuitias.

Fuit & Achæmenes rex Persarum ditissimus. Horatius li. 2. carminum: Non tu quæ tenuit diues Achæmenes, Aut pinguis Phrygiæ Mydonias opes, Permutare velis crine Lyciniæ?

In Tolosano Italiæ oppido, à Q. Cæpione direpto, inuenta sunt auri pondo CX. millia, argenti pondo quinquies decies centena millia.

Luerius Aruernus, pater Bititi (qui Bititus cum Maximo Aemiliano & Domitio Ahenobarbo ducentorum homiaum exercitu cõflixit) tantis deliciis, diuitiisq́; circumfluit, vt aliquando ostendendarum opum gratia curru vectus campũ ingrederetur, nummos aureos argenteosq́; hunc atque illuc spargens. Quibus colligendis amici atque comites occupati sequerentur.

Antiochus Magnus, Syriæ rex, tantis affluxit diuitiis, vt in Romanos certaturus exercitum collegerit ornatissimum, in quo plerique milites hastis scutisq́; aureis & argenteis enitebant. propterea quum ostentasset Hannibali copias illas tanto munitas apparatu; rogassetq́; nunquid satis essent Romanis facturæ; Pœnus ignauiam imbellium militum eius eludens, Satisfacturæ, inquit, etiam si auarissimi fuerint Romani.

Habuit Iob septem millia ouium, tria millia camelorum, quingenta iuga boum, quingentas asinas, reliquiq́; pecoris armentum numerosissimum.

PAVPERES.

IRus fuit Ithacensis pauperrimus, quem Vlysses ab expeditione Troiana reuersus ictu pugni interfecit. Mat. lib. 5. Iro pauperior forem Carine.

Menœtes fuit Arcas quispiã occisus à Turno, cuius paupertatem describit Virgil. lib. 12. his verbis: Et iuuenem exosum quicquam bella Menœtem Arcada, piscosæ cui circum flumina Lernæ Aras fuerat, pauperq́; domus, nec nota potentum Munera, conductaq́; pater tellure serebat.

Acerœs paupertatem suam apud Ouid. lib. 3. Met. his verbis exprimit: Ille metu vacuus, nomen mihi dixit Acœtes Patria Mæonia est, humili de plebe parentes. Non mi-

hi quæ duri colerent pater arua iuuenci, Lanigerosq; greges, non vlla armenta reliquit. Pauper & ipse fuit, linoque solebat, & hamis Decipere & calamo sitientes ducere pisces.

Baucis mulier & Philemon eius maritus, in maxima paupertate consenuerunt. idem Ouidius lib. 8. Sed pia Baucis anus, pariterq; ætate Philemon Illa sunt annis iuncti iuuenelibus, Illa, &c.

Faustulus pastor fuit extremæ paupertatis, qui vel Romulum exposuit, vel expositum nutriuit. Ouid. lib. 3. Fast. Nec taceam vestras Faustule pauper opes.

Apud eundem libro eodem Anna nomen est pauperrimæ vetulæ vbi ait: Orta sub vrbanis quædam fuit Anna Bouillis Pauper, sed multæ sedulitatis anus. Illa leui mitra canos incincta capillos, Fingebat trepida rustica liba manu.

Hecale nomen est pauperrimæ feminæ apud eundem lib. 2. de Rem. Cur nemo est Hecalen, nulla est quæ nouerit Irum? Nempe quòd alter egens, altera pauper erat.

Ausyclas, nomen est pauperrimi nautæ apud Lucanum, de quo iam verba fecimus in capite de Nautis.

Apud Horatium Ibycus nomen est pauperis, cuius vxor dicebatur Chloris. Hæc Horatii verba: Vxor pauperis Ibyci Tandem nequitiæ fige modum tuæ.

Horatius ipse laborauit paupertate, qua vrgente animum appulit scribendis carminibus. vnde lib. 2. Epist. sic inquit. Et laris & fundi paupertas impulit audax, Vt versus facerem.

Martialis. libro 2. Hyli papertatem eludit his verbis: Vnus sæpe tibi tota denarius arca Quum sit, & hic culo tritior Hyle tuo.

Idem Thelesinum turpi quæstu diuitem factum ridet his verbis ex libro 6. Quum coleret puros pauper Thelesinus amicos, Errabat gelida sordibus in togula. Obscenos postquam cœpit curare cinœdos, Argentum, mensas, prædia solus emit.

Apher apud eundem nomẽ est viri extremæ paupertatis, vbi ait: Quum sis tam pauper, quàm nec miserabilis Apher. Ab eodem ridetur Cinna quispiam, quòd quum pauper

esset, pauper videri vellet. Sic enim inquit, Pauper est Cinna, & vult videri pauper.

Catullus Furio cuidam pauperrimo sequentibus illudit versiculis: Furi cui neque seruus est, nec arca, nec cymex, neque araneus, neque ignis: Verùm est pater, & nouerca, quorum Dentes vel silicem comesse possunt.

Codri poetæ pauperrimi, & Proculæ eiusdem vxoris paupertatem sic describit Iuuenalis: Lectus erat Codro Procula minor, vrceoli sex, Ornamentum abaci, nec non & par vulsus infra Cantarus, & recubans sub eodem marmore Chiro: Iamq; vetus Græcos seruabat cista libellos, Et diuina opici rodebant carmina mures. Nil habuit Codrus, quis enim negat? & tamen illud Perdidit infelix totum nihil. vltimus autem Aerumnæ cumulus, quòd nudum, & frustra rogantem, Nemo cibo, nemo hospitio, tectoq; iuuabat.

Æliorum familia Romæ fuit pauperrima, & modicarum adeò facultatum, vt septemdecim eodem tempore vnicam habitauerint domum, vnicum agrum possidentes.

Paullus Æmilius, qui de Liguribus, & Perseo Macedoniæ rege triumphauerat, adeò pauper mortuus est, vt funebres ludi celebrari nequiuerint nisi diuenditis eius possessionibus.

Ætius sophista Antiochenus aurificinam, vrgente rerum penuria, exercuit ab initio.

Menenius Agrippa, qui de Sabinis triumphauerat, pauper adeò mortuus est, vt sepeliri nequiuerit, nisi collatis à populo quadrantibus.

M. Pompilius Andronicus ob inopiam coactus est vendere opus annalium XVI. millibus nummum.

Aristides, qui rempublicam Athenienſium clarissimè administrauit, inops adeò mortuus est, vt eius funeri sumptus defuerit.

Callias Athenienſis comœdiographus torsit funes ob paupertatem.

Val. Cato grammaticus, qui floruit ætate Syllæ, consenuit in summa paupertate, dimissaq; Tusculana villa (qua cessit ob creditores) habitauit angusto & breui gurgustio. Vnde Bibaculus his in eum carminibus lusit: Si quis fortè

mei domum Catonis, Depictas minio assulas, & illos Custodes videt hortulos Priapi, Miratur, quibus ille disciplinis Tantâ sit sapientiâ assecutus. Quam tres calculus ac semilibra farris, Racemi duo tegula sub vna ad summam propè nutriant senectam.

Demonax philosophus (qui floruit Hadriano imperante) nullum vnquam sibi viaticum præparauit. sed quum esuriret, proximam domum, quam apertam videbat, ingrediebatur, & victum ibi quæritabat. Centenarius decessit, elatus publico sumptu.

Epaminondæ Thebanorum principi & totius Græciæ vnicum fuit indumentum, rude & pertritum. quod si quãdo expurgandum fulloni traderet, alterius vestis inopia domi interim se continebat. nihilominus tamen in tanta pauperie magnam vim auri, quam offerebat rex Persarum, recusauit vltrò.

Epictetum philosophum iam diximus seruum fuisse, & summa inopia laborasse.

Aglaus Psophidius in angustissimo Arcadiæ angulo consenuit, exili contentus prædio, quo nunquam egressus est. hunc tamen Apollo in tanta paupertate felicem testatus est. Val. Martialis epigrammatista pauperie pressius viati cum accepit à Plinio nepote.

Menas inter Samnites natus, in solitudine vixit & paupertate, curandis apibus intentus: neque tamen deerant adeuntium dona, quos ad bonam frugem solebat cõuertere.

Origenes extrema laborauit paupertate, bonis eius in fiscum relatis, quòd Christianæ adhæsisset pietati.

Plautus ob paupertatem victum quæritabat in agendis molis illis, quas trusatiles vocant. à quibus quum impetrabat otium, ad scribendas fabulas se conuertebat, vt eas postmodum venditaret.

Tellus fuit nescio quis pauper, cuius inopiam Solon Cræsi diuitiis feliciorem esse predicauit, vt iam de Aglao prædiximus, nisi quis fortè velit eundem esse.

Theagenes Caprus fuit pauper quispiam, qui tamen diues haberi volebat. Idem multa facilè pollicebatur, & nihil præstabat.

Fuit & Lysistratus summæ paupertatis homo, adeò vt prouerbio locum fecerit.

Antigonus, cuius Florentinus, quum vniuersas facultates pauperibus impartiuisset, pauper adeò decessit, vt eius funeri defuerit sumptus.

Euripidis mater lucellũ faciebat, in vendendis oleribus auctore Plinio. Ei nomẽ erat Clito, patri verò Mnesarchus.

Glycera coronas venales exponebat ad sustinendam paupertatem.

Telenicus homo fuit adeò notæ paupertatis, vt Seriphii prouerbium inde formauerint.

Pauson fuit pictor insigni tenuitate.

Plutarchus in Nicia prodit Lamachum fuisse adeò insigni paupertate, vt quoties illum Athenienſis populus imperatorem crearet, aliquantulum pecuniæ ad pallium & crepidas comparandas decerni opus esset.

Valerio Publicolæ in morte defuit sumptus. auctore Tito Liuio.

Acillio Prætorio post consumptum ingens patrimonium paupertatem confitenti, Tiberius, Sero, inquit, expertus es.

Gellius scribit Protagoram sophistam adolescentem victus quærẽdi gratia vecturas onerum corpore suo factitasse.

Sunt qui dicant Lucilium poetam satyrographum publico funere fuisse elatum.

Eumæus fuit subulcus Vlyssis, mendicus, & pannosus.

Telemachus fuit quispiam Arcanensis. qui ob paupertatem fabis sæpenumero victitabat. Hinc Telemachi olla prouerbio locum fecit.

Conna tibicen fuit pauperrimus. qui nihil habuit præter oleastrum.

Caunius fuit quispiam pauperculus, qui quum vtriculum aquæ sitienti Artaxerxi porrexisset, ab eo ad summam rerum opulentiam euectus est.

Cleobis, & Biton fratres Argiui, fuerunt pauperrimi. testis Herod.

Plinius scribit Protogenem pictorem contentum fuisse casula, quam habebat in horto suo.

Seruilius Isauricus, qui proconsul debellauerat Cilices, publico elatus est funere.

Abrahamus Anachoreta nil habuit in solitudine præter catinum & cilicinam vestem cum sago rustico.

Hilarion interrogatus à latronibus, quos offenderat, cur non expaueſceret, qua nudus sum, inquit.

QVI EX HVMILI FORTVNA clari, aut diuites euaserunt.

Demosthenes fabri filius, clarissimus euasit philosophus. Sidon. Qui fabro genitore procreatus Orismaluit expolire linguam.

Agathocles è figulina patris officina ad regnũ Siciliæ peruenit. Vnde apud Ausonium sic inducitur loquens: Rex ego qui sum Sicaniæ, figulo sum genitore satus.

Aesopus Tragœdus quum histrionicam artem exerceret, ea tamen euasit ditissimus.

Gadareus sophista, qui prius more mendici peregrinabatur, Maximiani beneficio consulatum adeptus est.

Hadrianus & Marcus Antonius principes Arrianum histo ricum euexerunt ad consularem dignitatem.

Cyrus Panapolyta beneficio Theodosii imperatoris & Eudoxiæ vxoris eiusdem præsul factus est

T. Coruncanius è plebe factus est pontifex maximus.

Giges anulum habuit, in quo erat gemma tantæ virtutis, vt ea ad se versa inconspicuus esset, versa verò ad alios, cõspicuus. propterea legatus ad regẽ missus anuli beneficio ipsum interfecit, & stuprata regina rex è pastore factus est.

C. Marius senior, septies consul, Arpinus fuit, obscura prognatus origine.

Telephanes quum antea currus factitaret, tandem rex Lydorum factus est.

Terentius Varro sordido natus loco, tandem quæstura, & duabus ædilitatibus functus est.

Tamburlanum à tenera ætate porcarium, fortuna Scytharum regem constituit.

Cælestinus Quintus ex Anachoreta factus est Pontifex maximus.

Lamissionem in piscina (quum infans esset, repertum fortuna fecit Longobardorum regem.

Narses Eunuchus è chartulario patriciam consecutus est dignitatem, & totius Italiæ principatum.

Ptolemæus filius Lagi ex gregario Alexandri milite factus est rex Ægypti.

Rhodope meretrix ex immundo illo corporis quæstu ad Ægypti regnum conscendit, nupsitq; Psamnitico.

Ioannes Campanus, qui infans pascendis ouibus tempus contriuerat, tandem beneficio Pii Secundi Pontificis Maximi præsul factus est.

Franciscus Sforția, dux Mediolani, patrem habuit Sfortiam Attendulum, qui quondam in exercitu fuerat lixa.

Gordius ab agricultura ad imperium euectus est.

Valentinianus imperator patrẽ habuit funes torquẽtem.

Helena imperatrix & vxor Constantii inter Britannos humili orta est loco.

Proculus quum latrunculus lusitaret, & decies in eo ludo imperator extitisset, accessit protinus scurra, qui eum purpura ornatum salutauit vt imperatorem. qua ille occasione vel oblata, vel arrepta, verè assecutus est, quod per iocum dicebatur.

Mauritius Cappadox, è famulo & excubitore imperium adeptus est post Tiberium Secundum.

Ioannes Zimisces prius Ludi magistrũ egerat, imperiali tamen dignitate functus est tandem.

Nicolaus Quinctus, natione Lunensis, humili natus loco, & professione medicus, ad summum tandem pontificatum peruectus est.

Innocentius Octauus ab ineunte ætate coactus est ob paupertatem famulari, & inter Alphonsi Siciliæ regis miniſtros victum sibi comparare. mox tamen Xysto IV. successit in pontificatu.

Pius Secundus ob parentum paupertatem peregrinari coactus est, & victum emendicare. prouectior factus, successit Callisto tertio.

L. Tarius Ruffus natalium humilitate consulatum militia industria meritus est. auctore Plinio.

Quinctius Cincinnatus, quum agrum coleret, sudore deserto prætextam accepit togam, & ab aratro conscendit ad dictaturam.

Ventidius Bassus adeò sordido natus est loco, vt victum ægrè sibi quæreret adolescens. demum tamen quum in C. Cæsaris beneuolentiam introrepsisset, eius patrocinio & fauore factus est primùm tribunus plebis, mox prætor, inde pontifex, & consul. Ad extremum qui prius curandis mulis victum sibi quæritabat, eò conscendit gloriæ & auctoritatis, vt primus subegerit Parthos, ac de his triumphauerit. cui eius gloriæ vsque adeò inuidit populus Rom. vt sequentes in eum versiculi vulgò iactati sint: Concurrite homines augures, haruspices, Portentum inusitatum conflatum est recens. nam mulos qui fricabat, consul factus est. auctor Gellius lib. 15. cap. 4.

Euripides ex matre olerum venditrice euasit poeta celebratissimus.

Primislaus rex Bohemorum ab ineunte ætate bubulcus erat, & armentarius.

Hiperbolus Chremidis filius (qui prius lucernas faciitabat) Athenis tandem principatus est.

Darius Histaspis filius, Cyri primùm extitit Pharetrophorus, & lictorio functus est munere, rex Persarũ factus.

Macedonũ rex Archelaus natus est Simiche matre serua.

Perseus quem Paullus Æmilius attriuit, fuit Argiuus genere, ignobili prognatus patre.

Eumenes inopem habuit parentem.

Antigonus Philippi artificio se confouebat.

Latrocinia exercuit Polyperchon.

Phocion patrem habuit, qui cochlearia conficeret.

Demetrius Phalerius seruiuit apud Demetriũ, & Conona.

Sycioniorũ tyrannus Cleon pyraticam prius exercuerat.

Mandro fuit quispiam, qui ex nauiculario factus est imperator. hinc adagium, Fuit & Mandroni siculna nauis.

Bonosus imperator, filius fuit pædagogi litterarii, auctore Flauio Vopisco.

Probus patrem habuit agrestem, & olitorem.

Aelio Pertinaci origo gentis fuit sordida. Aurelius

Aurelius patrem habuit mediocrem & colonum.

Galerius pastor fuit armentorum, habuitq; parentes agrarios.

Adramitenum Andriscum in Fullonia natum fortuna ad opes & dignitates euexit.

Iustinus, qui ante Iustinianum imperauit, fuit armentarius, & sues egit.

Basilius Macedo captiuus inter venales Constantinopolim ductus, factus est imperator.

Artaxerxes humili apud Persas loco natus, imperium à Parthis ad suos transtulit, & Artabanum triplici prœlio cum tota deleuit familia.

Romulum & Remum infantes aluit lupa, quos conditores habuit Roma.

Viriatus Lusitanus in Hispania è pastore venator, è venatore latro, ex latrone dux postremo factus vniuersam occupauit Lusitaniam.

Cicero homo nouus, Arpinas (vt improperabat inimicus) præter dignitatẽ consularẽ eò diuitiarum peruenit, vt habitaret domũ, quæ fuerat M. Crassi Romanorũ ditissimi.

Incunabula Tullii Hostilii agreste cepit tugurium. Eiusdem adolescentia in pascendis pecoribus fuit occupata, validior ætas Romanum rexit imperium.

Tarquinius Priscus natº est patre Damarato, etiã exsule.

Tullius Seruius, verna, & ancillæ filius, Romanis princi patus est.

M. Perperna (qui peregrinus Romam venerat) consulatu potitus est.

Cornelium Syllam ex Nicopolis meretriculæ hinu absumptum sustollens fortuna, super Cimbricos Marii triumphos, septemq; consulatus, imperiis dictaturisq; affecit.

Lycastus & Parrhasius à Philonomia matre expositi, & à Tilipho pastore nutriti, Arcadiæ regno tãdẽ præfuerũt.

Xystus primus, pastorali ortus tugurio, ad summum Pontificatum conscendit.

Anselmus ex monacho abbas, ex abbate Cantuariensis episcopus factus est.

Sadragesillus, Dagoberti pedagogus, è ludimagistro

lux Aquitaniæ.

QVI EX PROSPERA FORTVNA ad humilem, & miseram redacti sunt.

Dionysius iunior Syracusis (vbi tirannidem exercuerat) pulsus, exsulauit Corinthi, ibiq; ludi magistrum egit, teste Cicerone.

Bazaites, rex Turcarum, Tamburlano victori equum incensuro subinclinauit humeros, & scabelli vsum præbuit, vt etiam Valerianus imperator, Sapori regi Persarum.

Belisarius Romanis præfectus copiis quum Vandalos deleuisset, de Parthis triumphasset, vrbem non semel à Barbaris liberasset, post, multas victorias Iustiniano mandante exoculatus victũ in via publica à transuentibus emẽdicauit.

Cassius, qui bis triumphauerat, ter consulatu fuerat potitus, supplicio capitali clausit vitam.

C. Carbo post tres consulatus, ventrem purgans interfectus est.

C. Cotta ante diem futuri sibi triumphi exspirauit.

Caninius quo die factus est consul, in fata concessit.

M. Claudius Marcellus, qui Hannibalem superauerat, Syracusas expugnauerat, tandem apud Venusiam interfectus est.

Ne Paullus Æmilius duobus triumphis, priore de Liguribus, posteriore de Perseo supra modum insolesceret, ei filiorum mortem immisit fortuna.

Suadocopus, rex Morauiæ & Bohemiæ, ab Arnulpho imperatore superatus, mutata veste consenuit in deserta nemorum solitudine cum tribus anachoretis.

Christophorus Papa, summo pontificatu detrusus monasticam egit vitam.

Cælestinus v. Ioannes I. Ioãnes XIV in carcere perierũt.

Benedictus v. Benedictus x. Martinus Tudertinus, Ioannes XII. suo pontificatu detrusi, omnes consenuerunt in exitio.

Polycrates, Samiorum tyrannus, post multos ridentis fortunæ zephyros, ab Oræte, Cyri præfecto, superatus &

suspendio affectus est.

Xerxes qui Ægyptum subegerat, à Themistocle victus, ab Artabano interfectus est.

Artabanus, ab Artaxerxe occisus.

Mithridates, rex Ponti, qui annis quinquaginta Romanos variis cladibus affecerat, Asiam occupauerat, Q. Oppium Proconsulem, & Aquileium legatum, in vincula conjecerat, à Lucullo primùm, deinde à Pompeio superatus, mortem sibi intulit.

Pompeius, expugnato Domitio, Iarba triumphato, Sertorio in Hispania sublato, Pyratis subactis, & Tygrane rege Armeniæ, debellatis item Iberis, Albanis & Iudæis cum Aristobulo rege, & Mithridate ad huriendum venenum coacto, ad extremum post tot illustres victorias à Cæsare victus in Thessalia, iussu Ptolemæi, ad quem in extrema rerum desperatione confugerat, interfectus est.

Cæsar, victor Pompeii, quum de Gallis, Alexandrinis, Ponticis, Africanis, & Hispanis triumphasset, & maximam orbis terrarum partem subegisset, coniuratione C. Cassij & Decii Brut. XXIII. vulneribus in senatu confossus est.

Legitimus Persei Macedoniæ regis filius artem ferrariam exercuit, ad tolerandam paupertatem, testis Ammianus Marcellinus.

Iunior Marius, post trucidatos in vrbe Syllanos, victus apud Prænestę, Pontio Telesino fugæ comite iugulandum se præbuit.

Senior verò Marius, qui septies consul fuerat, de Iugurtha triumphauerat, Cimbros & Theutones subegerat, Apuleium & Glauciam seditiosos interemerat, victus à Sylla aliquandiu delituit in Minturnensium paludibus. Ouid. lib. 4. de Ponto: Ille Iugurthino clarus, Cimbroq; triumpho Quo victrix toties consule Roma fuit, In cœno Marius iacuit, cannaque palustri, pertulit & tanto multa pudenda viro.

Tarquinius Superbus regno pulsus est. Horat. lib. 1. Serm. Vnde superbus Tarquinius regno pulsus fuit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PYgmalion, rex Tyri, Sichæum sororis suæ Didonis maritum interfecit, vt eius auro potiretur. Virg. lib. 1. Æn. -ille Sichæum Impius ante aras, atque auri cæcus amore Clàm ferro incautum sùperat, securus amorum Germanæ.

Achilles, ductus auaritia, cadauer Hectoris Priamo exposuit venale. Virg. li. 1. Æn. Exanimumq; auro corpus vendebat Achilles.

Polymnestor, rex Thraciæ, Polydorum Priami & Hecubæ filium fidei suæ tempore belli Troiani commissum interfecit, vt eius auro potiretur. Virg. lib. 3. Æn. Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat, & auro Vi potitur.

Vnidii auaritiam describit Horat. lib. 1. Serm. dicens: Vnidius quidam (non longa est fabula) dines Vt metiretur nummos, ita sordidus vt se Non vnquam melius seruo vestiret, aduſq; Supremum tempus, ne se pænuria victus Opprimeret, metuebat, ad hunc liberta securi Diuisit medium, fortissima Tyndaridarum.

Idem arguit Fusidium feneratorem his verbis: Fusidius vappæ famam timet ac nebulonis, Dives agris, dives positis in fenore nummis. Quinas hic capite mercedes exiget, atque Quantò perditior quisque est, tantò acrius vrget.

Eodem modo Martialis notat auaritiæ Saleranum quendam, qui fingebat se tristari de morte vxoris, quum tamen lætaretur plurimùm, vt solus potiretur bonis.

Stroza pater eandem inurit notam cuidam Scauro, vbi ait: Scaurus habet villas, vrbana palatia, nummos, Pinguiaq; innumeris prædia bobus arat. Huic tamen assiduè maior succrescit habendi Nunquam diuitiis exatiata fames. Ditior est igitur patrio contentus agello, Qui viuit nullo fenore Fabricius.

Cato Vticensis insimulatus est auaritiæ à Cesare, quum Martiam coniugem Hortensio amico rogâti concessisset, eamq; postea Hortensii recepisset heredem. Dimisit, inquit, vt locupletem reciperet.

Demosthenes habitus est auarus, quòd pecuniam à rege Persarum acciperet, ab Harpalo corruptus, vt ageret contra Philippum.

Aulus Postumius Albinus missus ad inferendum Iugurthæ bellum, pecunia corruptus destitit.

Simon fuit auarus, qui à Petro spiritus sancti gratiam mercari volebat. unde Simoniæ inditum nomen.

Achæus, rex fuit Lydorum, qui quum noua tributa à subditis vellet extorquere, ob auaritiam populari factione suspensus est elatis pedibus, & demerso in Pactolum capite. Ouid. in Ibin: Morte vel intereas capiti suspensus Achæi, Qui miser aurifera teste pependit aqua.

Didius Iulianus imperator porcellum atque lepusculum ad se muneri missum in triduanas partiebatur cenas: prandebatque interim paucis oleribus & herbulis contentus.

Aelius Pertinax imperator, dimidiatas lactucas aut carduos conuiuiis solebat apponere. & si quid interdum vellet amicis mittere, binas tantùm offulas aut paucula mittebat poma. aut siquando lautius vellet facere, dabat lumbos gallinaceos.

Martinus Pont. Max clanculum cereos in templis solebat extinguere, gratia nocturni luminis. idem vt oleo parceret, instituit crudos pisces dari domesticis à dispensatore.

Pontanus scribit Angeloctum sacerdotem Cardinalem particulam hordei singulis ab equis clàm è præsepibus surripere consuesse, donec à magistro stabuli pro fure deprehensus in tenebris vapulauit.

Quo tempore Hannibal opprimebat Campanas bello, Valerius Bestius Ruscium, Imbrici soceri sui filium, quem acceperat seruandum, auaritia stimulantem morti dedit, vt eius auro potiretur. auctor Plutarchus.

Arismapi, populi Thraciæ, assiduum gerunt bellum cum Gryphis auri cupiditate.

Patroclum quendam taxauit Aristophanes, quòd in summa rerum opulentia sordidè & immundè viueret, ne faceret sumptum.

Non satis fuerunt Crasso numerosæ illæ (quarum iam meminimus) diuitiæ, nisi & aurum Parthorum esuriret.

Gellius ait Cornelium Rufinum, manu quidem strenuum & bellatorē bonū fuisse, sed furacem & acri auaritia.

Cassius Seuerus, Labieni amicissimus, supra omnes imperatores auaritia insignis habitus est.

Ochus, rex Persarum, auaritiæ nota adeò laborauit, vt vrbem nunquam iniret, ne mulieribus congiarium impertiretur. nam Cyrus lege sanxerat, vt vbi primùm Persarum rex ingrederetur, mulieres quotquot adessent, singulos auri nummos ab ipso rege acciperent.

Semiramis, in monumento, quo post mortem erat recondenda, hæc insculpi iussit: Quicunque regum post me futurorum pecunia indiguerit, recluso conditorio sumat inde quidquid visum fuerit. Id quum perlegisset Darius, auri cupiditate sepulcrum iussit recludi, in quo tamen pecuniam inuenit nullam, sed hoc tantùm litteris sculptum: Nisi malus fores, & auarus, mortuorum loculos non moueres, auctor Herod.

Condalus domesticus Mausoli, regis Cariæ, tanta laborauit auaritiæ nota, vt si qua arbor in uias procumberet, fructus ipse decerperet, & exponeret venales. Eidem regionem peragranti si quis ouem aut vitulum attulisset, dan ti imperabat, vt domum referret, & nutriret. Longo demum post tempore ipsum repetebat, & si quid inde foret natum emolumenti.

Eutropius scribit Flauium Vespasianum auidissimum fuisse pecuniæ.

Iustinianus iunior tanta fuit cupiditate, vt ciuibus & senatoribus aurum & argentum extorqueret, quod capsis ferreis ad hunc vsum factis includebat.

Cæsar in Hispania à proconsule, & à sociis pecunias accepit emendicatas in auxilium æris alieni. et Lusitanorum quædam oppida, quanquam nec imperata detrectarent, & aduenienti portas patefacerent, diripuit hostiliter. templa deum donis referta expilauit. vrbes diruit sæpius ob prædam, quàm ob delictum. in primo consulatu M M M. pondo auri furatus est è Capitolio. societates & regna pretio dedit. sex millia talentorum suo & Pompeii nomine Ptolemæo abstulit.

Tiberius Cæsar fuit adeò parcus, & tenax pecuniæ, ut comites expeditionum & peregrinationum cibariis tantùm iuuarit, non salario.

Caligula, sororum ornamenta, & supellectilem, & seruos magno pretio vendidit. vectigalia noua & inaudita excuit, nullo rerum aut hominum genere omisso, cui non tributi aliquid inponeret. pro eduliis (quæ tota vrbe veniebant) certum stacumq; exigebat.

Nero tabernulas effringebat, & expilabat: exhaustus pecunia animum calumniis & rapinis intendebat. matronam purpura cultam, veste & bonis omnibus exuit. templis compluribus dona detraxit. simulacra ex auro vel argento fabricata conflauit.

Sergius Galba, ciuitates Hispaniarum & Galliarum, quæ constantius fecerant deditionem grauioribus tributis puniuit. Iouis coronam auream librarum x v. conflauit. Militesq; aquilam & signa flagitantes decimauit. Germanorum cohortem, à Cæsaribus ad custodiam corporis institutam, dissoluit, & sine vllo commodo remisit in patriam. Apposita lautiore cena ingemuit, quasi sumptum ægrè ferens. Ordinario dispensatori breuiarū rationū offerēti, nihil præter paropsidem leguminis pro sedulitate ac diligētia porrexit.

Fuerunt in Flauio Vespasiano, de quo iā diximus, auaritiæ argumenta: nam omissa sub Galba vectigalia reuocauit. noua etiam & grauia addidit, & auxit tributa prouinciis, non nullis etiam duplicauit. auiditate lucri negotiationes, vel priuato homini pudendas palàm exercuit. candidatis honores, reis absolutiones venditauit. procuratorum rapacissimos ad ampliora officia promouebat ex industria, quò locupletiores mox condemnaret. quibus propterea diceba tur vti pro spongiis, quòd quasi siccos madefaceret, & exprimeret humentes. Hæc Suet. Nec eum puduit victigalia ex vrina colligere.

Domitianus operum & munerum impensis exhaustus, nihil pensi habuit bona viuorum prædari & mortuorum. si qualecunque factum aut dictū aduersus maiestatem principis alicui obiectum esset, confiscabatur eius hereditas. stipendia ab his exigebat, qui Iudaicam viuerent vitam.

Eriphyle, desiderio habendi monilis aurei, quod ferebat Adrastus rex Argiuorum, Amphiaraum maritum suum prodidit, qui se occuluerat, ne Thebas ad bellum raperetur, quòd ex vaticinio præuideret ibidem se periturum.

Alcmæon, Megaclis filius, quum legatos Crœsi Lydorum regis Delphos ad oraculum irantes humanissimè frequenter accepisset, Crœsus vt responderet tantæ humanitati, & beneficium reponeret, eum donauit tanto auro, quantum ille corpore suo ferre posset. Tum Alcmæon talarem tunicam laxosq; cothurnos induit, quos ærarium ingressus impleuit pecunia. quinetiam os refersit, & ramenta quædam alligauit suis capillis, adeò vt oneri succumberet. Homine conspecto, Crœsus irrupit in cachinnum, eumque tanto instructum munere dimisit. Herodotus.

Euclio, apud Plautum nomen est auari, qui quum haberet ollam pecunia refertam, & abditam terra, domo non audebat egredi, ne quis furaretur. Omnes, qui ad eum itabant, habebat suspectos furti.

Claudianus, auaritiam Rufini his incessit verbis. Plenus sæuitiæ, lucriq; cupidine feruens. Non Tartessiacis illum satiaret arenis Tempestas pretiosa Tagi, non stagna rubentis Aurea Pactoli, totumq; exhauserit Hermum Ardebit maiore siti.

Apollonius Tyanæus arguebat Platonem auaritiæ, quòd pecuniæ causa secutus esset Dionysium in Siciliam.

Huius sceleris suspectum se suis verbis fecit Simonides poeta, quòd rogatus à quodam, vt Encomium in eius sceleberet laudem, gratiam loco muneris accepturus, respondit, duas se habere arcas, vnam gratiarum, alteram argentea. Hanc quum aperiret, communem plenamq; reperire, illam verò inanem & vacuam.

Quum Brennus, Senonum dux, Ephesum obsideret, Demonica mulier auiditate monilium, quibus ille ornatissimus enitebat, vtbem ipsam prodidit. Brennus verò vrbem ingressus, tanto auro feminam onerauit, vt dedita opera oppresserit viuam, muliebrem illam pertæsus auaritiam.

Eandem ob causam Tarpeia virgo Romana capitolium Sabinorum regi Tatio prodidit.

Volater. ait Leonardum Arretinum auaritiæ maculam contraxisse.

Philippus Augustus Gallorum rex, decimas imperauit, reclamantibus Innocentio quarto & vniuerso Galliarum clero. At hoc vitium nunc adeò frequens est, vt nemine iam obmurmurante transiuerit propemodum in legem.

Q. Cassius, in Hispania Syllium, & Calpurnium occidendi sui gratia cum pugionibus deprehensos, quinquagies sestertium ab illo, ab hoc sexagies pactus dimisit.

L. Septimuleius C. Gracchi (qui prius erat familiaris) caput abscidit, & per vrbem pilo fixum ferre sustinuit, quia Opimius consul auro id repensurum edixerat.

Alphium Horatius feneratorem vocat, vbi ait, Hæc vbi locutus fenerator Alphius, Iamiam futurus rusticus Omnem redegit idibus pecuniam.

Menippum philosophum, genere Phœnicem, aiunt fenetatorem extitisse.

Caristes nomẽ est feneratoris apud Plutarchũ i Phociõe.

Iulius Capitolinus scribit Antonium Pium imperatorem fenus trientarium, hoc est minimis vsuris, exercuisse, vt patrimonio suo plurimos adiuuaret.

Temeseus fenerator fuit quispiam, quem Eutymus Locrensis athleta coegit reddere quidquid illicito vsuræ quæstu sibi comparauerat.

Atisius nomen est feneratoris apud Saxonẽ Grammaticũ.

LIBERALES, ET MVNIFICI.

DIdo Troianis in Africam appulsis misit viginti tauros, sues q; totidem, totidem agnos cum matribus, si fides est Virg. lib. 1. scribenti, Nec minus interea sociis ad litora mittit viginti tauros, magnorum horrentia centum Terga suum, pingues centum cum matribus agnos, &c. Eosdem quoque excepit epulo & conuiuio, cuius apparatum idem poeta describit his verbis: Dant matribus famuli lymphas, Cereremq; canistris Expediunt, tonsisq; ferunt mantilia villis. Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo Cura penum struere, flammis adolere penates, &c.

Idem Virg. lib. 4. Æneid. scribit Iarbam Getulorum regem centum Iouis delubra & aras totidem posuisse, igneimq; vigilem & perpetuum sacrauisse.

Cyprianus Afer facultates suas omnes pauperibus impartiuit.

Cimon Athenienſis hostiles exuuias ciuibus suis contulit. parabat quotidie domi conuiuium, quo pauperes turmatim conueniebant. famulis iubebat, vt si quem pauper tate laborantem animaduerterent, eum collata furtim pecunia adiuuarent. agrorum suorum & prædiorum fœpes auferri iussit, vt omne s fructibus impune vescerentur. Hanc eius liberalitatem commendant Plut. & Lactantius de vero cultu.

Sedente in pontificatu Bonifacio IX. Ludouicus rex Pannoniæ, Caroli regis filius, Romam ad annum iubileum profectus, quattuor aureorum millia aræ Petri obtulit.

Germanus, præsul Antissiodorensis, vas argenteum à Placidia Valentiani matre susceptũ pauperibus dono dedit.

Lucina virgo Romana Christianos suis iuuabat sũptibus, & affectos martyrio in agro suo sepeliebat.

Mæcenas eques Etrusco de sanguine regum omnes eruditos sui sæculi amauit plurimùm, multisque iuuit munneribus.

Paula Busa femina exercitum populi Romani ex fuga clades Cannensis frumento iuuit & viatico. Liuius.

Pudentiana, & Praxedes, virgunculæ, pauperes Christianos suis nutriebant sumptibus.

Valdo (à quo pauperes quidam Lugdunei Valdenses appellati sunt) vniuersum patrimonium pauperibus erogauit, dictitans omnia inter Christianos communia esse oportere.

Abdias centum prophetas in spelunca metu Iezabelis vxoris Achab delitiscentes, occultè pauit.

Apollonius confessor mendicis morbo laborantibus operam & pastum supeditabat.

Andoenus episcopus, qui floruit, regnante apud Francos Lothario, cœnobium patrimonio suo erexit.

Anastasius II. pontifex Max. pauperes pauit sua pecunia, quum vniuersam propè Europam publica torqueret fames.

Alexãder v. pontifex tanta erat munificentia, vt prædicaret per iocum se diuitem Episcopum fuisse, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem.

Alphonsus x. rex Hispaniæ in nuptiis filii sui & Blanchæ diui Ludouici filiæ congiarium populo dedit, & pauperes vestimentis viritim ornauit, imperatorem Constantinopolitanum à Soldano captum ingenti redemit pecunia.

Alfredus rex Anglorum permulta construxit cœnobia.

Batildis, seu Clotildis, Francorum regina, duo cœnobia construxit.

Theodericus filius Clodouei ædem sancti Modesti Atrebatensis.

Tiberius secundus, qui ante Mauricium Cappadocem imperauit, Narsetis thesauros in puteo repertos egentibus impartiuit.

Clotarius rex Francorum condidit templum Sancti Medardi Suessionense.

Cunto, Anglorum rex, cœnobia quattuor erexit. tria ordinis sancti Benedicti, quartum in honorem diui Eduardi regis.

Dagobertus rex Francorum fecit cœnobium beati Dionysij in Francia.

Etgarus rex Angliæ singula erexit monasteria singulis quibus regnauit annis.

Eligius, Nouionensis episcopus, quum antè aurifex esset, quidquid ea arte cõsequebatur lucri, dabat pauperibus.

Epiphanius præsul Salaminiæ episcopatus sui fructum dabat mendicis.

Egidius Athenienſis spoliauit se veste, vt repertum in via pauperem operiret.

Paula, Romana mulier, marito mortuo, suas facultates indigentibus erogauit.

Plato martyr, qui passus est imperante Maximiano, patrimonium hereditatem concessit pauperibus.

Philippus Augustus cœnobium apud Syluanectum excitauit, & ciuitatem Andegauensem dirutam restituit.

Petrus vrseolus dux venetorum templum diui Marci incendio absumptum restituit, & pauperum xenodochium extruxit.

Theolinda, Longobardorum regina, multas sacras ædes erexit, multas ruinæ iam proximas reparauit.

Robertus Hugonis Capeti filius, Francorum rex plurima religiosa excitauit. apud Aureliam cœnobium sancti Anniani, in silua Aquiliana S. Medardi, & sancti Leodegarii, in Viteraco castro S. Regalis, in ciuitate Siluanectensi, apud Augustudunum sancti Cassi.

Vuenceslaus, rex Boemorum, regni pauperes egregia fouebat munificentia.

Otho tertius imperator diuendito patrimonio, Germaniam multis ornauit cœnobiis.

Ludouicus Crassus, Francorum rex, fecit cœnobium S. Victoris in suburbiis Lutetiæ.

Innocentius tertius xenodochium S. spiritus fecit in Saxia. altare S. Petri Romæ exornauit. Xysti templum restituit. turrim maximam erexit.

Nicolaus episcopus Pataræ sua pecunia iuuit paupertatem cuiusdam hominis, qui rerum pænuria decreuerat formosas, quas habebat, filias prostituere in lupanari, vt quæstu facerent suo corpore, & victum sibi compararent libidine.

Constantinus Monomachus imper. templum instituit, in quo grauati senio, & ad laborem inutiles fouerentur.

Lupus, Senonensis archiepiscopus, tanta erat in pauperes munificentia, vt nullum sibi relinqueret thesaurum, sed totum se hauriret.

Augustus opera publica multa Romæ extruxit, vt forum cum æde Martis, templum Apollinis in palatio, ædem tonantis Iouis in Capitolio. principes sæpe hortatus est, vt monumentis vel nouis, vel refectis vrbem adornarent. spatium vrbis diuisit in vicos & regiones. aduersus incendia excubias nocturnas cómentus est. ad coercendas inundationes alueum Tiberis laxauit. ædes sacras vetustate collapsas, aut incendio absumptas refecit, & donis ornauit. in cellam Capitollini Iouis XVI millia pondo auri gemmasq; & margaritas quingenties sestertium vna donatione

contulit. tot denique ædificia vel erexit, vel diruta reparauit, vt gloriaretur, vrbem marmoream se reliquisse, quam lateritiam inuenisset.

Darius, Histaspis filius, insulam Samon & omnes ex ea prouentus Sylosonti dedit, ob acceptam ab eo vestem quandam magni pretii.

Proculeius fratres suos Scipionem & Murenam impendiis bellorum ciuilium attritos & spoliatos, partito iuuit patrimonio. vnde Hor. lib. 2. Car. Viuet extento Proculeius æuo Notus in fratres animi paterni: illum aget penna metuente solui Fama superstes.

M. Scauri magnificentiam iam docuimus in capite de sumptuosis ædificiis.

Flauius Vespasianus fecit templum pacis foro propinquum, item amphitheatrum in media vrbe. expleuit censum senatorium. Consulares inopes qningentis sestertiis annuis sustentauit. Plurimas per totum orbem ciuitates terræmotu aut incendio afflictas in melius restituit. Priuatos è fisco Græcis Latinisq; rhetoribus annua centena constituit. Præstantes poetas & artifices coemit. Colossi refectorem magna mercede donauit. Cuidam sumptum increpanti respondit, Sineret se plebeculam pascere pane. Dedit Apollinari tragœdo CCCC sestertia, Tarpeio Diodoroq; citharœdis ducenta. Apophoreta dabat viris in Saturnalibus, & feminis kalendis Martiis.

Plinius orator, Historici nepos: Quinctiliano rhetori dedit abundè pecuniæ, qua nubilem dotaret filiam. quod ad ipsum scribens edocet his verbis: Et tanquam parens alter puellæ nostræ confero quinquaginta millia nummum.

Alexander Taxilæ regi mille talenta contulit, vasa item conuiualia ex auro & argento plurima, item vestes Persicas, & equos XXX. suis insignibus ornatos.

Idem Porum hostem ægrum curauit, & amicorum numerum recepit, & ampliore donauit regno, quàm prius tenuisset. Bis Persarum ciuitatem ingressus, toties mulieribus erogauit nũmos, prægnãtibusq; munus duplicari iussit.

Solebat Africanus Scipio non prius è foro discedere, quàm vnum aliquem ex his, quibus congrederetur, bene

solum sibi & amicum efficeret. et quamuis eius potestate victa fuisset Carthago, moriens tamé argenti libras XXXIII. auri duas duntaxat reliquit, tanta in omnes extiterat munificentia.

Nerua, imperator ad sustentandam ciuium vitam decies & quinquagies centena millia nummum erogauit, & quosdam senatorii ordinis delegit, qui agros emerent, eosq; egenis partirentur. unde inops pecuniæ factus, vestes, vasa, & vniuersam supellectilem auctioni subiecit, agrosq; & domos vendidit. auctor Dion Cassius. Quidquid antea pœnæ nomine tributis accesserat, indulsit. afflictas ciuitates releuauit. puellas, & pueros natos parentibus egestuosis sumptu publico per singulas vrbes Italiæ foueri iussit. testis Aurel. Victor.

Hadrianus, nulli iniustè pecunias abstulit. multa publicè & priuatim multis elargitus est.

Fuit in Tito Vespasiano liberalitas adeò magnifica, vt die quadam vesperi recordatus nihil se cuiquam præstitisse, dixerit, Amici perdidimus diem. Monentibus domesticis quòd plura polliceretur, quàm præstare posset, respondit, Non oportere quenquam à sermone principis tristem discedere. Non solùm nihil negauit petentibus, at etiam hortatus est vltrò, vt quæ vellent, peterent. plebem quandoque admittebat in thermas, quibus lauabatur. ciuitates incendio Veseui in Campania dirutas reparauit. afflictis morbo nullam non adhibuit opem & medelam, inquisito omni sacrificiorum remediorumq; genere.

Iulianus imper. aras multo victimarum sanguine profundebat, & tauros quandoque immolabat centenos, & innumeros varii pecoris greges.

Gallienus imp. Valeriani filius, nihil vnquam cuiquam petenti denegauit.

Alexius Commenus orphanotropheion erexit, in quo puellas & pueros parentibus orbatos sua pecunia refouebat. fecit & Musæum, in quo alios iubebat eruditi, pecunia ex regio vectigali data.

Antonius Pius (qui successit Hadriano) magnam sui thesauri partem amicis & militibus impartiuit, Eutropio teste.

Traianus vrbes trans Rhenum in Germania reparauit. nihil iniustum ad augendum fiscum egit. publicè & priuatè omnes sibi familiares muneribus cumulabat & honoribus. multas immunitates ciuitatibus tribuit.

Theodoricus, qui mortuo Odoacre Serulo imp. totius Italiæ adeptus est ditionem, Romanis singulis annis dedit viginti millia modiorum tritici. auctor Pau. Diaconus.

Caligula imp. absoluit templum Augusti, & theatrum Pompeii. inchoauit aquæductum & amphiteatrum Syracusis. Collapsa vetustate mœnia & deorum ædes refecit.

Caligulæ successor, Cæsar Claudius perfecit aquæductū ab ipso Caligula inceptum. Riuum Anienis lapideo opere in vrbem perduxit, diuisitq; in plurimos lacus. per tria passuum millia montem effodit, & excidit, ad emittendum Fucinum lacum: quod opus ægrè absoluit post vndecim annos, quamuis triginta hominum millia sine intermissione operantia adhibuisset. Congiaria populo sepissimè dedit.

Domitianus congiarium populo nummorum CCC. ter dedit, & inter spectacula muneris largissimum epulum. Septimontiali sacrorum die senatui & equitibus panaria & sportellas cum obsonio distribuit. sparsit & dona missilia in populum. multa opera incendio absumpta restituit, vt Capitolium. excitauit ædem in Capitolio custodi Ioui, & forum.

Marcus Aurelius, vocatus à matre ad diuidendum cum sorore patrimonium, vniuersum sorori concessit.

Agesilaus delata ad se Agidis bona, inter cognatos inopia pressos diuisit.

Probus Augustus in plurimis victoriis nihil præter tela & arma sibi retinuit: cetera militibus concessit liberè.

Aurelianus tunicas viritim per populum dedit, item frumentum, & oleum, cum vino.

M. Antonius Triumuiri filius munerum magnitudine Philotam quendā adeò terruit, vt ille capere reformidaret.

Pomponius Atticus fugientem è patria Ciceronem sestertiis CCXL. millibus donauit. cedenti Italia Bruto sestertia centum millia muneri misit. tam multa in P. Volumnium contulit, vt plura proficisci à parente non potuerint.

Idem publicã Athenienſium inopiã ſuis opibus ſubleuauit.

Tanta fuit L. Luculli in omnes, eruditos præcipuè, liberalitas & beneuolentia, vt domus eius Græcorum Romam venientium portus diceretur.

Alfonſus rex populorum aut regum oratoribus publico aut priuato nomine ad ſe venientibus ædes iubebat exornari. et gratuitas epularum delitias miniſtrari, nec vnquam abire permittebat indonatos.

Alexander Magnus cuidam Perillo quinquaginta talenta numerari iuſſit, ad dotem pauperculæ filiæ, quum illa decem non amplius talenta poſtularet.

Vrſus Comes Nolanus, ſingulis annis, quibus Nolæ præfuit, auri & argenti vim non paruam contulit ad dotem paupercularum virginum.

Vide liberalitatem multorum in eruditos, in hiſtorias & munificis viris, infinita pænè exempla, quæ ex induſtria miſſa facio: quod ignorem, ex nimia quandoq; abundantia faſtidium prouenire: quodq; (vt inquit Horatius) Omne ſuperuacuum pleno de pectore manet. Qui alia id genus deſiderabit exempla, videat Val. Sabellicum, & Fulgoſium.

PRODIGI.

CAtullus Formianum quendã inceſſit vt decoctorem, & ære alieno oppreſſum, vbi ait: Iſta turpiculo puella naſo Decoctoris amico Formiani.

M. Tigellius Hermogenes fuit adeò prodigus, vt tibicines, hiſtriones, paraſiti, gnathones, mimi, epulones, balatrones, mendici, vnguentarii, caupones, reliquiq; ſcio, & perditæ vitę homines, mortem eius multis lacrymis deſleuerint. Hor. lib. 1. Ser. Ambubaiarum collegia, Pharmacopolæ, Mendici, mimi, balatrones, hoc genus omne Mæſtum ac ſollicitum eſt cantoris morte Tigelli, Quippe benignus erat.

Filius Æſopi tragœdi tanta fuit prodigentia, vt vniones aceto liquefacto cenis apponeret. Hor. lib. 2. Serm. Filius Æſopi detractam ex aure Metellæ Scilicet vt decies ſolidum exſorberet, aceto Diluit inſignem baccam.

Martialis

Martialis lib. 1. notat Baſſam feminam, quòd excrementa corporis aureo exciperet vaſe, vbi ait: Ventris onus miſero (nec te pudet) excipis auro, Baſſa, bibis vitro, carius ergo cacas.

Idem Martialis lib. 9. Cinnæ cuiuſdam luxum ita arguit: Nam tu dum metuis, ne quid poſt fata reliquas, Hauſiſti patrias luxurioſus opes.

Albidius fuit adoleſcens perditiſſimæ vitæ, qui decocto vniuerſo patrimonio, vnas (quæ ſupererant) ædes rerum deſperatione incendio dedit. Quod videns Cato, Hic, inquit, Proteruiam facit.

M. Liuius quum omnia per luxum dilapidaſſet, ſtultitiæ ſuæ periocum illudebat dicens: Se nihil cuiquam reliquiſſe, præter cælum & cœnum. itaque quum pecunia egeret, multa per ſcelus commiſit.

T. Annium Milonem ſeſtertia n c c. millia æris alieni debuiſſe, inter prodigia animi humani dicit Plinius lib. 36.

Rhemnius Palemon Grammaticus luxuriæ ita indulſit, vt ſæpius in die lauaretur, nec ſufficeret ſumptibus, quãuis ex ſchola quadragena annua caperet, & non multò minus ex re familiari.

Plinius ſcribit felicem Arabiam non tantum Cynnami, Caſiæ, aliorumque odorum annuo fetu parere, quantum Nero princeps nouiſſimo pompæ ſuæ die concremauit. Idẽ ſordidos vocabat & parcos, quibus ratio impenſarum conſtaret. eos verò lautos ac magnificos laudabat, qui abutentur & perderent. Mirabatur auunculum Caium Caligulam, quòd ingentes à Tiberio relictas opes in breui ſpatio prodegiſſet. In Tyridatem regem Armeniæ octingenta nũmum millia diurna erogauit. Abeunti ſuper ſeſtertium mil lies contulit. Menecratem citharœdum & Spiculum mirmillonem triumphalium virorum patrimoniis ædibusq; donauit. Cercopithecum panerotem feneratorem propè regio extulit funere. Mulam veſtem bis induit. Quadragenis in punctum ſeſtertiis aleam lu ſit. Piſcatus eſt reti aurato, purpura & cocco funibus nexis. nunquam carrucis minus mille iter fecit. Mulos argenteis crepidabat ſoleis, & Calaufina operiebat lana. Theatrum auro totum operuit in ho

aorem ipsius Tyridatis. Idem cubicula viatoria vnionibus consternebat. Annis x i v. quibus imperio præfuit, bis & vicies millies donationibus effudit: id est quingenties & quinquagies centena millia aureorum.

Agomencelus, Alexandri magni præfectus, aureis clauis suffigiebat crepidas.

Antonius Sopus in cõtumeliã naturæ, vilitatẽ aurofecit.

Poppæa Neronis vxor iumentis suis soleas ex auroinduebat.

C. Caligula opes immensas à Tiberio cõgestas ac vicies septies millies sestertium intra annum absumpsit. Idem Liburnicarum nauium gemmatis puppibus vtebatur, & diuersi coloribus velis, in quibus thermas, porticus, & triclinia statuit magna laxitate, dispositis etiã pomiferis arbusculis.

Demetrius Antigoni & Stratonices filius c c l. talenta scortis dari iussit. auctore Plutarcho.

Tantus fuit Agrigentinorum in omni re luxus, vt Plato diceret, eos ædificare, ac si victuri perpetuò forent: ita demum conuiuari, velut semper morituri. Vtebantur leythis & xistris argẽteis. habebant & lecticas totas ex ebore.

Græci adeò sibi indulserunt, vt mistum vnguento vinum (quod dicebatur Myrites) largius haurirent.

Batilli populi vnguentis madent, auctore Plinio, vt Cyprii, Cycizeni, Corinthii, & Parthi.

De Luculli prodigo luxu iam diximus in diuitibus.

Omnium ferè luxum & prodigentiã nepotinis heluationibus superauit Apicius, de quo Mart. lib. 5. Dederas Apici bis trecenties ventri, Sed adhuc supererat centies tibi laxum. Hoc tu grauatus, ne sitim & famem ferres, Summa venenum potione duxisti. Quod sic interpretatur Budæus: Apici sexcenties sesteritum, id est, quindecies centena aureorum coronatorum millia inexplebili illa ingluuie heluatus quum posses adhuc c c l. millibus (quod centies laxum appellat) vitam lauto & eleganti victu producere: tamen venenum miser hausist., ne patrimonio tanto superesses, quod iamiam te deserturum videbatur.

Cleopatra, vltima Ægypti regina, cenam parauit Antonio, in qua centies sestertium, id est c c l. millia aureorum vno ferculo secundæ mensæ consumpta sunt. Vnde Sidonius Cleopatricas dapes vocat.

Singuli Vitellii apparatus non minus quadringentis millibus constiterunt. in cena eidem à fratre data duo millia lectissimorum piscium, septem auium appositæ traduntur. idem Vitellius in suo principatu ducentis sestertiis condidit patinam, cui faciendæ fornax in campis ædificata erat. Habuit autem in ea patina scarorum iecinora, phasinorum & pauonum cerebella, linguas Phœnicopterum, murenarum lactes, a Carpathia vsque fretoq; Hispaniæ petitarum. auctor Suetonius.

Licinius Crassus quum omnia decoxisset, occurrentium tamen cachinnis vocabatur diues, his verbis: Qui in Parthos militauit, non fuit appellatus diues primus, sed hic.

Heliogabalus inuitatis ad prandium summis viris croco mensam sternebat, dicens se fœnum pro eorum dignitate exhibere. idem triclinia, lectos, & porticus omni florum genere strauit, liliis, violis, hyacinthis, & narcissis, quos flores pedibus conculcabat. maues pretiosis mercibus onustas mergi in portum iussit. aureo vtebatur vase ad corporis excrementa. gemmas ab optimis sculptas artificibus in calceamentis ferebat, quæ nunquam iterabat. pretiosas vestes sæpe conscidit. minxit etiam in Myrrhinis & onychinis vasis. omnibus meretricibus sine effectu libidinis mulctos quandoq; dedit aureos nummos.

L. Neratius, homo egregiè improbus, auctore Gellio, quum pro delectamento haberet, os hominis liberi manus suæ palma verberare: seruum comitem habebat, crumenam plenam assium portitantem. et quencunque depalmauerat, numerari statim secundum duodecim tabulas x x v. asses eidem iubebat.

Callias fuit quidam, qui consectandis meretricibus vniuersum dilapidauit patrimonium. Hinc per iocum dicebatur à scortis deplumatus.

Phocus, Phocionis filius, quum paternas opes prodigo luxu dilapidasset, Athenientibus vsque adeò factus est odio suis, vt occurentes omnes diffamatorem sui generis illum auncuparent.

Alphonsius rex Neapolitanorum quum multa per luxum prodegisset, conflatoque ingenti ære alieno, iam non haberet, vnde creditoribus satisfaceret, dolore & ira permotus pleroſque suis spoliauit bonis.

Alexander Macedo Promachum bibacissimum hominem victorem in vini certamine, aurea corona donauit.

Belsorius Siculus, homo priuatus domum inchoauit tanto sumptu, vt fundamentis modicè adhuc ab humo extantibus pecunia sit exhaustus, quam tamen multis annis improbo labore sibi comparauerat.

Iam diximus Cleopem Ægypti regem sumptu Pyramidis eò redactum inopiæ, vt coactus sit filiam exponere venalem ad meretricium quæstum.

C. Curio tribunus plebis sexcenta æris alieni sestertia debuisse fertur. auctor Val. Max.

Galenus imp. Valeriani filius gemmatas ferebat caligas, exemplo Caligulæ, qui inde traxit nomen.

Petrus presbyter Cardinalis sedente, in pontificatu Xysto, duobus annis trecenta aureorum millia luxu prodegit, & vanitatibus.

Cæsar, Alexandri pontificis filius, quotidianis epulis ducentos aureos dicauit. parasitis vestes duorum millium donauit. Exercitum octo millium hominum viuente patre semper aluit.

Galeatius, filius Ioannis Galeatii primi Insubrium ducis, in filiæ nuptiis (quibus interfuit Petrarcha) ad centum millia nummum erogasse fertur.

GVLOSI, EDACES, & vinolenti.

MArcus Apicius nepotum omnium fuit altissimus gurges, vt iam diximus. Is quum audiuisset grandes caricas nasci in Libya, nauigauit illuc: quod demum quum falsum deprehendisset, Libyam eiusq; habitatores diris imprecationibus deuouit. Hic omnium primus indicauit linguam phœnicopteri esse optimi saporis. De Apicio Martia. lib. 2 ipse quoq; ad cenam gaudebat Apicius re, Quum cenaret, erat tristior ille, domi. Hic

& congiaria principũ, & ingens Capitolii vectigal comessationibus hausit.

Aristoxenus Cyrenæus adeò gulæ studiosus extitit, vt hortenses lactucas vespere malso irrigaret, quò luxuriosius crescerent, & saporis essent delicatioris.

Sanctra nomen est gulosi, de quo Mart. lib. 7. scribit: Nihil est miserius, nec gulosius Sanctra.

Vitellius epulas trifariam aut quadrifariam partiebatur. in tentacula, prandia, cenas, & commessationes, solus omnibus sufficiens vomitandi consuetudine. Suetonius testis est, eum fuisse non profundæ modò, sed intempestiuæ, & adeò sordidæ gulæ, vt carnes holocaustorum non peractis sacrificiis ante aras absumeret. Sidonius: -mihi fœda Vitelli Intulit ingluuies ventrem

Iam locuti sumus de luxu Æsopi, qui tragœdi fuit filius.

Aristippus Cyrenæus summum bonum locabat in voluptate. idem principes solebat comitari, vt parasitus, & amicus mẽsæ: propterea Diogenes Canẽ regiũ eũ appellabat.

Clodius Albinus tam profunda fuit ventris ingluuie, vt quingentas ficus, centum Campana persica, melones Ostienses decem, vuarum Labicanarum pondo viginti, ficedulas c. ostrea x l. vna deuoraret cena.

Domitium Afrum Eusebius prodit cibi præter modum accepti superfluitate redundantem in cena periisse.

Q. Hortensius orator studio gulæ primus omnium Romanorum Pauonem apposuit mensis.

Maximinus iunior bibebat vini amphoram; carnis libras vndecim comedebat.

Theodorus scribit Milonẽ Crotoniatam carnium minas xx. deglutuisse, & panis totidẽ: uini choas persiccalle tres. idem in Olympia quadrinum solus absumpsit taurum, quem per stadium retento anhelitu portauerat suis humeris.

Astydamas Milesius à Persa Ariobarzane vocatus ad conuiuium, solus deuorauit, quidquid conuiuiis omnibus fuerat præparatum.

Gambles rex Lydorum eò voracitatis euectus est, vt nocte quadam vxorem absumpserit.

Vedius Pollio seruos coniiciebat in piscinas, vt pisces

ipsi humano cruore pasti delicatiores essent.

Abronis luxus & deliciæ trito vulgariqúe adagio locum fecerunt.

Caligula maximam partem thesauri à Tiberio relicti cenis & comessationibus cum lenonibus & scortis deuorauit.

Herculem & Vlyssem polyphagiæ & edacitatis nota famosos fuisse scribit Cœlius.

Theagenes Athleta taurum vorabat solus.

Aglais tibicina Megaclis filia decé carniũ minas, & quatuor panũ chœnicas absumebat. hauriebat & choam vini.

Thessalis inusta est voracitatis nota, vt etiam Pharsalis, Mnesimachus apud Cœlium: Pharsalorum venit aliquis vt mensas voret ipsas.

Philoxenum Eryxidis & Gnathonem Siculum inter gulæ proceres & cupediuoros posuit antiquitas, quòd conuiuiis adhibiti sese in paroplides emungerent, vt abstinentibus ceteris largius soli fruerentur. Aiunt & Philoxenum ipsũ optasse sibi collum gruis, quò maiorem in bibendo perciperet voluptatem. Hoc tamen non nulli tribuũt Melanthio, vt apud Cœlium Clearchus.

Philoxenus Dithyrambicus polypum edit duũ cubitorũ.

Inter Polyphagos & edaces etiam numerantur Pityreus Phryx, Cleonimus, Pisande, Charippus, Mithridates rex Ponti, & Erisichthon, qui sua ipse membra corrosit.

Alcman poeta suis verbis sese pamphagum nominauit.

Ferunt Mithrydatem illis certa constituisse præmia, qui plures cibos ventri destinassent, aut maiore se ingurgitassent vino, vt sui similes haberet. Idem omnes sui temporis mortales haustu vini longè excessit.

Heraclides Pyctes infiniti propè cibi, potusq; fuit capax, nec parem reperit in bibendo. alios ad ientaculum inuitabat, alios ad prandium, quosdam ad cenam, quibus omnibus sine interstitio sufficiebat solus.

Pub. Gallonius homo fuit postremæ gulæ, in cupediis assiduè versatus, vnde à Lælio gurges dictus est. Hunc præconem fuisse scribit Horatius. Cuius mensam acipensere magno infame notat Lucilius his verbis: Lælius præclarè, & rectè Sophos, illeq; verè, O Publi Gurges Galloni, es

homo miser inquit. Cenasti in vita nunquam benè, quum omnia in isto Consumis squilla, atque acipensere decumano. Tertuliano Curii aleam, Apicii gulam, Gallonii sumptum & Antonii ebrietatem incessit.

Heterognathus ob voracitatem vtraque mandibula alternatim commandebat.

Phago fuit quispiam adeò gulosus, vt adhibitus mensæ Aureliani, aprum integrum, centum panes, veruecem, & porcellum vno die comederit, biberitq; Orcam vini. auctor Flauius Vopiscus.

Erat Galba imp. cibi plurimi, quem hiberno tempore capiebat ante lucem. inter cenam verò vsque eò abundanti, vt congestas per manus reliquias circumferri iuberet, spargiq; ad pedes stantibus.

Gnosippus hac voracitatis infamia adeò laborauit, vt Athenienses liberis suis interdixerint, ne cũ eo vescerẽtur.

Ferunt Neronem quandoque à meridie ad mediam noctẽ vsque epulas protrahere consuesse ad inexplebilem ventris ingluuiem. cenitabat inter scortorum, ambubaiarumque ministeria.

Andebuntus, rex Anglorum, conuiuio quondam tantum cibi deglutiuit, & vini, vt eo suffocatus repentè animam efflauerit.

Demetrius Phalereus ducenta quotannis talenta absumebat in luxu & compotationibus.

Heliogabalus nunquã minus cẽtũ sestertiis epulatus est.

Gathis regina Syriæ edicto cauit, ne quis piscem comederet, quin ipsa adesset.

Aristoteles philosophus ab initio obsophagus & decoctor fuit.

Hercules cum Leprea rege de gula contendit, vicitq́ue tauro toto paullatim deuorato.

Syri populi & Asiatici continuò erant in conuiuiis, balneis, & vnguentis.

Prusias rex Bithyniæ popinas semper adamabat.

NVNC DE VINOLENTIS DICENDVM.

Elpenor vino largius hausto impos animi factus, scalarum lapsu exanimatus est. Ouidius lib. 14. Eurilochumq; simul, nimiiq; Elpenora vini.

Eurycion fuit quispiam centaurus, ebrietatis infamia notatus. Ouid. lib. 2. de Arte: Occidit Eurycion stulte data vina bibendo.

Anacreon Teius poeta arguitur vt deditus vino, cui quū liberalius indulgeret, vuæ acino suffocatus dicitur. Ouid. lib. 3. de arte: Sit quoque vinosi Teia musa senis.

Hilæus centaurus deditus fuit ebrietati. Hor. li. 2. Car. Nec sæuos Lapithas & nimium mero Hilæum.

Cato minor (qui proauum habuit Catonem maiorem) quamuis omni virtute esset cumulatissimus, interdum tamen cum amicis dabat operam compotationibus tota nocte ad auroram. Hor. libro 3. Car. Narratur & prisci Catonis Sæpe mero caluisse virtus. Hoc ebrietatis vitiū præcipuè illi obiecit Cæsar duobus libris, quos vocauit Anticatones.

Homerum vinolentum fuisse arguit Hor. lib 1. Epist. dicens: Laudibus arguitur vini, vinosus Homerus.

Ennius poeta nunquam accingebat se scribendis carminibus, nisi multo madidus vino. Idem Horatius: Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma Prosiluit dicenda.

Diotimus Athenienſis infunibulo ori admoto incessanter vinum hauriebat.

Xenarchus Rhodius ex bibacitate Metretes cognominatus est.

Fescenniam Martialis lib. 1. Arguit vt vinolentam dicēs: Ne grauis hesterno fragres Fescennia vino Pastillos Cosmi luxuriosa voras.

Myrtale vinolenta mulier vino commiscebat folia lauri, ne vinum oleret. Mart. lib. 3. Fetere multo Myrtale solet vino: Sed fallat vt nos, folia deuorat lauri.

Idem lib. 6. arguit Panaretum potorem, quòd solus amplissimam vini lagœnam exsiccasset.

Philostratus quum esset in balneis Sinuessanis, tantum vini potauit, vt ebrius factus, scalarum lapsu pænè extinctus sit. Mart. lib. 11. A Sinuessanis conuiua Philostratus vndis conductum repetens nocte iubente larem, Pænè imitatus obit læuis Elpenora fatis, Præceps per longos dū ruit vsque gradus.

Polyphemus cyclops hausto largius vino dum in somnū concidisset, ab Vlysse excæcatus est.

Laufellam Iuuenalis vt temulentam incessit.

Videns Androcides Alexandrum procliuem in pocula, intemperantiam eius his verbis cohibebat: Vinū potaturus rex memento te bibere terræ sanguinem: nam sicut venenum est homini cicuta, sic & vinum. Quibus præceptis si ille obtemperasset, amicos intemulentia non interemisset, vt fecit. Idem Alexander ex hac vinolentia biduum sæpe ob dormiuit integrum. hinc prouerbium natum, Alexandrum bibendo regem præcellis. Inter pocula amicos indignatione rapida ferro transuerberabat.

Archesilaus philosophus immodico vini haustu excessit.

Cleomenes, rex Spartanorum, quum Scytharum vinolentiam imitari cuperet, in insaniam redactus est. Solent autem Scythæ & Thraces liberius compotare vsque ad certamen temulentiæ. vnde Horatius: Natis in vsum lætitiæ scyphis Pugnare Thracum est.

Nouellius Tricongius Mediolanensis meruit cognomen à tribus vini congiis, quos vno impetu hauriebat spectante miraculi causa Tiberio principe. auctor Plinius lib. 14.

L. Piso maiorem noctis partem conuiuiis & tumulentiæ impendebat. biduo per potationem continuauit apud Tiberium principem.

Famam apud Græcos ex ebrietate meruit Alcybiades. auctor Plin.

Cicero iunior, M. Tullii filius, binos congios simul hauriebat.

Bibit Bonosus, auctore Flauio Vopisco, quantum homi num nemo. De hoc Aurelianus dicebat: Non vt viuat natus est, sed vt bibat. Siquando legati barbarorum ad eum venissent, ipsis propinabat, vt eos inebriaret, & ab his per vinum omnia cognosceret, & extorqueret veritatē. Quantum libet bibisset, semper securus videbatur & sobrius.

præterea tantum mingebat, quantum biberat sic, vt eius vesica nunquam grauaretur. postea quum à Probo superatus laqueo vitam clausisset, emanauit iocus, amphoram pendere non hominem.

Cambyses quum per temulentiam quandoque ratione excideret, monitus à Prexaspe domestico, vt tantam cauere infamiam, eius filium percitus furore, iaculo confodit.

Lacydes philosophus ex nimia compotatione concidit in paralysim, qua mortuus est.

Armitus, & Cyanippus Syracusani potu nimio in ebrietatem lapsi filias stupro contaminauerunt. Plutharcus.

M. Varro apud Plinium testis est Mezentium regem Etruriæ auxilium Rutulis contra Latinos tulisse, mercede vini.

M. Antonius librum edidit de sua ebrietate, quo patrocinari sibi voluit, vt ea probaret mala, quæ per temulentiam orbi intulisset.

Plinius ait, tanto magis sitire Parthos, quanto plus biberint.

Promachus fuit homo bibacissimus, quem Alexander talenti corona donauit, quòd in vini certamine euasisset victor. testis Plutar.

Xenocrates vini choam hausit, quum Dionysius præmium obtulisset ei, qui hoc faceret.

Dionysius iunior vsq; ad oculorum vitium mancipatus est ebrietati.

Aristoteles tradit ebrietatem in Syracusanorum luxu diebus quandoque nonaginta non fuisse interpellatam.

Connatibicen fuit vinosus, qui in conuiuiis coronatus potabat assiduè.

Tiberius Nero propter nimiam vini auiditatem in castris pro Tiberio Biberius, pro Claudio Caldius, pro Nerone Mero vocabatur. idem cum Pomponio Flacco & L. Pisone noctem continuumq; biduum epulando potandoq; consumpsit. Asellio Sabino sestertia ducenta donauit pro dialogo, in quo Boleti, & Ficedulæ, & Ostræ, & Turdi certamen induxerat.

Claudius Cæsar conuiuia celebrauit palàm, tanta popu-

li frequentia, vt plerunq; sexcenti simul discumberent. cibi & vini fuit appetentissimus. sedens in tribunali quum olfecisset nidorem prandii, quod in proxima Martis æde parabatur à Saliis, deserto foro commeauit ad Salios ipsos, & vnà discubuit. nec vnquam à triclinio abscessit, nisi distentus & madens.

Nisæus Syracusarum tyrannus vbi ab haruspicibus didicisset, breui se periturum, quidquid superfuit vitæ, comessationibus impendit, & ebrietati.

Apud Didonem Virgilianam Bitias sic hausit merum, vt eo se totum proluerit.

Antiochus Magnus dies totos dormire solebat ob vinolentiam. pugnaturus in Rhodios, captus amore puellæ Chalcidensis, nuptias etiam ipso belli tempore celebrauit, & totam hiemem cum ea vino indulsit & Veneri.

Darium vinolentum fuisse arguit inscriptio sepulcri eiusdem, quæ talis erat: Potui & multum vini potare, & hoc probè ferre.

Alcæus, Aristophanes, & Cratinus quum ebrii forent, erant tamen ad scribendum carmen idonei.

Timocreonti Rhodio propter cibi & vini auiditatem epitaphium sequens inditum est: Multa bibens, tum multa vorans, malè denique dicens Multis, hic iaceo Timocreon Rhodius.

Lacedæmonii eundem calicem in conuiuiis circum agebant, vt sitim & vini auiditatem irritarent.

Bizantios Menander poeta notauit vt ebrios.

Bela II. Almi filius, Pannoniæ rex, corruptissimæ fuit temulentiæ.

Nicolaus quinctus Pont. Max. nimio bibendi studio tenebatur. exigebat enim diuersa vinorum genera, & quæ magis ad palatum facerent, eligebat.

Holofernes ebrius ab vxore Iudith interfectus est.

Bœotii ab Athenienſibus vocabantur fatui, pingues, & rudes propter inexplebilem edendi auiditatem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ABSTEMII.

Apollonius Tyanæus à vino & carnibus abstinebat.

Fulgentius, episcopus Ruspensis, nulla vnquá necessitate adduci potuit, aut cogi, vt esitaret carnes, aut vinum biberet.

Iacobus minor vinum aut siceram non bibit, carnes nunquam maducauit, oleo nunquam vnctus est, nunquam vsus balneo, nunquam nouacula rasus.

Anchimolus & Moschus, sophistæ Elienses, tota vita hydropotæ fuerunt, solisq; sicis desiderio ventris satis fecerunt.

Emericus filius S. Stephani regis Pannoniæ, vinum tota vita non degustauit.

Locrenses Zephærii vino vti capitale ducebant.

SOBRII, ET TEMPERANTES.

Porus rex Indorum aqua & pane viuebat contentus.

Massanisa rex Numidarum iam nonagenarius, semel tantum interdiu vescebatur, sine pulmento.

Mithridates rex Ponti iam senex cibum capturus non accumbebat, verùm stans vescebatur.

Viriatus, princeps Lusitaniæ, vbi bellum aliquod mente conceperat, non prius accumbebat mensæ, aut in lecto quiescebat, quàm propositum absoluisset.

Fuit Augustus breuissimi cibi. ad medias interdum epulas satiatis iam conuictoribus accedebat, primusq; surgebat mensa.

Lacedæmonii nullam disciplinam abstinentia habuerunt potiorem. pinguis & obesi ventris adolescentes inedia macerabant.

Aegyptia iuuentus Amasis edicto non prius cibum capiebat, quàm c x xc. stadia percurrisset.

Platonis frugales erant cenæ. propterea dicebat Timotheus benè cum his fore, quos Plato excepisset conuiuio. dedicatiores epulas & opipara spreuit conuiuia. viuebat contentus oliuis academicis, pane item & aqua.

Hieronymus annos ferè l x. durauit incredibili abstinentia.

Hilarion modicis ficubus aridis & exiguo pane decrepitam fouit senectutem.

Nicolaus quidam inter Heluetios, sine vllo penitus cibo multis annis durauit inter vastas solitudines, incredibili sanctitatis fama.

Colúba virgo Perusina solis fructibus reprimebat famẽ.

Demetrius Chidonius vir Græcus, abstinentia singulari multos dies persistebat ieiunus.

Socrates minimo viuebat sũptu. vescebaẽ pane & lacte.

Anacharsis apud Ciceronem, Mihi (inquit) pulpamentum fames, cubile solum, vestis Scytharum tegmen.

Epictetum sunt qui putent deliciis, & voluptati semper indulsisse: fuit tamen temperans.

Venerius monachus herbis diu victitauit.

Zeno crudis duntaxat vescebatur, & pallium prætenue ferebat. aquam bibebat loco vini, vt discipulos suo exemplo ad temperantiam inuitaret. hinc exiit prouerbium, Zenone temperantior.

Temelachus Acarnensis victitabat fabis.

Socrates tanta fuit temperantia, vt omnia ferè vitæ suæ tempora valetudine in offensa vixerit.

Rogatianus senator semel tãtũ iterdiu dabat operã cibo.

Erat Epaminondas Thebanus obesis & corpulentis adeò infestus, vt quendam aqualiculo portentoso summouerit ab exercitu, quòd ad tegendum eius ventrem vix clypei tres sufficerent. Ipse verò victu fuit adeò parco & tenui, vt à vicino ad cenam inuitatus quum dapsilem & affluentem deliciis mensam reperisset, iratus recesserit, dicens: Ego te opinabar rei diuinæ operam dare, non de contumelia cogitare.

Lycurgus dicebat non esse vtendum maiore cibo, quàm qui ad repellendam famem sufficeret, amota crapula.

Aegyptiorum sacerdotes præparci erant in victu vsq; ad stuporem. carnibus & vino abstinebant. pane etiam rarò vescebantur, ne onerarent stomachum. oleum tantum in oleribus nouerant. ouum quoque & lac vitabant pro carni bus, triduique inediam sustinebant.

Persarum Magi nihil in cibum præter farinam & olera

recipiebant.

Indorum Gymnosophistæ alebantur pomis aut farina.

Diogenes nunquam pendebat de crastino, sed in præsentem modò horam sibi corrogabat cibum.

Constantium imperatorem Marcellinus scribit nũquam gustasse pomum, nunquam nares in publico extersisse, nunquam spuisse. idem superatus à Persis frustro panis à quadam vetula porrecto inediam repulit.

Iulium Cæsarem vini parcissimũ fuisse, nec inimici negauerunt. vnde dicebat M. Cato, Vnum ex omnibus Cæsarem ad euertendam remp. sobrium accessisse. Fuit & circa victum adeò indifferens, vt quondam ab hospite conditum oleum pro viridi appositum, aspernantibus ceteris, solus largius acceperit, ne hospitem aut negligentiæ, aut rusticitatis videretur arguere.

Pericles Athenensis à cenarum & conuiuiorum apparatibus abhorrebat adeò, vt nec apud amicos cenaret.

ALII HOMINES TEMPERATISSIMI, vitæq; austeræ, ac solitariæ.

HElias prope torrentem Carith vixit in solitudine, pastus coruorum ministerio.

Primus heremita Paulus annos XVI. natus secessit in latebras nemorum, in quibus durauit annos CVII. spelunca breui contentus. esitabat fructus palmarum, bibebat aquam, palmacea tunica nudum contegebat corpus. nullum in solitudine hominem videre voluit præter Antonium. vsus est ministerio corui dimidiatum panem quotidie afferentis.

Antonius, qui Paulum hunc tumulauit, vixit etiam in solitudine annos XX. pane & aqua famem refocillans.

Hilarion in desertis Syriæ locis breuissimum habitauit tugurium, iunco & caricibus contextum. denos demum annos arctissima cellula & sepulcro simillima vsus est.

Onuphrius adeò solitariæ vitæ fuit studiosus, vt annos LX. hominem non viderit. vnde & ex illa solitudine agrestis adeò factus est, vt in superiore corporis parte barba cotus & capillis integretur, verenda foliis & arborum cor-

tice adopertus. Vixit annos XXX. herbis & bacchis siluestribus contentus. Eidem cælitus quotidie dimidiatus panis afferebatur, vt Paulo. Hunc quum reperisset Pannutius, extimuit, Satirum esse suspicatus.

Conuentus hominum & populi frequentiam Hieronymus habebat carceris loco solitudinem verò pro paradiso, vnde sacco vili amictus Syriæ latebras, feris & scorpionibus infestas, numerosis prætulit ciuitatibus, humi cubans, herbisq; victitans, & aqua.

Maria Magdalena XXX. annos heremum incoluit, cælesti cibo refocillata. nec interim hominem vidit, aut ab vllo visa est.

Maria Ægyptiaca heremi cultrix durauit etiam in solitudine incredibili vitæ abstinentia, vbi cubitali altitudine inter orandum sublimis à terra in vacuo pendere visa est.

Amomius tanta fuit abstinentia, vt nunquam nisi panem assum ederit, nunquam iratus, nunquam mentitus fuerit.

Hospitius apud Nicensem vrbem antro se intrusit, perpetuò cilicio carnem macerant, corpore ferreis catenis ligato vescebatur pane. tempore quadragesimæ solas herbarum radices esitabat.

Patroclus Anachoreta vsq; adeò quandoque ieiuniis corpus atterebat, vt diuturna inedia incideret in morbum. abstinebat vino, bibebat aquam melle perfusam. cilicium ferebat acutissimum, & proximum corpori.

Menas, inter Samnites natus, solitudinem mirè amabat, in qua ne quid per otium perperam faceret, apes curabat.

Amos Ægyptius, pater fuit CL. monachorum, quos ore operto mensæ iubebat accumbere, ne parcè comedentium virtus appareret. vxorem, quam inuitus duxerat, nunquam attigit.

Agatho lapidem in ore triennio continuit, vt tacere disceret dicebat tria esse necessaria ad dei cultum, Silentiũ, orationem, mansuetudinem.

Andreas, & Thadæus heremitæ durauerunt in solitudine annis quinquaginta.

Arnulphus Metensis episcopus relicto Lotharingiæ principatu heremum ingressus est.

Alcippiades martyr omnem cibum auersabatur. aquam bibebat insperſa ſale, ne corpori eſſet pernicioſa.

Tora virgo, nunquam vti voluit noua tunica, nunquam nouis calciamentis.

Amata verò limen cœnobii (quo ſe incluſerat) annos XL. nunquam egreſſa eſt. pane viuebat & oleribus.

Artebius præſul Pamphilienſis vitam ſolitariam in Epiſcopatu non deſeruit.

Amodeus Hiſpanus, vnica opertus tunica nudis ambulabat pedibus. ſemel tantum inter diu veſcebatur, contentus aqua & pane. cauernam montis incolebat.

Baſolus abbas in finibus Rhemorum heremiticam egit vitam, habitauitq; ſpeluncam montis annos XL.

Beniamin vixit in deſerta ſolitudine annos XXC.

Timotheus in Ægypto ſpeluncam montis intrauit, in qua durauit annos XXX. nulli cognitus.

Theremon abbas centenarius deceſſit in ſolitudine. hic aſſiduis orationibus adeò incuruauit ſibi humeros, vt in ætate decrepita repere magis videretur, quàm ambulare.

Carilephus in deſerta ſolitudine omnem mulierum aſpectum refugit.

Coſmas Græcus toto ſuæ ſolitudinis tempore ieiuniis ſemper dedit operam.

Symeon apud Antiochiam annis quadraginta deliuit in antro cuiuſdam concauæ columnæ. veſcebatur aqua, pane, & radicibus herbarum, idq; ſemel tantùm in hebdomade. corpus vinculis & catenis adeò conſtringebat, vt ei catrices ipſæ ſubter putrefierent. Quinetiam multis annis durauit in quodam puteo aqua vacuo, in quem ſe demiſerat volens. femora eius putruerunt, aut ex pedore ſpelunearum, quas habitauit, aut inedia nimis pertinaci.

Stephanus Anachoreta ſolitarius manſit in heremo annis LX.

Sara mulier, imperante Theodoſio ſeniore, durauit ad ripam cuiuſdam fluminis annos LX.

Siſinnius monachus, diſcipulus Elpidii, ſepulcro ſe incluſit, in quo pane & aqua vixit contentus ad mortem vſq;.

Serapion pater fuit decem millium monachorum, quo

omnes tempore meſſis pretio conducebat, vt ſua opera iuuarent laborem pauperum. viuebat ipſe pane & aqua, vnica veſte contentus.

Zozimas in regione Palæſtinæ LIII. annos abſoluit in heremo, contentus cibo tenuiſſimo. Mariam Ægyptiam ad bonam frugem reuocauit, & mortuam tumulauit.

Pion XXX. annis ſolitariâ egit vitam ſub Hilarione. comedens deambulabat, ne quam in cibo voluptatem perſentiſceret. ſororem morbo laborantem clauſis adiit oculis.

Helias Anachoreta fuit ſub Antonio, mira ſanctitate, qui vixit annis CXVI.

Moſes Æthiops latro annis LXXV. durauit in ſolitudine. cellula ſua annis VII. nunquam egreſſus eſt.

Paſtor presbyter, matrem ad ſe venientem clauſa repulit cella.

Dorotheus Ægyptius ſex tantùm panis vncias cum pauceis oleribus quotidie eſitabat. dicebat ſe nunquâ dormiuiſſe, aut comediſſe ad ſaturitatem. congeſtis lapidibus quotannis extruebat habitaculum ad excipiendos peregrinos. manſit in ſpelunca annis LX.

Elpidius Cappadox durauit in quodam antro annis XXV. vbi bis tantùm veſcebatur in hebdomade.

Hor, abbas præſtitit admiratione digna. nunquam mentitus eſt, nunquam citra neceſſitatem locutus, nemini vnquam maledixit.

Gadanus apud Iordanem magna conſenuit abſtinentia, ſub dio degens, & nullo opertus tecto.

Epiſius interrogatus à Ioanne anachoreta, quid tota vita egiſſet memorabile, Annis quadraginta, inquit, nunquam ſol vidit me comedentem. Tum Ioannes, Nec me, ait, irascentem.

Auguſtinus Afer quum in quadam ſpelunca degeret, offenſus multitudine populi eò confluentis, remotiore antro ſe incluſit, vbi tugurium inter ſaxa ſibi breuiſſimum fecit, vixitq; magna ſanctitate.

Vlfranius Archiepiſcopatu Senonenſi ſponte ſe exuit, vt ſolitudine vacaret.

Hugo abbas Carthuſienſis annis quinquaginta faciem

mulieris non vidit.

Dominicus Hispanus humi iacebat, annis decem abstinuit vino.

Iordanes instituit silentium mensæ.

Adam felix fuit solitudine: comitatus femina, factus est infelicissimus.

Abraham in solitariis tabernaculis & conuallibus deum meruit collocutorem.

Siluester pontifex latuit in Soractis monte.

Egidius Athenienſis solitudinis studio, genus patriam, & opes reliquit, blādictis ceruæ lacte in heremo nutritus.

Narcissus Hierosolymorum episcopus multos annos in desertis locis egit.

Eucherius ordinis senatorii dignitate conspicuus speluncam dumi horridam & tutam nigro lacu habitauit in agro Lugdunensi.

Vrsatius apud Niceam Bithyniæ solitarius egit.

Cælestinus relicto summo pontificatu, ad solitariam vitam se contulit.

Ioannes Baptista adhuc infans, relictis hominum turbis, ad heremum perrexit, vbi pelle cameli opertus, sanctitatem præstitit, qualem nemo post homines natos.

Maiorus episcopatui cessit, vt in solitudine viueret.

Dominianus abbas solitariam egit vitam in agro Lugdunensi.

Diogenes Antonii discipulus vixit, & mortuus est in solitudine.

Euagrius presbyter annis XIV. mansit in solitudine, contentus pane & oleo. si quando venereis titillaretur aculeis, demergebat se in puteum, vt aquæ frigiditas libidinis feruorem compesceret.

Ethbinus honestissimis parentibus inter Britānos natus, tugurium sibi fecit in silua, in quo ad finem vitæ duranit constantissimè.

Paulus Simplex Antonii fuit discipulus. cuius mandato tacuit triennium, nemini loquens.

Paulus Abbas pater fuit quingentorum monachorum in Libya, nunquam vescebatur, quin prius CCC. oratio-

nes exsoluisset domino.

Phyllorrhonius presbyter extruxit sibi cellam in solitudine, in qua fortissimè conflixit aduersus voluptates & illecebras corporis. nam annos XIIX. catenis ferreis corpus macerauit, eosq; tempore abstinuit pane cocto. annos XXXII. nullo pomorum genere vsus est. metu mortis per sex annos sepulcro se inclusit pauit pauperes, & affectos morbo, labore suarum manuum.

Siluia virgo, filia Rufini, præfecti Alexandriæ annos LX. absoluit in solitudine, quo tempore nullam corporis partem lauit, præter digitos. non in lecto iacuit, sed humi tantùm.

Dioeles heremum quandam Thebaidis habitauit, ibiq; multos annos cella conclusus delituit.

Capiton latro scelerum pœnitentia ad heremiticam vitam conuersus, antro latuit inclusus annis XXC.

Vacchoris, rex Ægypti, relictis diuitiis, humi iacuit.

Vuenceslaus, filius Vratislai regis Boemorum, per medium brumam, & medias niues discalceatus petebat templum, horasq; obibat canonicas.

Nicolaus Tollentinas abstinentissimus omnium sui temporis. pane & aqua semel tantum in die vescebatur, procul ab omni otio, & verborum vanitate.

Nathanael Anchoreta studio vitæ solitariæ inclusit se cellæ, qua annis triginta septem nunquam egressus est.

Liberalis confessor singulis diebus dominicis sacram sumebat eucharistiam, qua refocillatus, nihil ferè aut parum cibi capiebat tota hebdomade

Maxentius abbas Pictauensis pane ordeaceo tantùm & aqua vescebatur.

Medericus Eduensis semel tantùm in hebdomade cibum capiebat, & perpetuo cilicio carnem domabat.

Marinus confessor annum integrum in spelunca delituit, nec faciem hominis vidit. aqua erat illi potus, agrestes herbæ cibus.

Richarius confessor panem comedebat ordeaceum, quem aspergebat cinere, ne præseferret suauitatem. aquā lacrymis suis tepefaciebat, eaq; faciebat balnea, quibus

abluebat leprosos, & se postremum.

Timon Athenienſis congressus & societatem hominum refugiebat. auctor Cicero in libello de amicitia.

CIBI, ET PANES DIVERSI.

Artologanum genus est panis, seu placentæ, ex simila in oleo coctæ. ei infunditur modicum vini cum pipere vel adipe. Hic panis quondam habebatur in deliciis.

Bellaria, cibi dicuntur secundæ mensæ. apponuntur ad irritandam gulam. vocantur à Græcis Tragemata, & Pemmata.

Botulus, seu Botellus, genus farciminis ex suilla carne. Mart. lib. 11. Botellos imitatur & boletos. Fiebat Botulus initio hiemis gratus quidem omnibus mensis, sed maximè celebratus in Saturnalibus. idem Mart. Qui venit Botulus medio tibi tempore brumæ, Saturni septem venerat ante dies.

Carica genus est ficuum, vel ficus sicca. Ouidius lib. 1. fast. Quid vult fama sibi rugosaq; carica dixi. Caricas anti qui vocabant esculentum lautum, & variis conditum cupediis. Carica enim genus erat sibi Lydii, multiiugis lautitiis, & sanguine confectum.

Concentum edulium erat ex melle & papauere.

Coliphium genus panis. Plautus: Coliphia mihi ne incocta detis.

Conchis edulium est ex faba, vel leguminis genus. vocatur aliter Concha, & Conchus. Iuuen. Sat. 14. Alterius Concham æstiui cum parte lacerti Signatam.

Epityrum genus est edulii, seu casei Siculi.

Est etiam Minutal genus edulii, quod Persius Minutum vocat. fiebat Ceto marino pisce, liquamine, oleo, vino, porris & coriãdro. Iuuen. Sat. 14. Hesternũ solitus medio seruare minutal Septembri. Vocatur autem Minutal, quòd minutatim concideretur, & particulatim.

Farreum, genus est libi ex farre. Plinius: Nouæ nuptæ farreum præferebant.

Forbea erat quidem cibus, qui calidus absumebatur.

Fritilla cibus erat expulte.

Irceus genus erat farciminis.

Laganum cibus est ex farina & aqua, distentus in modum membranulæ. condiebatur olim caseo, pipere, croco, cynamomo.

Artocrea fiebat ex pane & carne. nam artos panis, creos caro dicitur. Per. Sat. 6. Væ nisi conminues oleum artocreasq; popello.

Libum fiebat ex farre, melle & oleo. Ouid. Liba deo fiunt, succis quia dulcibus ille Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.

Lucanica genus farciminis, quod porcina carne fieri consueuit. Martialis lib. 4. Et lucanica ventre cũ faliſco.

Est & Venter Faliscus genus farciminis, inuentũ à Falisciis populis. Stat. lib. 4. Sil. Nõ lucanica, nõ graues faliſci.

Pernam antiqui, & lardum, & petasonem sumebant ex porco. idem Statius: Non lardum graue, debilis ve perna.

Merenda vocatur cibus postmeridianus. Calpur. Seraq; videbitur hora merendæ.

Ozimum edulium erat redolens, quòd fiebat ex intestiis. Aliqui ozimum vocant ab eiusdem nominis herba, cito in hortis crescente. Persius Sat. 4. Cum benè discincto cantauerit ozima vernæ.

Placenta, libum farinaceum, caseo & melle conditum. eius pistores vocantur Placentarii. Martialis lib. 4. Nec te liba iuuant, nec sectæ quadra placentæ.

Popanum erat lata placenta, quã veteres offerebant diis Iuuen. Sat. 6. Scilicet & tenui popano corruptus Osyris.

Pulmentum capitur pro pulte, aut cibo aliquo facto inter pultis. Plautus in Pseud. Ego pulmento vtor magis vncto, quàm oculo.

Pulpamentum capitur pro cibo lautiore. Terent. in Eunucho: Tute lepus es & pulpamentum quæris.

Sagina vocatur cibus pinguefaciens, & reddens obesum corpus. Hinc. Saginare verbum. Pontanus in pompa Lepidina: Ecce venit pingui multùm saturata sagina.

Scribilita erat cibus omnino placentæ similis, præter quàm quòd sine melle coqueretur, & absumeretur adhuc

calida. Martia. lib. 3. Circumlata diu mensis scribilita secundis, Vrebat nimio sæua calore manus.

Sumanalia erant liba farinacea facta in modum rotæ.

Tomacula edulia fiunt iecore porcino semicocto, & minutatim concisо, permistis ouis crudis, caseo, liquamine pipere, anisо, & gingibere, tegunturq; tomento suillo. Iuuenalis Sat. 10 Exta & candiduli diuina tomacula porci.

Tuceta vocantur cibi regii sapore præstantes. Apul. li. 2. Met. Abacum pascue vinulentum & quidem naribus iam mihi ariolabar Tucetum perquam sapidissimum.

Buccellatum cibus erat militaris, ita dictus, quòd in buccellas & frusta consectus esset. Ammianus: frumentum ad vsus diuturnitatem excoctum, Buccellatum, vt vulgò appellant, humero imposuit libentium militum.

Pulpa cibus est minutatim concisus, qui & minutal dicitur. Apuleius: Quæ suis dominis parabat iuscum fartim circumcisum, & pulpam frustatim consectam.

Mattya condimentum est carnium vnctum, à verbo Græco matto id est, oblino. Hoc genus edulii excogitauerunt Macedones. Mart. lib. 10. Dies, & ex omni posita est instructa macello Cena tibi, sed te mattya sola iuuat.

Laguncli, & Gaioli cibi erant deliciarii, in quibus sigma & effigies Gai & Lagonis puerulorum repræsentabatur, vt nunc nostro tempore videmus placentas formari in rosas & lilia. Statius lib. 1. Siluarum: Molles Gaioli, Laguncliq̃e.

Caryotides dicuntur palmarum fructus, qui delicatis olim mensis adhibebantur. Statius: Et mustaceus, & latentе palma Prægrandes Cariotides eadebant. Nam Caryota species est palmæ.

Epidipnides appellantur dapes, quæ post dipnon, id est cenam apponuntur. Idem Mar. Hic seras epinipnidas parabit, Hinc pistor farreas facit placentas.

Mustaceus, seu Mustaceum, erat libum, quod fiebat ex farina siliginis musto conspersa. Iuuen. Causa nec est, quare cenam & mustacea perdas.

Fertum, genus est libi, sacris adhiberi solitum. Flauius Vopiscus Farratum vocat. Persius: Attamen hic extis & opimo vincere ferto Intendit.

Artoptesia, panis erat, quem faciebant quirites prius, quàm vsus pistorum esset Romæ.

Varia panis genera ponuntur à Plin. lib. 8. vt Artolagani à deliciis, Speusici à festinatione, Furnacei vel Artopetsij à coquendi ratione. Picentini panes fiebant ex alicæ materia nouem diebus macerata, decimo ad speciem tracta, & subacta vuæ passæ succo.

Secundarius, seu Secũdus panis, dicitur plebeius. Horat. Pastus siliquis, & pane secundo. Suetonius de Augusto: Cibi minimi erat atque vulgaris: Secundarium panem, & pisci culos minutos, & caseum bubulum manu pressum, & ficos virides biferas maximè appetebat.

Panes hi probantur Iulio Polluci, Cribanitæ, Obeliæ, Collices, Collabi, Nasti, Amyli, Collyre, Zimetes, Siganitæ, Charisis, Canchridæ, Maza, Melictuti, Hyglea, Anthema, Thridacine, Phystæ, Oemita, Ephieras, Dandalis, Loledia, Comon, Iupe.

Placentarum species sunt Ames, Ametidais, Pyramus, Sextamius, Erychytus, Erithrya, Strecta, Cotyliscus, Phthoe dia, Crepis.

Tragemata, quæ Latini vocant bellaria, constabant ex Cocco, Faba, Chondro, Caseo, Melle, Sisamide.

Obsoniũ dicitur omnis cibus, qui per ignẽ præparatur.

Maza vocatur rigidus panis, qualis est, quo vtuntur nautæ: plebecula Biscoctum vocat. fuit tamen species præstãtis edulii. Hinc adagium Græcis vsurpatum, Supra mazam. in eos, qui diffluerent deliciis. Fiebat ex farina, oleo aqua, & lacte.

Pityriæ panes sunt viliores, vt furfurei. Triticei appellantur Pyrini, Sitanii, qui fiunt ex quadrimestri tritico.

Calliste apud Ægyptios vocantur panes in acutũ formati.

Orinda panis est factus ex orindio semine Æthiopico.

Orthostrates erat sacer panis.

Nasti panes, seu Sacti, fiebant ex melle, vuis passis, & aromate, quorum artifices vocabantur Nastocopi.

Obeliæ offerebantur Dionysio.

Pelani communes erant diis omnibus. fiebant ex tenuis

sima farina.

Erant & boues panes nuncupati, quòd cornua haberent præfixa. offerebantur Apollini, Dianæ Hecatæ, & Lunæ.

Mystile vocabatur panis sorbitionis gratia excauatus.

Collyræ minuti erant panes.

Phacinus panis dicebatur à lente.

Collabi à similitudine quadam Collaborum in cithara. Sunt autem clauiculi, quibus circumnectuntur fides.

Colix panis quem subcinericium nō nulli interpretātur.

Bucellam panis Psomon, Enthesin, & Blomon vocant.

Elaphus placenta fiebat ex Sesamo & flore farinæ.

Choria erant cibaria ex lacte & melle.

Alia Placentarum genera numerantur à Cœlio: vt, Taré tinum, Crassianum, Siculum, Clustrum, Plicium, Gutta tum, Montianum ex vino & caseo. erant & Tyrocoscimō, Coptoplacus, Pancarpia, Polton, Pyanion.

Conos fiebat ex vuis passis & amygdalis.

Echinus & Escharites habebantur inter placentas.

Thiagones in Ætholia dicuntur panes deo dicati.

Arcam panariam Aristophanes Sypiam vocat. instrumē tum subigendæ farinæ idoneum Mactram.

Artopteum est officina coquendi panes.

Tripodes, & Magades vocantur mensarum fulcra.

In castris mensas habebant quadratas, quas Cibilas vocabant, domi verò rotundas.

Monopodia dicuntur mensæ, quæ vnico pede fulciūtur.

Abacus mensa vascularia & vinaria.

Antiquitus tres tantùm adhibebantur conuiuæ ex numero Gratiarum, deinde nouem ex numero Musarum.

Cyrus conuiuas siniſtro lateri admouebat, vt cordi propinquores & cariores.

Antiquitus prandere & cenare in propatulo verecundiæ non erat.

Conuiuii locus vocatur Sympoſium, Andron, Syssition, Triclinium.

Conuiuas Græci Sympotas, Homositos, Syssitos, Sinusias, Thiasotos, Thisitas, Illapinastas, & Eranistas, vocant. sunt prouerbiales quædam locutiones, quibus delicatum cibum possumus exprimere, cuiusmodi sunt istæ, Deorum cibus, Deorum ambrosia, Cæleste manna, Iouis cerebrum. Qualia purpurei comedunt obsonia reges. Pontificalis cena, opipara, dapsilis, adiicialis, dubia, saliaris.

CIBI ELECTILES, ET DELICATI.

GEnera eduliorum aliis præstantia hæc ponuntur à Gellio, ex testimonio Varronis. Pauus è Samo, Phrygia Attagena, Grues Melicæ, Hœdus ex Ambracia, Pelamis, Chalcedonia, Helops Rhodius, Scari Cilices, Palma Ægyptia, Glans Iberica.

Horatius electiles cibos enumerat his verbis: Non me Lucrina iuuerint conchylia Magis ve rhombus aut Scari, Si quos Eois intonata fluctibus Hiems ad hoc vertat mare. Non Afra auis descendat in ventrem Meum non Attagen Ionicus iucundior.

Statius lib. 1. Sil. inter mensarum delicias ponit Adoria Bellaria, nuces Ponticas, palmas Idumæas, Pruna Damascena, Ebosiæ Zacharum, Gaiolos & Lagunculos, Pira Amerina, Mustaceum & Caryotides.

His annumerandæ sunt lauticiæ, quas habuit Vitellius in sua patina. Tranquillus ait, fuisse Scarorum iecinora, Phasianorum & Pauonum cerebella, linguas Phœnicoptero rum, Murenarum lactes à Carpathio vsque freto per Nauarchos petitarum.

In veterum quoque luxu fuerunt Rhombus, Placenta Samia, Murena Tarteſſia, Thynnus Tyrius, Ceſtreus ex Sciacho, Conchæ Pelorinæ, Menidus ex Lipara, Rapæ apud Mantineam, Ctenes Methymnæi, Galeus Rhodius, Ilesteæ Eleusiniæ, Cythnius & Siculus caseus, Sal Tragaseus, à Tragasa Epiri loco, Faba Ægyptia.

Scriptorum monumentis probantur Rauennæ Asparagi, Ægyptium acetum, Atilius Padi, Anguillæ Bænaci, Gangis, & Timaui, Auratæ Actiacæ, Anthiæ maris Rubri, Aloses Tiberis, Bulbi Megarici, Casei Lunenses & Vestini, Lucrinæ Conchæ, Cumarum ostreæ, Bænaci Carpiones, Petragoricorum Castaneæ, Gallinæ Numidicæ,

Venetiarum Gobius, Circellarum lactucæ, lac Saſſinæ, Arcadiæ Muſculi, Melones Oſtienſes, Auellanæ nuces & Tarentinæ, Napi Amiterni, Oleum Venafranum, Velitrarum Oua, Poma Phæacum & Faliſcorum, Porri Ariciæ & Tarenti, Placentæ Picentinæ, Capuæ Pepones, Rhombus Hadriaticus, Germaniæ Raphani, Rapa Nurſina, Salmo Aquitanicus.

CIBI QVIBVSDAM HOMINIBVS grati, cum diuerſo populorum victu.

Claudius imp. gaudebat Scaro piſce. Iulia quotidie inula herba veſcebatur.

Plato gaudebat ficubus, vnde & Philoſycon eum dixerunt non nulli.

Philippus, & Alexander dicti ſunt Philomeli, à pomis, quæ auidè eſitabant.

Nero gaudebat porris, quibus vocis gratia omnibus æſtatis diebus permiſto veſcebatur oleo, nihilq; aliud præter panem eſitabat. auctor Plinius lib. 19.

Gaudebat lupinis Protogenes.

Ante vſum frugum Arcades veſcebantur glandibus, Argæi piris, ficubus Athenienſes, piris ſilueſtribus Tirinthii, Palmulis Carmani, milio Mæotici & Sauromatæ, Perſæ cardamo.

Nomades Æthiopiæ veſcuntur elephantis, vt Symbari: Cynocephali populi lacte: Agriophagi pantheris & leonibus: Antropophagi humana carne: Mandi locuſtis, vt etiam Parthi: Solite piſcibus: Ophiophagi ſerpentibus: Arpæi baccis.

Aetate Hieronymi carnes humanas eſitabant Scoti.

Amazones lacertis olim veſcebantur, vnde & Sauropatidas Græci eas appellarunt, nam & Sauras lacertas vocant,

Subſelliorum vocabula ſunt Tripodes, Stratum, Hemicyclum, Trochus, Exhedra, Lectica, Cathedra, Hypodion, Torus, Segeſtria, Scabellum, vel, vt alii malunt, Samellum, Silicaſtrum, Sella, Biſſellium, Scimpodium,

Gellius Græcienſe vocat, quòd frequens fuerit in Græcia: Offendimus, inquit, Frontonem Cornelium in ſcimpodio Græcienſi cubantem, quum pedes grauiter ægrotaret. Erant & Stibadia, tori humi iacentes, ex lignis, ramis ue ſtructi. Accubita, & Accubitæ ſedilia ſunt accumbentium, vt etiam Sponda. Virg. -aulæis iam ſe regina ſuperbis Aurea compoſuit ſponda.

HOSPITALES

Ariadna ſuſcepit hoſpitio Theſeum profectum in Cretam, & Minotauro deſtinatum.

Phylles, Lycurgi regis Thracum filia, Demophoontem ab expeditione Troiana redeuntem, & ventis pulſum in Thraciam. Propertius: Paruo dilexit ſpatio Minoida Theſeus, Phyllida Demophoõ hoſpes vterq; malus.

Hypſiphile, Thoantis filia, & Medea filia Æetę regis Colchorum, Iaſonem ſuſceperunt hoſpitio. Prop. Nec ſic Æſonidē rapiētibus anxia vētis, Hypſiphile nullos poſt illos ſenſit amores, Vt ſemel Hæmonio tabuit hoſpitio.

Alcinous, rex Phæacum Vlyſſem Troia redeuntem ſuſcepit hoſpitio.

Molorchus paſtor, Herculem: Mart. lib. 4. Tam comi patet hoſpitalite, Credas Alcioni pios penates, Aut facti modo dititis Molorchi.

Polus Centaurus fuit Herculis hoſpes: Lucanus libro 6. Hoſpes & Alcidæ magni Phole.

Fuit & Midas hoſpes Bacchi, teſte Ouidio.

Calypſo naufragum Vlyſſem ſuſcepit in Ogygia inſula: Propert: lib. 1. At non ſic Ithaci digreſſu nota Calypſo Deſertis olim fleuerat æquoribus.

Eodem modo Ianus excepit Saturnum: Euander Æneam: Canuſina Romanos à clade Cannenſi redeuntes: Raab apud Hebræos Dei populum.

Contra verò inhoſpitales fuerũt Thraces, Polymneſtor, Diomedes, Buſyris, Scythæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

IRis, fertur esse nuntia Iunonis. Virgilius: Irin de cælo misit Saturnia Iuno.

Mercurius, Iouis & omnium deorum. Ouid. lib. 2. Metam. Hinc se sustulerat paribus caducifer alis.

Cyneas, legatus fuit Pyrrhi. Ilioneus, Æneæ. Idmon, Turni. Virg. libro 12. Nuntius hæc Idmon Phrygio mea dicta tyranno Haud placitura refer.

Pontius Caii principis. Plin. Pontius legatus Caii principis eas tollere conatus est libidine accensus.

Longinus legatus fuit Traiani. auctor Dion Cassius.

Agrisis legatus fuit Arsacis regis Parthorum. auctor Plutarchus in Crasso.

Proculeius Augusti Cæsaris, vt etiam Tyreus, quem Antonius post mutuum cum Cleopatra sermonē verberari iussit doli suspicione.

Clathis, Darii: Hippocrites, Chalcidonis: Thasiles, & Isidorus, Mithridatis: Syllus, Agesilai: Turullius Antonii fuerunt legati & præfecti copiarum.

LEGISLATORES.

MInos dedit leges Cretensibus.

Charandes Tyrius apud Athenienses legem tulit, ne quis armatus veniret in concionem.

Corn. Cinna tribunus pl. legē tulit de reuocandis exsulibus. vnde à Cn. Octauio collega pulsus, bellū vrbi intulit.

Clisthenes Athenienſis primus tulit legem de eisilio, primusque exsulauit.

Cotta orator legem tulit, vt liceret tribunis pl. alios accipere magistratus.

Tiberius Gracchus legem tulit, ne quis plus mille agri haberet iugera.

Licinius Stolo, gener Fabii Ambusti, legem tulit, ne quis plus, quàm quingenta agri iugera possideret. quam quum postea infregisset comparatis mille iugeribus, accusatus est à M. Popillio Lænate.

Fuit & Masurius legislator. Persius: Masuri rubrica

notauit.

Metellus Macedonicus in censura legem tulit, vt omnes vxorem ducere cogerentur.

Cn. Oppius tribunus pl. legem tulit de comprimendo matronarum cultu.

L. Calpurnius tribunus ple. primus legem tulit de repetundis pecuniis, Censorino, & Manlio consulibus.

Philolaus Corinthius leges dedit Thebanis.

Roscius Otho tribunus pl. legem tulit, vt equitibus Romanis in theatro xiv. gradus primi asseruarentur, neq; esset quisquam, qui auderet præripere. vnde lex ipsa vocatur Roscia, ab Horatio.

Q. Volumnius, tribunus pl. legem tulit, ne quis mulierem heredem institueret.

Androdamus Rheginus leges condidit Chalcidensibus.

Acilius Glabrio, de repetundis pecuniis legem tulit, quæ Acilia vocata est.

Plocius tribunus pl. legem tulit, vt qui cum Lepido fuerant, redire in patriam possent impunè.

Lycurgus leges dedit Lacedæmoniis, quibus fecit, vt agri æquè diuiderentur, causa vitandæ inuidiæ. Sustulit conuiuiorum apparatum & mensarum lautitias, è quibus otium & torporem nasci cognoscebat. vnde opulentis adeò infensus factus est, vt Alcander adolescens alterum oculorum eidem effoderit. Iubebat pueros quum attigissent xii. annum, discalceatos ambulare, & in arundine palustri cubitare.

Plato suis legibus docuit, quales deberent esse in reppublicis. Instituit & remp. imaginariam inuentu difficillimam, vt est perfectus orator Fabii. Vini vsum vsque ad annum xiix. non probabat. Iubebat, vt iuuenes coram senibus vino vterentur, vt carperentur, si indulgentius potassent. Volebat pueros operam dare musicæ, vt seria negotia honesto recrearent otio. Laudabat Veritatem, vt omnium bonorum ducem.

Indis leges dederunt Gymnosophistæ, vt Ægyptiis prophetæ, Chaldæi Babyloniis, Magi Persis, Druidæ Gallis, Moses Hebræis, Phido Corinthiis, Zamolsis Scythis, Hip

podamus Mileſiis, Phaleas Carthaginienſibus.

Draco ſuis legibus (quas Athenienſibus dedit) vnicuiq; vel minimo furto extremum ſupplicium irrogauit. vnde dicebat Demades, eum ſanguine, non atramento leges conſcripſiſſe.

Bocchorus Dynaſtes Ægyptiis iura conſtituit.

Solon Athenienſibus leges dedit, abrogatis illis, quas Draco tulerat. Legem tulit Siſachtheam, qua prohibebat ne creditores ius haberent in corpora debitorum, ſed bona duntaxat.

Ceres, dea frugum, legem dedit Siculis: vnde & Legifera vocatur à poetis.

Apud Romanos Papirius regias leges in vnum volumen contulit. Cl. Regillanus decemuir auctor fuit conſcribendarum duodecim tabularum. M. Mucius, L. Brutus, & P. Manilius ius ciuile fundauerunt. Q. Mucius pontifex maximus ius ciuile in XIIX. libros redegit. Seruius Sulpicius CLXXX. libros de iure ciuili reliquit.

Leges ſumptuariæ inſtitutæ ſunt, ad cohibendum rerum omnium luxum, & prodigas impenſas. Primam tulit C. Orchius tribunus pl. qua numerum conuiuarum præſcribebat, iubebatq; vt ianuis patentibus cenaretur.

Licinia (quam L. Craſſus diues tulit) erat vt Calendis, Nonis, & Nundinis, cuique liceret triginta tantùm aſſes in cibis conſumere, reliquis autem diebus ne amplius apponeretur, quàm carnis aridæ pondo tria, & ſalſamentorum libra.

Sylla, pretium rebus venalibus imminuit.

C. Fannio, & M. Valerio Meſſalla conſulibus principes ciuitatis iuramento adacti ſunt, verbisq; conceptis obligati, non amplius in ſingulas cenas ſumptus facere, quàm centenos vicenosque æris, præter olus, far, & vinum: neq; vino alienigena, ſed patrio vti: neque argenti in conuiuio plus pondo, quàm libras centum inferre.

Poſt hoc ſenatuſconſultum lata eſt lex Fannia, quæ ludis Romanis, item Plebeiis & Saturnalibus, in ſingulos dies centenos æris inſumi conceſſit, decemque aliis diebus, in ſingulis menſibus tricenos; ceteris autem omnibus die-

bus, denos.

Æmilia lege non ſolùm cenarum ſumptus, ſed ciborum genus & modus præfinitus eſt.

Lex talionis iubebat reos eadem puniri pœna, quam aliis intulerant, ſi dedita feciſſent opera. ictus enim caſtus & fortuitus, non cadebant ſub eiuſdem talionis ſimilitudine.

Lege Papia cauebatur, vt pontificis maximi arbitratu virgines è populo viginti legerentur, ſortitioque in conclione, ex eo numero fieret in contrahendis matrimoniis.

SEVERISSIMI, ET MAXIME TETRICI.

AEacum, Rhadamantum, & Minoa, poetæ fecerũt iudices inferorum, ob incorruptam & inexorabilem ſeueritatem. Ouid. lib. 9. Quum videat feſſos Rhadamanthon, & Aeacon annis, Et Minoa queri, &c.

M. Craſſus, tanto fuit animi rigore, vt ſemel tantùm in vita riſerit. Sidonius: Tam cenſorius haud fuit vel ille, Quem riſiſſe ſemel ferunt in æuo.

Fuit Socrates eodem ſemper vultu, nec aut hilari magis aut turbato.

Zaleucus, legem ſtatuit Locris, vt in adulterio deprehenſis eruerentur oculi. Quam legem quum filius eius teneraſſet, eidem oculum excuti iuſſit, & ſibi alterum, vt eam probaret firmius, Hinc. Zaleuci lex, abiit in prouerbium, de tetrico nimis edicto.

Sextus Aurelianus ſcribit, Philippum imper. (qui Gordiano ſucceſſit) tam ſeueri & triſtis fuiſſe animi, vt iam tũ à quinquenni ætate nullo cuiuſquã commento ad riſum ſolui potuerit, aut ab inflexibili naturæ toruitate dimoueri.

Orbilius Beneuentanus, ludi magiſter fuit Romæ, tanta in diſcipulos ſeueritate, vt plagoſus appellaretur, & vulnerarius.

Tenes, fuit quiſpiã, qui legem indixit, vt à tergo iudicis aſtaret ſpiculator, ſecurim tenens, vt qui perperam aliquid in iudicio dixiſſet, eum protinus ſecuri percuteret. Hinc orta paremia, Tenedius homo.

Aelianus scribit, Anaxagoram Clazomenium nunquam risisse.

Epaminondas victorem filium interfecit, quòd præter edictum congressus esset inimicis.

Lucius Brutus filios suos, Tarquinii dominationem à se expulsam, reducentes comprehensos primùm virgis cæsi iussit, hinc ad palmum ligatos securi percuti. Virgil. libro 6. natosq; pater noua bella mouentes, Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit.

Sp. Cassius filium itidem verberibus affectum necari iussit, quòd quum essent tribunus ple. legem agrariam primus tulisset, multaq; largitione animos hominum sibi conciliauisset, senatui propterea & populo suspectos affectatæ tyrannidis.

T. Manlius Torquatus filium Syllanum expilatæ Macedoniæ, quam habebat prouinciam, accusatum, & conuictum, sua sententia publicè damnauit, ac deuouit morti.

Dum apud Athesim Romani impetu Cimbrorum exterriti diffugerent, M. Scaurus filio suo illius consternationis & fugæ participi misit, qui dicerent, se libentius in acie eius interfecti ossibus occursurum, quàm ipsum tam deformis fugæ reum visurum. quo audito, filius animi dolore gladio suo se confodit.

Aulus Fuluius filium suum, paruo consilio amicitiam Catilinæ secutum, & in eius castra temerario impetu ruentem, itinere abstractum, supplicio mortis assecit: præfatus, nó se Catilinæ filium aduersus patriam, sed patriæ aduersus Catilinam genuisse.

Artaxerxes rex Persarum quum sensisset parari sibi insidias à quinquaginta filiis, Darii suasu, omnes extremo affecit supplicio.

Phœnix, Amyntoris filius, matri gratificaturus patris interfecit pellicem.

Simili exemplo Orestes matrẽ Clitemnestrã interfecit, quòd illa Agamemnonem eiusdem Orestis patrem occidisset maritum suum.

Fuit in Tamburlano Scytharum rege tanta maiestas, & in coercendis militibus seueritas, vt gregarium militem (qui

mulierculæ cuidam lac furto sustulisse ferebantur) manda uerit interfici, apertisq; intestinis & visceribus lac epotum extrahi.

Apud Turcas Ioannis Huniadis ducis fortissimi nomen vsque adeò fuit terrificum, vt nutrices ad comprimendos infantulorum vagitus Huniadem adesse semper confingãt.

Augustus Herothen Ægypti procuratorem malo nauis iussit configi, quòd coturnicẽ aliarũ victricem comedisset.

Pescennius Niger quum Galliam regeret, imperante Septimio, tribunum quendam lapidibus obrui iussit, quòd is militum stipendia decimaret.

Matthias Coruinus, rex Hungariæ, tonsori suo barbam & nasum desecuit, quòd vxoris suæ posteriores vestium partes per iocum mutilasset.

Damatriona, Spartana mulier, filium occidit, quòdeum ignauo esse animo, & inutilem bello accepisset,

Talantia, alia Spartana, quum audiuisset filium suum Pedaretum iniquè apud Chios principari, his ad eum verbis scripsit: Aut te melius in Chii administratione gerito, aut istic maneto. nam si Spartam redieris, non est quòd vltrà te speres victurum.

Tigranes, rex Armeniæ, collapsis equo suo inter venandum statim, vt surrexit, alterum ex filiis maiorem natu interfecit, quòd parenti dextram non porrexisset.

Mithridates, rex Ponti, filium suum catenis vinctum mori coegit, quòd eius opera Posphoranos & Colchos putabat defeciſſe

Herodes Antipas filios suos Aristobulum & Alexandrum falso accusatos & suspectos insidiarum iussit interfici. propterea dicebat Augustus, Malle se Herodis porcum esse, quàm filium.

Lenogildus, Gothorum rex, & hæresis Arrianæ sectator, quum resciſſet filium suum Hermogildum ex Arriano catholicum effectum, eundem crudelissimè interfecit.

Federicus secundus imper. filium suum Henricum pere mit in carcere, quòd suspicabatur eum fauere Gregorio pontifici, quocum bellum ipse susceperat.

Vsumcassanus rex Persidis & Armeniæ filium suum Masu

beum secum semper duxit catenatum, & ad extremum adegit ad mortem, quia cum fratre ipsius regis Gurlumonech (qui ab eo desciuerat) sensisse videbatur.

DE IRA, ET ODIO.

NEro audita Galliarum defessione discumbens præ nimio dolore mensam subuertit, fregitq; duo immensi pretii pocula.

Ecelinus tyrannus tanto interdum furore correptus est, vt acceptum in bello vulnus, frendens in morem sæuientis feræ vngu ibus dilaniauerit.

Alexander ira percitus Clitum nutricis suæ filium conuiuio adhibitum ferro confodit.

Perseus rex victus à Paullo Æmilio, duos ex domesticis victum solari volentes, ira & dolore præcipitantibus sensim morti dedit.

Mahometes Othomanus quum duos cucumeres in horto pubescentes foris rediens decerptos inuenissent, protinus duos iuuenes eleganti forma præditos (quos ad vsum nefarię libidinis domi enutriebat) se decerpsisse negantes, gladio traiecit.

Saul quum audisset Dauidē sibi odiosum ab Abimelecho in Nobea ciuitate hospitio susceptū, ira & odio ciuitatem & hospitē incendit, hominibus vtriusque sexus interēptis.

Clotarius seruatis per decennium odii fauillis Galterum Yuetotum Rothomagensem, sanctissima illa die & parasceue (qua CHRISTVS pro nostra omniū salute mortem passus est) ad genua prouolutum, ira feruens, interfecit, in sacro illo sacello, quod est Lutetiæ.

Eurilochum (qui Eliensem Pyrrhonem audiuit) tam bilioſum, & iracundum fuisse constat, vt quum in Elide variis quæstionibus agitaretur, essetq; respondendo fatigatus, abiecto pallio Alpheum flumen traiecerit. interdum quoque sumpto cum carnibus veru ad forum vsque cucurrerit, coquum suum persequens.

Speusippus Eurymedontis filius ira aliquando percitus catulum in puteum deiecit.

Quanto Ciceronis odio deflagauerint M. Antonius &

Fuluia, iam diximus.

Quo die sacra Cineritia celebrantur à catholicis, quum presbyteri Cardinales ad genua Bonifacii pontificis de more se reclinassent ad excipiendos cineres, pontifex ipse paropsidem cum cineribus proiecit in faciem Procheti Genuensis Archiepiscopi, cuius odio conflagrabat, verbisq; immutatis dixit, Memento homo, quia Gebellinus es, & cum Gebellinis morieris. erat autem Gebellinorum factio Guelphis (quos amabat pontifex) inimica.

Hipponax poeta tanto odio Bubalum pictorem infectatus est, vt eum suis scriptis ad laqueum perpulerit.

Commodus imp. ira percitus balneatorem in fornacem ardentem coniecit, quòd balneum intraturus tepidiusculū inuenisset.

Anna, socer Cayphæ pontificis, audita à CHRISTO veritate, vestē à pectore dissecuit, quasi blasphemiā audisset.

Q. Metellus quum vtranque Hispaniam consul, & demū proconsul subegisset, ægreferens Q. Pompeium consulem (quem summè oderat) sibi successorem mitti, ira percitus exercitum diminuit, cōmeatus & horrea militibus reliquit diripienda, arcus & sagittas confregit, elephantis cibaria dari vetuit, nihil deniq; (quo setueretur Pompeius) dimisit.

Semiramidi circa cultum capitis occupatæ, quum nuntiatum esset Babylonem defecisse, ira feruens, altera crinium parte incompta ad eam expugnandam cucurrit.

Olympias, Alexandri mater, tanta fuit iracundia, vt Iolam pincernam (qui Alexandro venenum præministrasse ferebatur) mortuum, & iam tumulatum refodi iusserit, ac refossum minutatim discerpi.

Cleomedes Athleta, post interfectum & exenteratum Lachum Epidamnium pugilem, quum à iudicibus in ius vocaretur, indignatus columnam, qua fulciebatur domus ludi litterarii, deiecit: eaq; ruina extinxit plurimos.

Horatius fatetur in suapte natura iracūdū fuisse facilè tamen placabilem, vbi ait: Irasci facilem, tamen, vt placabilis essem.

Cottæ apud Romanos dicti sunt ab iracundia, & oris torui ratę.

Fuit Ausonius poeta in iram propensus, quod suo ipse fatetur testimonio dicens: Irasci promptus properaui cordere motum, Atque mihi pœnas pro leuitate dedi.

Malacho poetæ Syracusano immoderata bilis plerunque vsum rationis auferebat. eratq; tum præstantior in absoluendo carmine, dum erat alienatus mente.

Archelaus Macedonum rex sic atra bile afficiebatur, vt spei plenus sibi maiorem in modum confideret.

Philagrus sophista Cilix, auditor Lolliani, fuit iracundus maximè. nam & dormitanti quandoque auditori pugnum in malam fertur impegisse, & infregisse colaphum.

Cotys rex Thracum natura fuit prærapidus ad iram, & ad vltionem præceps & impetuosus in seruorum delictis. propterea accepta à quodam fictilia vasa, pretiosa quidem, & tornatili opere conspicua, sed tamen fragilia, & obnoxia iniuriæ, pensauit collato pretio, postea tamen fregit, ne si à ministris fracta essent, temperare non posset ab inferendo supplicio.

Vedius Pollio fuit vsque adeò iracundus & præceps in choleram, vt seruum, qui cristallinum ruperat, ad supplicium rapi iusserit, & murenis dari prædam. et iam actum erat de seruo, nisi ad Cæsaris pedes se prouoluisset, non mortem deprecaturus, sed mortis genus. demiratus crudelitatem Cæsar, veniam exorauit puero.

Chærephon, Athenienſis philosophus, impetuosa fuisse fertur iracundia. hinc adagium natum, In Palladis vestigiis nihil Chærephontis gubernabis.

Hercules ob nimiam bilem sacro morbo fuit obnoxius.

Bellerophon ob mæstitiam solus in campis vagabatur.

Socrates quoque & Plato atra bile dicuntur laborasse.

Tantum fuit Hannibalis in Romanos odium, vt annos octo natus, altaria tenens iurauerit, se, quum per ætatem liceret, acerrimum hostem populo Romano futurum.

Martius Sabinus ægreferens Hostilium sibi prælatum in regno, cui aspirabat, tanto furore exarsit, vt tædio vitæ mortem sibi consciuerit.

Simili exemplo Valerius Poplicola, dolens Lucretium Collatinum collegam Bruto in consulatu fuisse designatũ,

senatoriæ dignitati, causarumque patrociniis & clientelis renuntiauit.

Septimius Seuerus Clodium Albinũ prœlio victum interemit. nudum eius corpus pro palatio proiici iussit, ac postremò equum abhorrentem calcaribus adactum coegit supinum cadauer conculcare. qua rabie non dũ contentus ipsum retinuit, quoad fetore compulsus, iusserit in flumen præcipitari.

Stephanus Sextus pontifex Formosum pontificem (quẽ in petitione pontificatus aduersum habuerat) mortuum iussit erui è sepulcro, ademptisq; pontificiis ornamentis extra ecclesiam sepeliri, abscissis prius digitis.

Pari odio Sergius tertius pontifex Formosum ipsum insectatus est. eius enim corpus denuo erutum palàm in foro capite multauit, ac deinde in Tiberim protecit, in gratiam Lotharii Gallorum regis, cui Formosus ipse odiosus fuerat viuus.

Etheocles & Polynices mutuo odio in tantum exarserunt, vt mutuis quoque vulneribus, frustra renitente loca sta matre, se confecerint dominandi ambitione. quinetiã pertinax ille odii tenor apparuit in cadaueribus: nam dum cremarẽtur, rogus ipse in duas partes se diuisit. vnde Ouid. Scinditur in partes, geminoque cacumine fugit, Scinditur in partes atra fauilla duas.

Æschines orator Demosthenem sibi infensum mordacissimis orationibus insectatus est.

Vatinius propter flagitia adeò fuit odiosus Romanis, vt in prouerbium fluxerit, Odium Vatinianum. Catullus: Munere isto odissem te odio Vatiniano.

Cornelius Sylla C. Marii reliquias, apud Anienem sitas, dissipari iussit, solo motus odio. propterea moriens primus apud Rom. cremari voluit, talionem veritus.

Promerus, domesticus Archelai regis Macedoniæ, Euripidem vsque adeò insectatus est, vt eidem à regis cena redeunti furtim canes immiserit, qui poetam ipsum dissiparunt.

Heliogabalum populus Rom. ita odit, vt mortuum proiecerit in cloacam, mox in Tiberim cum matre Senide tra

xerit, eiusq; nomen è publicis monumentis eraserit.

Mortuo quoq; Michaeli Palæalogo imperatori populus Romanus sepulturæ locum denegauit.

INVIDI.

AIax Telamonius inuidens arma Achillis interfecti data in præmium Vlysi, versus in furias se intere mit.

Cato Vticensis victoriam Cæsaris ægreferens, eiusque principatui inuidens, se occidit.

Hadrianus Traiani gloriam adeò iniquè tulit, vt Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam ab illo acquisitas, Parthis concesserit, & pontem supra Danubium (quem ille magno constructerat impendio) furiosus euerteret.

Laborans hoc morbo Zoilus Homerum, poetarum maximum, conuiciis lacerare non destitit. Martialis: Ingenium magni liuor detraxit Homeri, Quisquis es ex illo Zoile nomen habes.

Didymus Alexandrinus liuore motus sex libros in Marcum Tullium edidit, dictus propterea Ciceromastix.

Nec mutua caruerunt inuidia Sallust. & Cicero, quum ille huic impingat, quòd eloquentiam pudicitiæ iactura apud M. Pisonem perdidicerit, vxoremque sacrilegam, & filiam matris pellicem habuerit. hic verò illi, quòd impudicissimi corporis quæstu victũ sibi parauerit, patrẽ mori coegit, & eo non dũ mortuo pro herede omnia decoxerit. bis itẽ ad iudiciũ subsellia tractus in extrema steterit fortuna.

Inter Xenophontem & Platonem tacitæ cuiusdam æmulationis liuor extitit, quum hic illius nusquam operum suorum meminerit. contrà verò Xenophon ipsius Platonis libros de optimo statu reip. administrandæ multis scriptis impugnauerit.

Sunt qui dicant Aristotelẽ præceptori suo Platoni adeò inuidisse, vt bonam eius operum partem flammis & incendio dederit.

Ægreferens Cæsar Catonem sibi inuisum à M. Tullio multis celebratum laudibus, duos libros in eundem scripsit, qui ex re Anticatones inscripti sunt, in quibus omnia

propè Catonis vitia collegit, & inter alia ebrietatem, vt maximum probrum, illi obiecit.

M. Varroni (quem Maurus Terentianus virum vndecunque doctissimum apellauit) adeò inuidit Rhemnius Palemon grammaticus, vt eum porcum appellauerit.

Inuidia motus Caligula Torquato torquem, Cincinnato crinem & Cn. Pompeio stirpis antiquæ magni cognomẽ tum abstulit. Esium quoque Proculum formosissimum adolescentem iugulari fecit.

Vidẽs Cain Abelis fratris sui fortunas feliciore semper incremento, quàm suas augeri, eundem gladio traiecit.

Eo dem morbo laborantes Dathas & Abyrus, Aaroni sacerdotium adimere conati sunt.

Fecit liuor, vt Herodes multa puerorum millia morti dederit, ad intercipiendum virginis partum, futuræ cuius gloriæ inuidebat.

Venditus est in seruum à fratribus Ioseph, quòd patri esset carior illis.

Poetæ fabulantur Hyacinthum liberali forma iuuenem, quum disco luderet, à Borea infectum, quòd Apollinem carius diligeret, quàm ipsum Boream.

Simili figmento aiunt fulminatum à Ioue Æsculapium, quòd Hippolytum ad vitam reuocasset. vnde Quinctianus in Cleopoli: Iuppiter Hippolyto stygia à fornace redẽpto: Ecquid Appollineam retonanti fulmine prolem Opprimis?

Iudicium Paridis, & Ganymedis raptus tantam Iunoni inuidiam conflauerunt in Troianos, vt eosdem multis procellis naufragos semper agitauerit, & auerterit ab Italia, vt fabulatur Maro.

Circe venefica, inuidens Scyllam nympham à Glauco amari, fontem (in quo illa se lauabat) infecit veneno, cuius virtute Scylla in monstrum marinum mutata est.

Bauius & Meuius ineptissimi poetæ, Virgilio suam inuiderunt gloriam. de quibus ipse Virg. in Bucc. Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui.

Asinius Pollio adeò fuit infensus nomini Ciceronis, vt eius laudes audire nequiuerit. nam quum Sextilius poeta carmen hoc retulisset, Deflendus Cicero, patriæq; silen-

tia linguæ, Asinius ea re permotus audire noluit.

Hyarbita Maurus, dum Timagenem philosophum inter pocula declamantem vellet imitari, & non posset, inuidia crepuit. Hor. lib. 1. Epist. Rupit Hyarbitam Timagenis æmula lingua, Dum studet vrbanus tenditq; disertus haberi.

Catullus poeta inuidiosus fuit cuidam Siconio, quem his versibus insectatur: Siconi arbitrio populi tua cana senectus Spurcata impuris moribus intereat. Non equidem dubito quin primùm inimica bonorum Lingua exerta auido sit data vulturio. Effossos oculos voret atro gutture coruus, Intestina canes, cetera membra lupi.

Dædalus. Telon discipulum suum interemit ob inuidiã, & quòd figuli rotam & serram excogitasset.

Mucius fuit quispiam apud Romanos maleuolus, & alienam prosperitatem adeò ægreferens, vt quum Publius eũ solito tristiorem aliquando vidisset, statim dixerit: Aut Mucio nescio quid incommodi accessit, aut nescio cui aliquid boni.

Drances fuit Rutulus, qui Turni gloriæ semper inuidit. Virg. lib. 11. Tum Drances idem infensus, quem gloria Turni Obliqua inuidia stimulisq; agitabat amaris.

Illud porrò adiiciendum est, multos patria sponte excessisse, ad declinadam inuidiam, & in aliena terra vixisse: vt fecit Iphicrates in Thratia:, Conon in Cypro, Timotheus in Lesbo, Chabrias in Ægypto, Chares in Sigæo. Apud Romanos Pompeius post tot triumphos, & imperia, domi aut ruri se continebat, raro in publicum prodiens. Silius lib. 17. de inuidia hoc modo scribit: O' dirum exitium mortalibus, ô nihil vnquam Crescere, nec magnas patiẽs exurgere laudes Inuidia. Et Ouid. li. 2. Met. Pallor in ore sedet, macies in corpore toto, &c.

ALIENÆ LAVDIS, AVT virtutis æmuli.

ALexander viso Achillis sepulcro, propemodum collacrymari cœpit, studio gloriæ & æmulatione virtutis: eumq; felicem predicare, cui contigisset habere laudum suarum præconem Homerum.

Iulius Cæsar quum venisset Gades, animaduersa apud Herculis templum Alexandri Magni imagine, ingemuit: & quasi pertæsus ignauiam suam, quòd nihil tum à se memorabile actum esset in ætate, qua iam Alexander orbem terrarum subegisset.

Nihil maiore voto studuit Theseus, quàm Herculis imitari virtutem. quod vt faceret, monstra plurima confecit in terra Græcia: Scyronem, Procustem, & Scinin latrones, Creontem tyrannum, Minotaurum bicorporem, & Centauros oppressit, Thebas domuit, ad inferos penetrauit.

M. Crassus apud Romanos æmulus fuit rerum à Pompeio gestarum.

Themistocli Athenienſi Milciadis trophæa somnum excutiebant.

Salmoneus apud Elidẽ Græciæ, & Alladius apud Albam Italiæ Iouis fulmen & tonitrua mentiri & confingere voluerunt.

CONSTANTES, ET PATIENtes in rebus aduersis.

ARistidæ quum improbus quidam os sputo coinquinasset, risit hominis improbitatem, satisq; habuit eũ monere, ne postea simile quidquã faceret.

Val. Homullus interrogatus ab Antonio, vnde columnas rophireticas sibi comparasset, respondit: Imperator quum in domum alienam veneris, & surdus & mutus esto. Quod tamen insolens verbum Antonius non tantùm non molestè tulit, at etiam habuit præcepti loco.

Hadrianus seruum, qui in se irruerat armatus, non solùm non puniuit, verùm & curari iussit, quòd esse furiosus.

Bibulus audita duorum filiorum morte ita seipsum vicit, vt die postero ad solita reip. officia processerit.

Q. Martius rex amisso magnæ spei filio dolorem tanta animi magnitudine compressit, vt peractis exequiis curiam statim petiuerit, & vocauerit senatum.

Dion in cubiculo cum amicis sedens, vbi audisset filium è summo culmine domus prolapsum, & exanimatum, nul-

lo signo mæroris dato, illum ad sepulturam ferri iussit, ser monemq; institutum continuauit.

Rex Antigonus mortem Alcionis filii adeò constanter tulit, vt diceret illum serius aliquanto, quàm putasset, occubuisse.

Cornelia quum post amissos duodecim partus, Tiberiũ & Caium cæsos, & insepultos misera à matronis prædicaretur, Nunquam inquit, me ego felicem non dicam, quæ Gracchos pepererim.

Rutiliæ post amissum filium Cottam (quem in exsilium fuerat secunda) lacrymas nemo vidit.

Socrates vxoris suæ Xantippes conuicia & iniurias domi constantissimè ferebat, vt aliarum mulierum insolentiam foris pati disceret. idem sitim & famem tolerantissimè perferebat. nudis pedibus glacié & priuinas calcabat facilius, quàm calceati milites. quantuscunque foret hiemis rigor, nihil addebat quotidianis vestimentis.

Lycurgus à temulento quodam iuuene, altero priuatus oculo, non tantùm non permisit eum à ciuibus puniri, ac blandè submonuit.

Alphonsus Tarraconensis rex Siciliæ nunquam visus est iratus.

Gabriel Brixiensis ordinis Minorum, & Cardinalis presbyter, iurare solebat, se annos x x x. nulli mortalium succensuisse.

Symphorosa Getulii martyris vxor mortem septem filiorum pro catholica fide occumbentium patientissimè tulit, quin etiam ad martyrium animauit.

Parem filiorum numerum Felicitas mulier Romana pro religione Christiana sub Antonio emori læta cóspexit.

Sophia mulier tres filias sub Hadriano iugulari vidit cum gaudio.

Theramenes philosophus iussu x x x. tyrannorum in carcerem missus venenum constantissimè hausit, dicens: Pro pino hoc Critiæ, fuerat is causa mortis eius. Iocabatur in morte virille fortissimus.

Thucydides Athenienſis historicus à suis in exsilium missus ob proditionis suspicionem fortunam illam æquo animo tulit, neque vnquam flere aut queri visus est, neq; Brasidam exsilii auctorem scriptis suis carpere.

Asinius Pollio intra quartum diem, quàm filium amiserat, declamauit.

Iob mortalium omnium patientissimus, amissis liberis, omnibusq; fortunis, satis habuit dicere: Nudus exiui è matris vtero, nudus reuertor: Deus dedit, idem abstulit: Sit eius nomen benedictum.

Diuus Hieronymus in heremo degens, asinum sibi ablatum æquo animo tulit.

Excrementicia hirundinum fæce excæcatus Tobias, sinistrum illum casum tulit constantissimè

Petrus Clareuallensis abbas, amisso ob ægritudinem altero oculo, non solũ nõ visus est conqueri, immo verò plurimùm lætari, quod ex duabus corporis partibus sibi inimicissimus, alteram amisisset.

Harpalo in conuiuium regis Persarum accito quum appositi essent filii, finitaq; cena, rex interrogasset, an cena ipsa fuisset opipara? vbi dolum & sæuitiam agnouit Harpalus, lacrymas tamen tenuit, dolorem suppressit, vocem coercuit, atque etiam placido vultu, & gratias agenti similis, cenam laudauit.

Pigmenius presbyter Romanus Deo gratias egit, quòd vtroque captus esset oculo, ne ecclesiæ inimicos videret.

Diogenes Cynicus in conuiuio, quod ab insolenti iuuenum cœtu cruentis affectus plagis, contumeliosam illam iniuriam tolerauit constantissimè. idem in maxima vi frigoris æneam statuam frigidissimam solebat amplecti.

Gloriari solitum ferunt Sertorium, ducem Romanum, ob amissũ in bello oculũ, quòd (vt dicebat) ceteri fortes, sua spolia bellica domi relinquerent, ipse sua vbique haberet.

Esaias propheta viuus in duas partes sectus, tam constanti fuit animo, vt nihil patienti similis videretur.

Ananias, Azarias, & Misael pueri in fornace ignis conlecti, hymnum domino ibidem cecinerunt.

Quum Stephanus protomartyr lapidibus obrueretur, non potuit tamen de percussorum salute non esse solicitus.

Marcellinus martyr Diocletiani iussu stipitibus cum

fratre affixus, Psalmum illum cecinit: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum.

Agathæ virgini Catanex quum mandato Quinctiani Siciliæ proconsulis euellerentur mammæ: puella tortori pauca hæc verba satis habuit dicere: An te non pudet Quinctiane in me laniasse, quod te in matre aluit?

Mucius Scævola tam pertinacis fuit constantiæ, vt in conspectu Porsenæ Etruscorum regis manum flammis dederit comburendam, quòd regem ipsum non interfecisset. Luca. lib. 2. Te quoque neglectum violatæ Scævola dextræ. De hac constantia Mart. lib. 1. Dum peteret regé decepta satellite dextra, Iniecit sacris se peritura focis, &c.

Anaxarchus quum in lapidea pila iussu Anacreontis Cyprii tunderetur ob veteres iniurias nullum doloris præ se tulit indicium: quin conuersus ad carnifices, Tundite inquit pilam Anaxarchi. nam Anaxarchum non tunditis. Ouid. in Ibin: Aut vt Anaxarchus pila minuaris in alta, lactaque pro solitis frugibus ossa sonent.

Scriptorum monumentis laudatur Atilii Reguli constantia, quòd ad supplicium redire maluerit, quàm Carthaginiensium captiuos redimi.

Ioannes Aragoniæ rex candens chirurgi ferrum adeò constanter tulit, vt supraquàm oportebat, vreretur.

Leæna meretrix Attica nullis tormentis à Pysistrato cogi potuit, vt Harmodium & Aristogitonem tyrannicidas proderet.

Pascasius tyrannus quum Luciæ Syracusanæ nuntiari iussisset, illius amore captum, & oculorum pulchritudine illectum: nihil morata virgo, oculos sibi eruit, ac tyranno misit.

Horatius Puluillus pontifex, quum in Capitolio Iouis ædem dedicaret, atque inter sacra mortuum esse filium audisset, neque templi dedicationem interrupit, neque vultum à publica religione ad priuatum dolorem flexit.

Paullus Æmilius quum quarto die ante triumphum suũ Macedonicum alterum filiorum amisisset, alterum tertio post triumphum die iacturam illam æquo animo tulit. progressusq; ad populum, fortunæ gratias egit: deosque

precatus est, vt si quid discriminis reip. immineret, sua esset calamitate decisum.

Pericles duobus filiis intra quatriduum spoliatus, iisdẽ diebus vultu pristinum habitum retinẽte concionatus est.

Xenophonti philosopho Grylli Atheniensis filio sacrificanti, quum nuntiatum esset alterum ex filiis natu maiorẽ in acie cecidisse, coronam tantùm deposuit. percunctatus demum, quonam modo occubuisset, vt audiit fortissimè pugnantem cecidisse, depositam capiti reposuit, numina testatus, se maiorem ex filii virtute lætitiam, quàm ex morte mærorem sentire.

Anaxagoras audita filii morte nuntianti, Nihil, inquit, nouum memoras. ego enim illum ex me natum sciebam esse mortalem. Stroza pater: Viderat hoc celeber Samiæ telluris alumnus, Hoc & magnanimus sensit Anaxagoras. Hoc Xenophon sensit, quem non reuocauit ab aris Filius extinctus, nec doluisse ferunt.

Pompeius à Gentio rege interceptus, quum senatus consilia prodere comminationibus tormentorũ solicitaretur, digitum lucernæ admouit comburendum. qua patientia regi spem quidquam cognoscendi abstulit, & expetendæ populi Romani amicitiæ cupiditatem ingenerauit.

Gallieno imperatori tãta fuit in acceptis cladibus patiẽtia, vt in his etiam iocari non dubitauerit. nam quum accepisset, Ægyptum à Romano imperio desciuisse: Quid inquit, sine lino Ægyptio esse non possumus? Perdita Gallia, ridens, Et non est, inquit, tuta resp. sine trabeatis sagis? Asia Alemanorum & Scytharũ incursationibus vastata, Quid, inquit, sine Aphronitis esse non possumus?

Zeno Eleates à Phalaride tyranno correptus, atque in foro cruciatus, vt coniurationis participes aperiret, constantissimè reluctatus est, sociosque tyranni amicos eius facti suspectos reddidit.

Theodorus nullis verberibus aut torme ntis ab Hieronymo tyranno cogi potuit, vt tyrãnicidii conscios proderet. ingens tamen se cruciatibus tandem conuictum, Thrasonem tortorem coniurationis ignarum declarauit, qui protinus ad supplicium raptus est.

Q. Fabius Maximus fraudatus pecunia, quam pro captiuis Hannibali publicè numerauerat, publicè tacuit. compluribus etiã lacessitus iniuriis semper eodẽ vultu mansit.

Augustus sparsos de se in curia famosos libellos nec expauit, nec eorundem auctores requisiuit. ei etiam in senatu verba facienti quum à multis reclamatum esset, id mansuetissimè pertulit.

Tib. Cæsar auditis quibusdam maledicorum conuiciis respondit, In ciuitate libera liberas esse linguas oportere.

Aristippus cuidam, qui ob iram in verba venerat, dixit: Ne quæso à verbis propter iram discedamus, sed potius ab ira propter verba. idem cuidam maledicenti ait: Tu maledicendi dominus, Ego audiendi.

Agesilaus, Lacedæmoniorum dux, in castra Xerxis regis profectus Mardonium Persam occidit, putans se regem occidisse. raptus igitur ad supplicium, quum post varia tormentorum genera nullum suspirium prorsus emitteret, constantia illa meruit impunitatem.

Thraseas Stoicæ disciplinæ studiosus, quum damnatus à Nerone solutis venis moreretur, magna constantia suorum fletum compescuit libauitq; sanguinem Ioui liberatori. Huius meminit Mar. lib. 1. dicens: Diuitior Crispo, Thraséa constantior ipso.

Plinius scribit Gymnosophistas Indorum philosophos ab exortu ad occasum perstitisse contuentes solem immobilibus oculis, atq; etiam feruentibus arenis toto die alternis pedibus institisse.

Phormio dux fuit quispiam in perferendis militiæ incommodis notæ patientiæ. hinc natum adagium Erasmo positum, Phormionis tori. De stratis minimè delicatis.

Phocion Athenienſis ruri ac militiæ nudis semper incessit pedibus

Aristodemus Cydathenæus nudo itidem pede semper visus est.

Lygus femina quum metu militum filium occultasset, & illi per cruciatus interrogarent, vbinam occuluisset, vterum ostendens, ibidem respondit latere: nec vllis tormentis cogi potuit, vt constantiam vocis egregiæ mutaret. Cor. Tacitus.

Massanisa, rex Numidarum, nonaginta natus annos, nudis pedibus incessit, nec imbre vllo aut frigore potuit adduci, vt operto esset capite. Cic. de Senectute.

C. Marius Rusticanus vir, quum secaretur, vetuit se alligari, tormentumq; solutus pertulit cõstãtissimè, nec vllo rigore supplicii corpus immutauit. idẽ lib. 2. quest. Tusc.

Herodianus scribit Seuerum imperatorem iter facere solitum sine vlla intermissione, neq; labores vllos curasse. fuisse insuper frigoris & æstus patentissimum, media quandoque bruma, & agris omnibus gelu constrictis, aut niue & pruina albicantibus, in montes altissimos iuisse aperto capite, vt suo exemplo milites ad laborem & alacritatem induceret.

Auditis Athenienſium legatis & iam Athenas remigraturis, quum Philippus rex dixisset: Est ne aliquid obsquuii, quod à me proficisci valeat in ciuitatem vestram? Demochares legatorũ vnus, Si te, inquit, suspenderis. Quod verbũ procax & ingratissimũ Philippus ipse quieto pertulit animo, quũ tamẽ posset vlcisci, & deberet iure. Sen. li. 3. de Ira.

M. Antonius tanta fuit animi constantia, vt nullo vnquam affectu, nullis rerum fortunis vultum immutauerit.

Cato quoque nullis casibus vnquam mutatus est, nulli succubuit calamitati.

Dion Alexandrinus in conuiuio probis cuiusdam loquaculi, & infamibus verbis multùm lacessitus, maledictis nihil penitus respondit. ceterùm vbi rediit domum comitantibus plerisq; & conuiciorum contemptum suadentibus respondit, Nec Gry quidem. Quod ægreferens conuiciator iuuenis, laqueo se præfocauit.

Turbo, præfectus prætorianorum sub Hadriano tanta fuit constantia & animi magnitudine, vt nec morbo laborans domi se contineret, præpositos rerum stantes mori oportere dicens.

Seuerianus Hadriani iussu moriens, ignem petiit, & accenso ture, Vos inquit, dii testes estote, nihil à me mortale dignum esse commissum. tantum hoc precor, ne, quum mori velit, possit.

Clitomachus Carthaginiensis non tantùm forti animo tulit excidium patriæ, sed ciues quoque cohortatus est ad præferendum.

Stilbon Megarẽsis patria capta, ac direpta, interroganti Demetrio, quid perdidisset, Nihil se amisisse respondit.

Metellus in exsilium ire, quàm Saturnini tribuni pl. iniquissimas leges ferre maluit.

Albucius æquissimo animo Athenis philosophabatur, Marcellus Mytilenis.

P. Ouidius exsilium non tantùm fortiter tulit, at etiam multa in eo scripsit.

Pallas Strozia Florentia pulsus, Paduæ ita vixit, vt exsilium ad otium litterarum conuertisse videretur.

Iugurtha regno amisso Romam captiuus ductus ad carceris ostium iocatus dicitur.

Carolus Malatesta victus, captusq; à Philippi Mariæ Mediolanensis militibus, admirabilem in captiuitate animi firmitatem retinuit.

Alphonsus rex Neapolitanorum captiuus, ea fuit constantia, vt libertatem non videretur amisisse.

Aesopo in neruo apud iudices captiuitas animi firmitatem non abstulit.

Mauricius seruus quum à Neapolitano prætore candenti forcipe cõcideretur, traherenturque per vrbem ad maius supplicium, quod liberum hominem occidisset, nullos vnquam eiulatus misit, neque vultum mutauit, neque statum corporis.

Aemilia Scipionis vxor non modò dissimulanter tulit ancillam suam haberi à viro in deliciis: verùm Scipione mortuo manumissam eam liberto suo dedit vxorem.

Federicus Vrbinas tam æquo ferebat animo alterum oculũ sibi deesse, vt interdũ in deformitatẽ illã iocaretur.

Antonius Panhormita multos annos tormina & vrinæ difficultatem tam patienter tulit, vt etiam dissimularet ægritudinem.

Fran. Foscarus, Venetorum princeps, filium flagitiosis criminationibus infamẽ relegari constantissimè passus est.

Scipionem Africanũ tanta in exsilio comitata est patientia, vt audita fratris morte animum retinuerit.

Mors filii non deterruit L. Syllam, quo minus aduersus hostem, rem egregiè gereret.

Femella Amatriciana quum intellexisset filium demisso animo ad supplicium trahi eidem occurens iussit vt exuto periculi metu, cælum & solem suspiceret. Quod quum fecisset, An, inquit, ignoras fili, te confestim in arces illas emigraturum?

Homullus quidam quum Romæ causam ageret, audita filii morte institutum non interrupit sermonem.

Quum Cambyses rex Persarum, filium Prexaspis (à quo monitus fuerat vitandæ ebrietatis) sagitta confodisset, pater dolorem suppressit, atque etiam regem laudauit, vt peritum artis sagittariæ.

MAGNANIMI.

Horatius Cocles Personæ regis Tuscorum tumultu, repentino & insperato Romam inuadentis, solus impetũ sustinuit, donec à tergo põs solueret à sociis. quo saluto, armatus & vulneratus in Tiberim se coniecit.

Clœlia eidem regi ad condicionem pacis obses data, traiecto Tiberi Romam rediit, seq; exemit captiuitate. De hac puella & Coclite Virg. lib. 8. Æn. pontem auderet quum vellere Cocles, Et fluuiũ vinclis innaret Clœlia ruptis.

Antigonus Philippi regis miles fortissimus in obsidione Perinthi catapulta confossus, non prius eam euelli passus est, quàm hostem fugatum intra mœnia compulisset.

Maluit Metellus exsulare, vt iam diximus, quàm in pernicioſas Apuleii Saturnini leges iurare.

M. Scæuæ Centurionis fortitudinem iam diximus in capite de Bellicosis.

Iuba rex Mauritaniæ superatus à Cæsare mortem sibi conscisciuit, ne in triumphum raperetur.

Asdrubal capta Sicilia Romanis bellum indicit, in quo L. Glaucus vir præcipua nobilitate comprehensam Asdrubalis nauem non prius dimisit, quàm vtranque amiserit magnum. testis Plut.

L. Postumius Albinus dum in comflictu contra San-

nites accepto vulnere cecidisset, nocte concubia accepto spiritu surrexit, & ex interfectorum hostium clypeis trophæum erexit tinctaq; cruore dextra titulum inscripsit: Romani de Samnitibus Ioui, in cuius potestate sunt trophæa. auctor apud Plutarchum Aristides.

Fabius Maximus dum in conflictu contra Pœnos suos omnes quingentos numero amisisset, ipse mortifero accepto vulnere vehementi cursu irruit in Hannibalem, eiq; diadema abstulit, demum iacuit supinus.

Cn. Popilius legatus ad Antiochum missus, regem ipsum differentem responsum, virga circumscripsit, & priusquàm egrederetur circulo illo respondere compulit, magno dubium fortitudinis an temeritatis argumento. auctore Plinio.

Epaminondas quum vicisset Lacedæmonios apud Mantineam, vbi accepto ibidem vulnere exanimem & iam mori proximum se vidit, percunctari cœpit, an saluus esset clypeus, & fusi hostes. Quum autem audiuisset quod cupiebat, auelli iussit eam (qua erat transfixus) hastam, & ita multo sanguine profuso in lætitia & victoria mortuus est.

Leonidas rex Lacedæmoniorum se in Thermopylis, trecentosque alios, quos eduxerat Sparta, opposuit hostibus, quum proposita esset aut fuga turpis, aut gloriosa mors. auctor Cicero lib. 2. de Finibus.

Socrates accusatus ab Anyto, nec patronum quæsiuit ad iudicium capitis, nec iudicibus supplex fuit, adhibuitq; liberam contumaciam à magnitudine animi inductam, non à superbia. et paucis antè diebus quum facilè potuisset educi à custodia, noluit. quumque mortiferum in manu poculum iam teneret, ita locutus est, vt non ad mortem trudi, sed in cælum videretur ascendere. auctor idem Cicero lib. 1. Quæst. Tuscul.

Quinctus Sertorius accepto in bello vulnere, deformeus gloriabatur, atque hoc ipsum tribuebat laudi, & æreo fortitudinis monumento.

Mithridates rex Ponti tanta fuit animi magnitudine, vt filiis, præsidiis, & vniuerso principatu destitutus, quum nec amplius Romanorum virtuti posset obsistere, nihil

tamen humile aut abiectum conceperit animo. quinimò ad Celtas profectus, cogitauit vna cũ illis Italiã irrũpere.

Ea fuit animi fortitudine Scytharum regina Tomyris, vt amisso exercitu & filio, quem Cyrus interfecerat, animum tamen non remiserit, aut desperauerit victoriam. nam quo tempore lugendus erat filius, & exequiis vacandum, incredibili virtute femina victorem iam gloriosum, & nihil sibi non promittentem, regno iussit excedere per legatos. Quod mandatum quum nihil fecisset Cyrus, non prius suos hortari, & ad profligandum barbarum desiit animare, quàm simulata fuga, hostem in meditullium regni sui pellexerit, pellectum numerosa militum caterua circumsepserit, circumseptum vicerit, victum interfecerit interfectum coniecerit in vtrẽ plenum sanguinis, vt eo se saturaret, quemtantopere sitiuerat. Herodotus hæc.

Boges Persa, Xerxi carissimus, quum ab Athenien-sibus & Cimone Miltiadis filio obsideretur, liceretq; ei accepta fide egredi, & in Asiam remeare, tamen abnuit, ne regi præ metu superfuisse videretur: propterea ad extremum vsque perstitit. Atque vbi nihil in mœnibus commeatus reliquum fuit, rogum accendit, cui liberos, coniugem, concubinas, familiam iniecit, torumque vrbis aurum & argentum è muris proiecit in Strymonem. quo facto se ipsum postremum incendio dedit.

Hergesistratus Elæus, captus à Lacedæmoniis, & in vincula coniectus, rem fecit vniuersæ posteritati commendabilem. nam quum ferratis soleis vinctus esset, dimidium pedem præcidit, vt se compedibus illis eximeret: demum subruto muro periculum effugit, deceptis excubitoribus. auctor Herodotus in Calliope.

Alcibiades Athenensis, dum vnà cum sociis in via luctaret, accedentem cum quadriga bubulcum monuit, vt palustrum sisteret, dum absolueretur ludus. quod quum ille recusasset facere, Alcibiades in terram se ante boues strauit, bubulco monito, vt si vellet supinũ corpus boum pedibus & rotis quadrigæ conculcaret. Idem quum à ludi litterarii magistro Homericum aliquod opus petiisset, atque is respondisset, non esse sibi, colaphum eidem infre-

git, dictitans non oportere bibliothecam litterati hominis tantis operibus esse immunem :

Cyrus adhuc puerulus, rex per iocum inter pastores creatus, eos, qui errassent, verberibus seuerè castigabat. propterea accusatus à quodam (quem acerbius depalmauerat) apud Astyagem regem Mœdorum, quum ab eodem carperetur, quòd in tam tenera ætate, vilibusque pannis iam imperium exerceret, Respondit, regum interesse, vt delinquentes corriperent : vnde & ex eo tempore Astyagi factus est suspectus.

Ariarathes, rex Cappadociæ, à Perdica obsessus, quum iam desperaret effugium, ne quid fructus aut trophæorum accederet inimicis, vrbem incendit, sibique & suis omnibus consciuit mortem.

Leonidas Spartanus ad Termopylas Persarum exspectãs congressum, Eutychum militem domum remisit propter cæcitatem, quam is quodam oculorum morbo contraxerat. Discedens Eutychus pœnitentia & rubore cœpit affici, quòd sociis periculum exspectantibus solus subterfugium videretur inquirere. propterea seruo duce regressus in prœlium vtcunque poterat pugnando interiit.

Thelesis Argiua mulier Argos, oppidum Græciæ, Cleomene Spartanorum rege obsessum, vnà cum ceteris mulieribus, quum deessent viri, tutata est.

Alia fortitudinis & magnanimitatis exempla iam posui diuersis in locis. supersunt tamen plurima, quæ omittenda putauimus, quoniam nullus est delectus, vbi de multitudine certatur.

DE CARITATE IN PATRIAM exempla.

REgnante apud Phrygios Mida, quum prope Celenas vrbem dehiscens terra sese aperuisset, erupuitque ex ea voragine vis aquarum plurima, propinquas domos eruens : rex oraculo consulto, quid ea in re faciendum esset, responsum habuit, hiatum illum non prius clausum iri, quàm quis introsè demitteret ad pacandam iram numinum. Quod videns Ancurus Midę filius,

dato patri & vxori osculo in voraginem præceps desiliit. auctor Plutarchus.

Eodem exemplo quum in vrbe Roma biatus terræ paulatim excrescens accidisset, Curtius amore patriæ introsè demisit.

Quum Lacedæmonii ob interfectum contra ius gentium Xerxis legatum peste laborarent, ad finem mali reperiendum vtile fore dixerunt, si quis ex Lacedæmone facinus indignum sua pensaret morte. Quod audientes Sparthius & Bulides læti se obtulerunt, & ad Xerxem profecti cultris deuouerunt iugulos, vt violato iuri satisfacerent.

Monitus in somnis C. Marius consul, se ex Cimbris victoriam reportaturum, si filiam Calpurniam sacrificasset, arrepto cultro paruit nocturnis phantasmatib⁹ & filiã immolauit. auctor Plutarchus ex testimonio Dosithæi Græci.

Erecteus in Eumolpum bello contendens consultis oraculis responsum habuit, futuram sibi & patriæ victoriam, si filiam immolasset. quod quum audisset, filiæ vitam abstulit, vt afferret salutem patriæ.

Cleomenes, dux Spartanorum, contracto cum Ptolemæo fœdere aduersus Antigonum & Achæos, in pignus fidei perpetuæ matrem eidem Ptolemæo dedit obsidem. quæ cum resciisset honestissimas pacis condiciones Cleomeni filio offerri ab Achæis, litteris eum monuit, ne propter carios um vetulæ corpus pacem illam renueret, quam intelligeret esse vtilem patriæ.

Quum Cæsar odio Pompeii patriam vellet opprimere, M. Brutus ipsi Pompeio adhæsit, à quo tamen sciebat patrem suum bello Syllano interfectum fuisse Mutinæ, condonauitque priuatas iniurias patriæ.

Nihil Cassium Cherream compulit ad inferendam Caligulæ sanguinario principi mortem, præter caritatem patriæ, quam ille multis homicidiis, probrosisque flagitiis contaminabat.

P. Rutilium pulsum Roma & exsulantem, quum nescio quis monuisset ad inferendum patriæ bellum, quo facilius reditum assequeretur : respondit, se ciuium salutem pluris facere, quàm reditum suum, & malle vt exsilii sui puderet

Romanos, quàm propter reditum desieret patria.

Vlysses apud Calipsò, patriam præculit immortalitati: auctor Cicero in orationibus his verbis: At si nos patria delectat, Quirites, cuius est tantus amor, vt Itacham vir præstantissimus, nidulumque illum affixum saxis immortalitati prætulerit, multi tamen extra patriam melius rem gessere.

Cretinus Magnesius bello Mithridatico aduersus ipsum Mithridatem delegit imperatorem Hermiam, quocum tamen priuata gerebat inimicitias, professus se interim iturum in exsilium, ne quis tumultus ob illam duorum factionem suboriretur. quod si patria mallet Cretinum imperatorem, quam Hermiam, orauit vt interim exsularet Hermias. Aduersarii modestia permotus Hermias, sponte exsulauit.

M. Lepidus Pont. Maximus, & M. Fuluius in censura collegæ priuatus inimicitias ad patriæ vtilitatē posuerunt.

P. Seruilius, & M. Lucullus priuata quoque odia reliquerunt in administratione reip.

Tres fuerunt Decii, qui pro salute patriæ, sese deuouere: Pater quum Latino bello Romanorum aciem inclinatam pænè, & iam prostratam videret, seipsum deuouit, ac protinus concitato equo in medium hostium agmen patriæ salutem, sibi mortem petens irrupit. Filius in quarto consulatu Q. Fabii collega aduersus Gallos & Samnites profectus pro patria fortissimè pugnans occubuit. Nepos periit in bello Pyrrhi, quod gessit pro Tarentinis. De his Cicero lib. 1. Quæst. Tusc. Si mors, inquit timeretur, non cum Latinis pater Decius decertans, cum Etruscis auus, cum Pyrrho nepos hostium telis occubuissent. idem in primo Paradoxo de his & quibusdam aliis.

Romanus populus Cannēsi clade attritus, quum nihil nisi de fuga, & patriæ cogitaret exsilio, Scipio Africanus adhuc admodum iuuenis stricto gladio mortem vnicuique minitans, iurare omnes, nunquā se relicturo patriā coegit.

Quum Athenienses à Doriensibus bello premerentur, adeò vt resistere non possent, diffidentia humani auxilii Apollinis oraculum confugerunt. Consultus deus super futuro rerum statu, & victoria, respondit, partem illam victricem fore, cuius rex occumberet in ipso bello. Quod responsum quum utriq; exercitui innotuisset, vtrinque edictum est, ne quis regem hostem interficeret. Id vbi cognouit Codrus Athenienſium rex, depositis insigni bus imperii, familiarem & abiectum cultum induit, & diffusis hostibus se obiiciens, unum ex his falce percussum in cædem suam compulit. quo facto victoriam suis reliquit. Horatius lib. 3. Car. Codrus pro patria non timidus mori.

Thrasybulus tanta fuit in Athenas caritate, vt parua ſipatus militum manu animum adiecerit ad eam liberandā à triginta tyrannorum teterrima dominatione. Cui intentum operi quum quidam interrogasset hoc modo, Quantas tandem tibi Athenæ per te libertatem consecutæ gratias debebunt Thrasybule? Respondit: Dii faciant vt quantas ipse illis debeo, videar retulisse.

Themistocles Athenis patria pulsus, coactus est se recipere ad Xerxem Persarum regem, quem prius debellauerat. à quo mira exceptus beneuolentia, & hospitalitate, quum postea solicitaretur ad inferendum ingratæ patriæ bellum, mortem sibi consciuit, epoto sanguine taurino.

Quum Carthaginienses & Cyrenenses, disceptantes de finibus agrorum, mutuis bellorum cladibus se attriuissent, ad dirimendam armorum causam in hoc fœdus coiuerunt, vt certo die vtrinque legati domo proficiscerentur, & quo in loco obuii inter se fuissent, communis vtriusque populi finis haberetur. Missi sunt igitur ex Carthaginiensibus duo fratres, nomine Phileni. qui quum seu festinantissima celeritate, seu gressu citra horam constitutam maturato in longius terminos promouissent, Cyrenēsium iuuenes de fallacia eorum questi optionem fecerunt Carthaginiensibus, vt vel illi quo fines populo suo peterent, ibi viui obruerentur, vel condicionem hanc sibi relinquerent. Phileni condicione probata, vitam suam reipub. condonauere, & vsi obruti sunt. Carthaginienses in rei memoriam mortuis aras posuerunt, hisq; honores diuinos domi constituerunt.

Aristoteles Athenis in lectulo iacens non potuit tamen non esse solicitus de patria. quam quum euertisset Alexan

der, ab eodem litteris obtinuit, vt instauraretur.

Theseus, quamuis Ægei Athenarum regi (aut, vt placet Ciceroni, & Plutarcho, Neptuni) esset filius, non grauatus est tamen deuouere se Minotauro, vt patriam seruitute eximeret. Catullus: Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis Proiicere optauit potius, quàm talia Cretam Funera Cecropiæ, nec funera portarentur.

Protogenia, & Pandore filiæ Erichthei Athenarum regis ingruente Bœotio bello, se pro patriæ salute vltrò iugulandas obtulerunt, & immolandas. Quod factũ est in pago Hyacintho: vnde & virgines Hyacinthides sunt cognominatæ.

Quodam tempore quum annonæ caritas Atticam premeret, consulta oracula cecinere finem malo non prius futurum, quàm aliqua immolaretur puella. id vbi rescivit Leos Orphei filius, publico permotus bono, filias suas Phasitheam, Theopem, & Eubulem, exhibuit immolandas.

Macaria quoque Herculis filia pro incolumitate publica se deuouit.

De Atilio Regulo, Coclite, Fabiis, Epaminonda, & Lysandro variis in locis, vt res postulauit, locuti sumus.

Argiuis Thebas obsidentibus Menœceus Thebanus pro patriæ salute se è muris præcipitem dedit, gladio iam perfossus. Statius lib. 10. insignemq; animam mucrone corusco Dedignantem artus pridem, mæstamque teneri Arripit, atque vno quæsitam vulnera rumpit. Sanguine tunc spargit turres & mœnia lustrat, seque super medias acies non dum ense remisso Iecit, & in sæuos cadere est cõnatus Achiuos.

Petronius Granius, centurio octauæ legionis, sub Cæsare Gallico bello militans, Gorgoniæ portus tantisper ab hostili protexit impetu, dum sociis ad fugam tempus dederit. Reuertentibus demum iisdem ad subsidium, vulneribus deficiens, Ite nunc, ait, incolumes.

Agesilaus filiũ suum Pausaniam inedia consumpsit, quòd quinquaginta auri talenta accepisset à Xerxe, vt Spartam proderet.

Eadem ratio impulit Cassium ad inferendam Crasso Bru-

to filio suo mortem, quòd is portas vrbis Romæ dicta mercede Latinis oblusset aperire. Vtriusque exempli testis est Plutarchus.

Dion Syracusanus vsq; adeò patriæ studiosus habitus est, vt animum sumper adiecerit ad eam liberandam à Dyonisii tyrannide. Quod tandem fecit virtute, pulso in exsilium tyranno.

Damaratus Lacedæmonius patria pulsus quum Athenis exsularet, non potuit tamen suos non monere belli, quòd tacitè parabant Athenienses.

Aratus Sicyonius patriam liberauit à Tyrannide.

TYRANNI PLERIQVE.

Gathocles tyrannus fuit Syracusanus.

Alexander Pheræus tyrannidem exercuit in Thessalia: Busyris in Ægypto: Vterque Dionysius, Siracusis. Hieronymus, in Sicilia: Hipparchus, & Pysistratus eius pater, Athenis: Periander, Corinthi: Melanus eius filius, Ephesi: Polycrates, & Sylosõn fratres, in Samo: Procopius, Constantinopoli: Phalaris, Agrigenti: Candaules, Sardibus: Creon, Thesiis: Clearchus, Heracleæ: Crabrinus, Cremonæ: Milo, Pisæ: de quo Ouid. in Ibin: Vtq; Milo, sub quo cruciata est Pisa tyranno, Cæsus in æquoreas præcipitaris aquas. Gelon, & Hiero, in Sicilia: Aristoclides, & Erginus, in Orcomeno: Cypselus, Corinthi: Aristomachus, & Aristippus fuerunt Argiuorũ tyranni, auctor Plutarchus in Arato: Critias, tyrannus Athenienſis. Hecatheus, Cardianorum: Hippo, Messanæ urbis: Machanidas, Lacedæmoniorum: Mamercus, Catanæ vrbis Siciliæ: Nicoles, Sicyoniorum: Onabis, Lacedæmoniorum: Arideus, Pamphiliæ: Aristagoras, Mileti: Clisthenes, Sicyonis: Anaxileus, Rheginorum. Inter tyrannos numerantur Tetrici xii. Ecelinus, Histieus, Mnason, Nabis, Aristonicus, Nicocreontes, Hegesistratus, Scesenor, Cleander, Sabyllus, Strates, Aristratus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

rundam seruorum in Dominos fidelitas.

QVum Orestes & Pylades venissent in regionem Tauricam ad deponendas furias, quibus Orestes laborabat propter matrem occisam, essentq; à rege comprehensi, quòd simulacrum Palladis inde auerre voluissent, rex Orestem (quem audiuerat esse auctorem furti) damnauit capitis. Quum verò nesciret vteresset Orestes, Pylades eum se esse affirmabat, contendebatq; vt pro socio interficeretur. Orestes verò volebat irrogari sibi supplicium, nomen suum accusans & furtum. Cicero in Lælio: Quum ignorante rege, inquit, vter esset Orestes, Pylades se Orestem esse diceret, vt pro illo necaretur. Orestes autem ita, vt erat, Orestem se esse persueraret, stantes plaudebant in re ficta. Ouid. lib. 4. de Trist. & lib. 2. de Ponto.

Theseus cum Pyrithoo amicitiam iureiurando confirmauit auctore Plutarcho, quæ nunquàm diuelli potuit. propterea finguntur à poetis comitatu indissolubili ad inferos descendisse ad rapiendam Proserpinam. Ouidius: Pyrithoum Theseus Stygias comitatur ad vmbras. Horatius: Nec Lethæa valet Theseus abrumpere fido Vincula Pyrithoo.

Constituerat Achilles nunquam redire ad bellum Troianum, propter ereptã sibi ab Agamemnone Briseidem: vbi tamen intellexit Patroclum amicum ab Hectore fuisse peremptum, mutato proposito bellum adiit: nec prius quiescuit ex animo, quàm socii mortem vindicauerit. vnde mortuo Patroclo, sic apud Homerum loquitur: nunquam pariadum viuam, dolore afficiar. Prop. lib. 2. fit Stat. lib 4. Sil. et lacerum qui circa mœnia Troiæ Priamidem cæso solatia traxit amico.

Nysus Hyrtaci filius, & Euryalus amici fuerunt arctissimi, qui pro Ænea certauerunt in Turnum, quorum alterum Euryalum quum Rutuli interfecissent, Nysus, qui periculum cursu euaserat, rediit tamen ad vlciscendam socii mortem. quod quum fecisset, super mortui corpus se confodit, & exanimem proiecit. De his Virg. lib. 9. His amor

vnus erat, pariterq; in bella ruebant. idem de Nyso. Tum super exanimem sese proiecit amicum Confossus, placidaq; ibi demum morte quieuit.

Castor & Pollux fratres fuerunt, filii Ledæ, hic ex Ioue, ille ex Tyndaro. propterea poetæ fabulantur, Castorem fuisse mortalem, quem immortalis Pollux suo interitu fraterna redemerit pietate. Quod ideò fingitur, quia eorum stellæ sic se habent, vt vna occidente oriatur altera, Seruio teste. Virg. lib. 6. Æn. Si fratrem Pollux alterna morte redemit Itq; reditque viam toties.

Damon, & Pythias Pythagoræi condiscipuli, arctissima inter se amicitia coaluerunt, nam quum alterum eorum Dionysius Syracusanus interficere vellet suspicione proditionis, alter se mortis vadem præstare non dubitauerit, tantisper dum is, qui rapiendus erat ad supplicium, reuerteretur à componendis rebus domesticis. Quum autè adesset hora morti destinata, & iam obses proximus esset supplicio, vnusquisque stultitiæ tam temerarium sponsorem dãnabat. at is nihil se de fide amici dubitare prædicabat. Eodem autem momento, quo supplicium tyrannus indixerat qui discesserat, superuenit, obsidem liberaturus. De his Cicero in Officiis, lib. 3. cap. 136

Achates perpetuus Æneæ comes & socius fingitur à Virgilio, sicut alter, altero semper comitatus abeat. Stroza patet: Nec minus hunc colui, quàm dux Troianus Achatẽ, Quàm rector Graiæ Nestora militiæ. Nam & maxima fuisse fertur amicitia inter Nestorem & Agamemnonem.

Inter paria amicorum numerantur etiam Hercules & Theseus: nam hic illius virtutem & facta semper imitatus est: & hunc in inferis captiuum redimere conatus est ille. Ambo in Amazones armati sunt, in Scythiam Phrygiamq; vnà profecti, eisdem armis instructi, eodem telorum genere muniti, similibus studiis paribusque exercitationibus vsi, ex geminis fratribus geniti, Hercules ex Ioue, Theseus ex Neptuno, secundum Plutarchum,

Fuit & mutuus amor inter Herculem & Nestorem. nam Hercules Messenem dedit Nestori, Nestor primum instituit iuramentum per Herculem.

Statius Dimanta & Hoppleum amicitia insignes fuisse memorat. Syllius Marium & Casprum lib. 9. dicens. -Sacro iuuenes Præneste creati, Miscuerat studia, & iunctæ tellure serebant, Velle ac nolle ambobus idem, societasque toto Mens æuo, ac paruis diues concordia rebus, Occubuere simul votisque ex omnibus vnum Id fortuna dedit iunctam inter prœlia mortem.

Alexander tanta fide coluit Ephestionem, vt eo mortuo propugnacula vrbium diripi, equos mulosque tonderi, plerosque gregarios homines interfici ad mœroris argumentum iusserit: idq; vocauerit Ephestionis inferias. In eius quoque exequiis decem milia talentùm profudit. auctores Plutarchus & Harrianus.

Quum Senatus Ro. Caium, & Tiberium Gracchos, ob grauissimas seditiones, quas in populo concitauerant, hostes patriæ iudicasset, iussissetque comprehendi, & interfici cum omnibus eorum affectis: Blosius, qui Tiberium secutus fuerat, in senatum venit, culpam deprecaturus apud Lælium, quòd tanti Gracchum fecisset, vt quidquid ille vellet, sibi faciendum esse putaret. cui Lælius Dic, inquit, Si Gracchus te in Capitolium faces ferre voluisset, nunquid fecisses? Tum ille nunquam id quidem voluisset Gracchus: sed si voluisset, paruissem. Quæ vox quantá vim amicitiæ promittat, vnicuiq; relinquitur coniectandũ.

Pomponius & Lectorius tanta fide C. Graccho adhæserunt, vt ad eius salutem morti sese obtulerint. nam quum L. Opimius Gracchum ipsum fugientem cum armata manu velut hostem patriæ insectaretur, Pomponius, & Lectorius persequentium furori sese obtulerunt, vt ille salutem fuga sibi quæreret. nec prius cesserunt impetui, quàm telis, & vulneribus vndique perfossi exspirarent.

Seruilium Cæpionem in vincula coniectum L. Rhegimus, vi amoris impulsus, custodia liberauit, & fugæ illi se comitem dedit.

Volumnius tam effusis caritatis habenis M. Lucullum complexus est, vt quum Antonius Lucullum interfecisset, quòd adhæsisset Cassio & Bruto Cæsaris interfectoribus, Volumnius amico mortuo noluerit supersse, quum tamen

facilè posset euadere.

Cœlius à Cinna & Mario Placentiæ obsessus, ne in eorum potestatem veniret, Petronium amicum sum orauit, vt inferret sibi mortem. Petronius quum ab ea sententia amicũ nõ posset auertere, interfecit, seq; illi comitẽ dedit.

Non minora beneuolentiæ indicia præstitit Terentius Decio Bruto: nam quum Antonius speculatores misisset, qui Brutum interficerent, Seruius Terentius, vt eum à morte liberaret, seipsum interfectoribus obtulit, nomen Bruti mentitus. re tamen cognita, Terentium dimiserunt incolumem, tracto ad supplicium Bruto.

C. Lælius, & Africanus Scipio inter raras amicitias numerati sunt.

Metrodorus Lampsacenus annis XVII. nunquam discessit ab Epicuro.

Pomponius Atticus tanta beneuolentia iunctus fuit Ciceroni, vt Ciceronis Atticus diceretur.

Phydias statuarius Agorantum Parium discipulum suum adeò dilexit, vt nomen eius suis operibus inscripserit plerunque.

Nicomedes, rex Bithyniæ, tam propenso fuit in Romanos animo, vt raso capite pileum sumpserit, & se Romanorum libertum vocauerit.

Iulius Cæsar, Syllanæ factionis inimicus, adeò fauit Mario, vt deiecta eius trophæa restituerit, statuasque nouas erexerit in Capitolio.

Galetes puer vsque adeò amatus est à Ptolemæo, vt quum videret reos ad supplicium trahi, salutem eis & impunitatem exorauerit à rege.

Hispides Menedemo socio à Spitamene inimicis occidendum se præbuit, quum tamen liberum esset periculum declinare. auctor Curtius.

Timagoras Meletem Athenienſem vsque adeò dilexit, vt eo iubente se præcipitauerit.

Cyziceni adeò fideles Romanis extitere, vt in bello Mithridatico diutissimè obsessi, neque fame, neque tormentis vllis ad deditionẽ cogi potuerint. auctore Plutarcho.

Aemelius cum Plotino philosopho annos supra viginti

summa familiaritate vixit.

Darius vsque adeò amauit Megabyzum Persam, vt deducto malo punico optauerit sibi tot Megabyzos, quot illic essent acinorum. Testis Herodotus.

Iam docuimus quanta in Xerxem regem Persarum beneuolentia fuerit Boges, quoque modo eius causa se, suaque omnia morti & flammis deuouerit.

Licinius Surra tanta familiaritate & beneuolentia coniunctus fuit Traiano, vt imperator ipse post delationem domum eius venerit, pransusq; cum illo eius medico oculos tentandos exhibuerit tonsoriq; operam dederit. mox ad amicos conuersus, Ecquid accusare Surram amplius potestis, inquit? Eidem mortuo sepulcrum fieri, & statuam poni iussit.

Memorabilis est amicitia duorum hominum, quos Saxo Grammaticus Asmundum & Asuitum vocat: quorum quid Asuitus morbo consumptus esset, alter Asmundus ob amicitiæ iusiurandum viuus cum eo tumulari voluit.

Vrbinum in agro Reatino delitescentem quum milites ad mortem inquirerent, seruus eius domini ornamentis indutus in eiusdem cubile se reclinauit, vt irruētes hostes Vrbinum esse suspicarentur, & ita primo impetu iugularent. In cuius rei monumentum Vrbinus mortuo erexit statuam cum titulo & inscriptione, quæ tam memorabilem testatetur fidelitatem.

Aesopus libertus Demosthenis patronum suum adeò dilexit, vt nullo tormenti genere potuerit cogi ad reuelandum adulterium domini. Auctor Macrobius.

Antium Restionem proscriptum, & noctu fugientem seruus eiusdem secutus est, abditumq; ministerio suo aluit, quum deinde persequentes adesse sensisset, senem (quem casus primum obtulit) iugulauit, & in constructam pyram coniecit. eadem accensa eis occurrit, qui Restionem inquirebant, dicens: damnatum sibi pœnas luisse, multoq; acrius à se vexatum, quàm ipse vexabat. quo factum est vt Restio liberatus effugeret.

Cæpionem morti adiudicatum quòd insidias parasset Augusto, seruus ad Tiberim in cista detulit, peruectumq;

Hostiam in agrum Laurentem ad villam patris nocturno itinere perduxit. cuius deinde nauigationis naufragio vnà expulsum dominum Neapoli dissimulanter occuluit, exceptusque à Centurione nec pretio nec minis potuit adduci, vt dominum proderet.

Cluentium Pelignum Italicensem, comprehensum ab inimicis, seruus occidit, ne traderetur Pompeio hosti: ac se, ne domino superstes fieret, interemit.

C. Gracchum ex Auentino fugientem Euporus seruus qua potuit ratione tutatus est. super occisum deinde animam scissis proprio vulnere visceribus effudit.

Seleuci seruus quum seruiret amico eius, à quo dominus fuerat interemptus, cenantem in vltionem domini confodit.

Mycithus seruus Anaxilai Messenii acceptum à domino regnum eiusdem liberis vbi adoleuerunt, restituit, sumptoq; exilii viatico cū sūma trāquilitate cōseniuit Olympiæ.

Nexæra, & Charmione ancillæ fuerunt Cleopatræ reginæ, quæ spontaneam dominæ mortem imitatæ sunt, ac semiiuxæ repertæ, dominæ iam mortuæ coronam capite delapsam reponentes.

Solebant Spartiatæ & Messenii virgines ad se mutuò mittere, ad confouendas semper amicitias.

Quædam amicorum paria numerantur à Politiano his verbis: Vt tibi collatus iuuenis Phocæus Orestem Oderit, & spernat Thesea Pyrithous. Sicanium Pyladem credatur fallere Damon. Vixque bonum frenis Castora frater amet.

AMOR CONIVGALIS.

ORpheus, vt fabulantur poetæ, descendit ad inferos non alia causa, quàm ad repetendum Eurydicen vxorem, quam prius multis lacrymis defleuerat. Virg. lib. 4. Geor. Ipse caua solans ægrum testudine amorem, Te dulcis coniux, te solo in litore secum, Te vehente die, te decedente canebat.

Alcestis maritum suum Admetum regem Thessaliæ tanto amore dilexit, vt quum Admetus ipse morbo laboraret, consultaque oracula respondissent, futurum eum incolu-

mem, si quis amicorum pro eo mori vellet, sola vxor recusantibus pietatem illam ceteris amicis, pro viri salute mori se deuouerit. propterea poetæ fabulati sunt reuiuiscendi munus ei à Diis concessum. Admetus verò bene licii memor, perpetuas defunctæ nænias instituit. Iuuen. Sta. 6. spectant subeuntem fata mariti Alcestim.

Tantus fuit Penelopes in Vlyssem amor, vt eo absente per annos viginti castitatem seruauerit impollutam, nullisque procorum blandimentis succubuerit. Prop. lib. 2. Felix Admeti coniux, & lectus Vlyssis.

Capanei apud Thebas mortui dum celebrarentur exequiæ, vxor Euadne in rogum mariti se coniecit. Ouid. lib. 3. de Arte: Accipe me Capaneu, cineres miscebimus inquit Iphias, medios desiluitque rogos. Martial. Arserit Euadne flammis iniecta mariti.

Quũ Belides omnes facta cõiuratione maritos interfecissent, sola Hypermnestra pepercit marito Lino, seu Linceo.

Protesilaus, sub cuius imperio fuerunt Antron, Phylaca, & Larissa vrbes Thessaliæ, primus Græcorum interfectus est apud Troiam à Dardano quodam. quod quum resciuisset Laodomia, in solatium mæroris optauit, vt mortui vmbram videret. quod quum impetrasset, in illius amplexibus exspirauit. Propertius: Illic Phylacides iucundæ coniugis Heros Non potuit cæcis immemor esse locis. Sed cupidus falsis attingere gaudia palmis, Thessalis antiquam venerat vmbra domum.

Porcia Catonis filia quum audisset maritum Brutum apud Philippos interfectum, haustis carbonibus se suffocauit. Pamphilus: Vixisset Brutus, tunc non tam clara fuisset Porcia.

Hypsicratea Mithridati marito in omni bellorum discrimine fuit adiutrix, eumque armata in expeditionibus secuta est, rasis etiam capillis, quò commodius vteretur galea. Stroza pater: Nec Mithridatæas quæ comitata vias.

Pericles Aspasiam vxorem adeò dilexit, vt nunquam egrederetur domo, quin eam dissuauiaretur. vnde veteres comœdiographi Deianiram & Iunonem eam vocabant.

Vxorem adeò dilexit Periander Corinthus, vt etiam mortuæ

mortuæ se commiscuerit.

M. Plaucius in Asiam cum LX nauibus proficiscens, quũ Tarentum venisset, Orestillam vxorem (quam secum duxerat) ibidem morbo absumptam amisit. cuius dum celebrarentur exequiæ, impatiens mæroris Plautius pugione se confodit.

Antimachus poeta Græcus Lysidicem vxorem adeò dilexit, vt eius mortem lamentabili defleuerit elegia, qua omnes Heroum calamitates enumerabat.

Antonium quum superasset Augustus, Cleopatra animi dolore mortem sibi conscíuit.

Saxo Grammaticus ait, Gunnildam fuisse mulierem, quæ quum videret exequias Asmundi mariti sui spiritum ferro sibi surripuerit.

Publius Rubrius Celer vixit cum Caia Ennia vxore sua annos XLIII. menses VII I. sine vlla querela.

Albutius vixit in coniugio cum Terentiana Valentiana annos XXV. siue vllo iurgio.

Antonius Pius vxorem Faustinam tanta dilexit fide, vt mortuæ diuinos honores instituerit, & statuas erexerit.

Idas ausus est in Apollinem certare, propter ereptam sibi Marpissam vxorem.

Æmilius adolescens seipsum interfecit, quòd delitescentem in vepribus vxorem, pro fera interfecisset. auctor Plutarchus.

Idem quoq; fecit Cyanippus Thessalus propter vxorem à canibus dilaniatam. auctor idem.

M. Lepidus, Apuleiæ vxoris caritate, post repudium obiit.

Iulia Cæsaris filia, & vxor Pompeii, quum vidisset vestem mariti sui cruentam, & infectam sanguine quorundam, qui iuxta Pompeium ipsum mutuis vulneribus se læserant, subito pauore consternata, & exanimis collapsa est, ex eaque turbatione partum edidit immaturum. auctor Plutarchus.

Artemisia Mausolo marito superstes, in perpetuo luctu & mœrore vixit, quo etiam confecta contabuit. Amoris eius fidem facit sepulcrum illud memorabile, quod erexit

mortuo. Sunt qui velint eam cineres cadaueris vino misto hausisse: quorum opinio arridet Architrenio.

Darius existimans vxorem suam ab Alexandro victore fuisse interfectam, eiulatibus impleuit astra, atq; in hæc verba prorupit: Quod ego tantum nefas commisi Alexander? quem tuorum propinquorum necaui, vt hanc vicem sæuitiæ meæ reddas? odisti me non quidem prouocatus. Sed finge iustum intulisse te bellum: cum feminis ergo agere debueras? Quibus verbis coniicere est quantus fuerit Darii amor in vxorem.

Panthea, vxor Abradatæ viri Persæ quum audiuisset maritum in bello perisse, arrepto pugione seipsam interfecit.

DE MVTVO FRATRVM, ET sororum Amore.

SOrores Phaethontis, quæ Heliades, & Phaethontiades appellantur, fratrem cælo deturbatũ tantis lacrymis deplorauerunt, vt deorum commiseratione in arbores commutatæ sint. Virg. in Culice: At quibus insigni curru proiectus equorum Ambustos Phaethon luctu mutauerat artus: Heliades teneris amplexæ brachia truncis, Cãdida fundebant lentis velamina ramis.

Anna apud Virgilium conqueritur, quòd sorori suæ Didoni comes non fuerit in morte, ad simile genus mortis sibi conciscendum. Hæc autem Annæ verba ad Didonem ex 4. Ænei. - comitem ne sororem Spreuisti moriens? eadem me ad fata vocasses. Idem ambas ferro dolor, atque eadem hora tulisset.

Antigone, Oedipi filia, fratrem suum Etheoclem in bello peremptum sepeliuit, inuito Creonte tyranno. Ouid. li. 3. Trist. - fratrem Thebana peremptum Supposuit tumulo rege vetante soror.

Dagobertus Francorum rex, consortem regni fratrem Aripertum constituit, donata ei Aquitania.

Ramyrus Veremundi filius, Hispaniæ rex, consortem regni assumpsit Garsiam fratrem adhuc impuberem.

P. Rutilius leui morbo impeditus nuntiata fratris repulsa in petitione consulatus, ilico exspirauit, auctore Plin.

Cleomenes Lacedæmonius, fratrem Euclidam secum regnare permisit. auctore Plutarcho.

Contra uerò mutuo conflagrarunt odio, Romulus & Remus, Etheocles & Polynices, Atreus & Thyestes, Æta & Perses.

Hyam à leone deuoratum sorores Hyades lamentatione miserabili prosecutæ sunt, adeò vt mærore vitam finiuerint. Deorum demum commiseratione relatæ sunt in stellas. Ponta. Mox Hyadum chorus Eois emerget ab vndis, Fratres Hyæ quas perpetuus dolor indidit astris.

Fuit maximus amor inter Castorem & Pollucem, vt iam diximus. Stroza pater: Talis Amyclæos non iunxit gratia fratres, Alterna quorum vita redempta nece est.

AMOR, ET INDVLGENTIA parentum in liberos.

ANtiochus Soter, rex Syriæ, Stratonicen nouercam, cuius amore pruriebat, indulgentia patris Seleuci Nicanoris obtinuit.

Hippo & Miletia, filiæ fuerũt cuiusdã Scedasi inter Bœotios ditissimi, quas quum impudici adolescentes per vim construpassent, ac demum occultandi sceleris causa in puteum demersissent, pater impatiens mæroris ad earum tumulos seipsum confecit.

Gordianus senior, audita filii morte, seipsum suffocauit laqueo.

Orodes rex Parthorum vbi resciuit Pacorũ filiũ in bello contra Ventidiũ perisse, animi dolore versus est in rabiem.

Niobe filios suos ab Apolline interfectos tantis defleuit lacrymis, vt in scopulum dirigerit. Propter. lib 2. nec tãtum Niobe bis sex ad busta superba Sollicito lacrymans defluit à Sipylo.

Hecuba Polymnestori regi Thraciæ genero suo oculos eruit, quòd Polydorum eius filium interfecisset.

Valerius Bestius simili modo excęcatus est à L. Imbrico socero suo, quòd eius filium Ruscium interfecisset.

Anius, Tuscorum rex, filiam habuit Saliam nomine, quam quum rapuisset Catheus adolescens, iratus pater, in

fluuium Anienem, inde cognominatum, sese procecit. Plutarchus.

Artaxerxes Darium filium adhuc viuens regem constituit, contra morem Persarum.

Pythius Bithynius animi dolore, quem conceperat ex morte filii, à Xerxe interfecti, relicto vxori regno in mortui monumentum se coniecit, atque inibi quod supererat vitæ, flebiliter compleuit.

Nauiganti in Cretam Theseo quum Ægeus pater iussisset, vt si confecto Minotauro reuerteretur incolumis, albis vteretur velis, ac Theseus verborum patris immemor, reuertens nigrum tetendisset linteum, pater eo procul viso in mare se coniecit, quòd putaret actum esse de filio. Fabulam hanc, seu si mauis, historiam fusissimè describit Catullus.

Nihil magis curabat Æneas, quàm Ascanium suum. vnde Virgil. libro 1. Aeneid. Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.

Confectum senio Priamus vbi vidit filium suum Polytem à Pyrrho Achillis filio interfectum, non potuit iræ aut voci parcere, quin homicidam insectaretur conuiciis, licet in eadem esset alea, vt docet Virg. lib. 2. Æn.

Auctolia Sinonis filia & vxor Laertæ quum falso nuntio intellexisset Vlyssem filium apud Troiam in bello decubuisse, impatientia mæroris vitam proiecit.

Iam diximus Nioben in scopulum diriguisse, propter liberos suos ab Apolline interfectos. Idem quoque dolor impulit Amphionem Niobes maritum mortem sibi consciscere. Ouid. in Ibin: Addidit vt fidicen miseris sua funera natis, Sic tibi sint vitæ tædia iusta tuæ.

Euenus Martis & Steropæ filius quum stupratorem filiæ Marpissæ Aphareum nomine comprehendere non posset ad supplicium, coniecit se in Lycormam fluuium animi dolore. Plutarchus.

Thomyris Scytharum regina filium suum Sargapiscem adeò dilexit, vt non prius sibi constiterit, quàm mortem eius vlta sit seueriſſime. comprehensum enim interfectorē Cyrum, cruci affixit, teste Diodoro. & ablatum mortui ca-

put demersit in vtrem sanguinis.

Mycerinus rex Ægypti filiam, quam habebat vnicam, adeò dilexit, vt mortuæ cadauer incluserit aureo bouis simulacro, quod in templis proximè deos posuit, floribusq; ornauit, quotidie admota noctu perpetua lucerna. auctor Herodotus.

Attedius Melior duos habuit liberos, Blesum, & Glauciam nomine, quos adeò dilexit, vt diem Blesi mortui natalem singulis annis celebraret. Mart. lib. 8. Præstas hoc Melior sciente fama, Qui sollemnibus anxius sepulti Nomē non sinis interire Blesi, Et de munifica profusus arca Ad natalicium diem colendum Scribarum memori piæq; turbæ Quod donas, facis ipse Blesianum.

Mater Antistiæ, quum vidisset filiam à Cn. Pompeio repudiatam, superinducta Æmilia, mortem sibi conscisiuit.

Blauus quum audisset filium à Triumuiris interfectum, ab iisdem impetrauit, vt interficeretur, & filio mitteretur comes.

AMOR LIBERORVM IN parentes.

ARtaxerxes rex Persarum patris sui interfectorem dedit morti, mutata de industria cum eo lorica.

Icarum patrem Erigones quum agrestes Attici interfecissent, filia doloris impatiens laqueum implicuit collo. Ouid. in Ibin: Quodque dolore necis patris pia filia fecit, Vincula per laqueī fac quoque guttur eat.

Atis, filius Crœsi, quum esset natura mutus, vbi tamen vidit hostilem gladium imminentem paterno iugulo, solutis dentium claustris, prorupit in verba, quibus docuit affectum animi sui. Gellius.

Amphinomus & Anapius, Siculi fratres, quum Ætnæ incendio Catana vrbs, & omnia propè Siciliæ loca deflagrarent, parentes humeris superpositos, periculo subduxerūt. Syllius: Tum Catanæ nimium ardenti vicina Typhœo, Et glomerasse pios quondam celeberrima fratres. Auctor Ætnæ: Amphinomus fraterq; pari sub munere fortes. Quum iam vicinis streperent incendia tectis, Accipiunt pigrumq;

patrem, matremq; senilem, &c.

Simili exemplo laudatur pietas Æneæ, quòd flammis vniuersam Troiam populantibus, inualido patri humeros subincuruauerit, relictisq; diuitiis, vnicum pignus redemerit ab incendio. Claud. Quòd si notus amor prouexit in astra Lacones, Æneam Phrygio raptus ab igne pater.

Scipio adhuc puer patrem Pœnis hostibus circumseptũ, liberauit apud Tycinum, seu Trebiam. auctore Liuio. Statius libro 3. Silu. Quique tener sæuis genitorem Scipio Pœnis Abstulit.

Lausus, Mezentii Tyrrheni filius, patrem in bello aduersus Æneam seruauit, eoq; liberato ipse ab Ænea interfectus est. Statius: -et Lydi pietas temeraria Lausi.

Oppium à triumuiris proscriptum (dum ad supplicium quæreretur) filius humeris extulit, & incolumem peruexit in Siciliam.

Antigonus quum ingenti prælio superasset hostem, præmium belli trãstulit ad patrẽ, & imperiũ illi tradidit Cypri.

Antigona patri suo Oedipo exoculata ducẽ se præbuit.

Rosimunda filia Cunimundi Gepidarum regis, maritum suum Alboinum regem Lõgobardorum veneno suffocauit, quòd is Cunimundum bello victum interfecisset, & ex interfecti ceruice fecisset sibi poculum.

Leo iunior, quum annum vnicum præfuisset imperio, Zenoni patri manibus suis diadema imposuit, ipsumq; deinceps imperare iussit.

Alphonsus patrem suum Ferdinandum decem ac septem aureorum millibus funerauit, magno pietatis argumento.

Cleobis, & Biton fratres, Argiam sacerdotem matrem suam currui insidentem equorum pænuria ab oppido traxerunt ad phanum, seq; iugo alligarunt: quòd ius esset sacerdotem ipsam ad sacrificium curru vehi. auctor Cicero lib. 1. Quæst. Tusc. Claud. Si uetus Argolicos illustrat gloria fratres, Qui sua materno colla dedere iugo.

ARROGANTES, SVPERBI, glorioſi, & ambitioſi.

Dares, vt est apud Virgilium, fuit nescio quis glorioſus, qui in ludis & certaminibus (quæ Æneas ad Anchisæ patris tumulum celebrauit in Sicilia) inanibrachiorum ostentatione gloriabatur, & immodicis laudibus se prædicabat, vnumquenq; ad duellum prouocans, & suam vnius virtutem extollens immodicè. Virg. lib. 5. Æneidos: Nec mora, continuò vastis cum viribus effert Ora Dares, magnoq; virum se murmure tollit.

Misenus fuit Æneæ tibicen, qui deos marinos ad certamen tubæ ausus est irritare.

Numanus Remulus fuit quispiam Rutulus, qui quum multum sibi tribueret, & immodicè placeret, Troianos in Italia obsessos arguebat imbelliæ, & mollitiei. Verba Virg. sunt hæc: Is primam ante aciem digna atque indigna relatu Vociferans, tumidusque nouo præcordia regno Ibat & ingentem sese clamore ferebat, Eodem teste.

Murrhanus fuit quispiam, qui antiqua generis nobilitate gloriabatur. sic autem ait lib. 12. Murrhanum hic atauos & auorum antiqua sonantem Nomina per reges actum genus omne Latinum Præcipitem scopulo, atq; ingenti turbine saxi Excutit.

Narcissus puer liberali forma tantæ fuit superbiæ, vt pueros omnes & puellas, à quibus adamabatur, nihili faceret. Ouid. li. 3. Met. Multi illum iuuenes, multæ cupiere puellæ. Sed fuit in tenera tam dura superbia forma, Nulli illũ iuuenes, nullæ tetigere puellæ.

Martialis illudit cuidam Sosibiano, quòd patrem appellaret dominum, qui tamen erat seruus: Sic autem ait: Et seruo scis te genitum blandeq; fateris, Quum dicis dominum Sosibianæ patrem.

Appion Grammaticus Alexandrinus tanta fuit arrogantia, vt ei immortalitatem polliceretur, cui opera sua nuncupasset.

Demetrius Poliorcetes, Antigoni Macedoniæ regis filius, tanta fuit insolentia, vt Athenienſium legatos bien-

nium suspensos tenuerit sine colloquio: ac demum re infecta, reuerti iusserit.

Marsias tibicen notatur hoc vitio, quòd Apollinem ad tibiæ certamen prouocauerit, vt fabulantur poetæ.

Menecrates medicus nullam ab his mercedem solebat accipere, quibus medebatur. sed hoc tantum petebat, vt liberati se ipsius seruos esse fateretur, eumq; Ioue dicerent.

Nestorius hæreticus factus præsul Constantinopolitanus, orationem postero die habuit ad populum arrogantiæ plenam & superbiæ, qua cælum se vnicuique daturum promittebat.

C. Næuius, Comœdiographus, superbiam suam testatus est epitaphio, quod sepulcro suo iussit inscribi. erat autem tale: Immortales mortales si fore fas fleret, Flerent diuæ camœnæ Næuium poetam. Itaque postquàm orci traditus est thesauro, Obliti sunt Romæ Latina loquier lingua. auctor Gellius.

Rhemnius Palæmon grammaticus gloriabatur secum natas esse litteras, ac secum demum morituras. Idem M. Varronem porcum appellare non veritus est.

Paulus Samosatenus hæreticus, diues factus è paupere, excreuit in superbiam intollerabilem. nam incedens per vicos & compita, doctrinam & litteras ostentabat publicè, & notariis in propatulo quidquid primum in buccam veniisset, dictabat.

Polydamas athleta, ea fuit animi confidentia, & temeritate, vt ruinam scopuli, quem præuidebat casurum, exspectauerit, existimans se posse resistere: quo tamen obrutus est, vt iam diximus.

Tamyras poeta, Thrax natione, ausus est cum Musis de cantu certamẽ suscipere, ab eisdem propter ea exoculatus.

Iam diximus Theagenem Caprum pauperem fuisse, qui haberi volebat diues.

Timæus Siculus historicus gloriabatur sese Thucydidẽ & Philistum in historia superaturum. auctor Plutarchus.

Ausa est Arachne certare cum Minerua de lanificio, vt testantur poetarum fabulæ.

Erat Athila rex Panoniæ superbus incessu, huc atque illuc oculos circumferens, vt elata potentia in ipso corporis motu appareret.

Poetæ fabulantur Cassiopem, Cephei filiam, Nereidibus se prætulisse, vt Nioben Latonæ, Antigonam filiam Laomedontis Iunoni, Lychionem filiã Dedalionis, Dianæ.

Domitianus iactabat in senatu patri se & fratri imperiũ dedisse, illos sibi reddidisse. gaudebat appellatione Domini, atque etiam Dei. unde Eusebius: Primus, inquit, Domitianus Dominum se & Deum appellari iussit. Hinc fluxerũt duo versiculi cuiusdam poetæ assentatoris: Edictum Domini, Deiq; nostri, quo subsellia certiora fiunt. vnde institutum est ab eo, vt ne scripto quidem, aut sermone cuiusquam aliter appellaretur. Statuas sibi in Capitolio nõ nisi aureas, & argenteas poni permisit. Septembrem & Octobrem menses ex appellationibus suis Germanicum Domitianumq; transnominauit, quòd altero suscepisset imperium, altero natus esset.

Heraclides philosophus Pontius draconem aluit. quem feretro suo post mortem imponi iussit, vt ex hoc putaretur ad deos migrasse.

Maximinus iunior tanta fuit arrogantia, vt manus & pedes senatoribus præberet osculandos.

Actius poeta in Camœnarum æde maxima forma statuam sibi posuit, quum tamen breuis admodum esset. Plinius libro 34.

Suffenus fuit ineptissimus poeta, qui in suis operib. mirabatur se plurimum, sibiq; blandiebatur, & arridebat. Catullus: Quem non in aliqua re videre Suffenum possis.

Sesostris, rex Ægypti, fuit adeò superbus, vt domitos reges ad currum iungeret, eoq; modo triumpharet.

Maricus quidam ex plebe Boiorum ausus est se Deum facere. auctore Cornelio Tacito.

Caius princeps seipsum inter Diuos retulit, & Iouis maximi nomine statuas erigi sibi imperauit.

Myxus fuit Dianæ sacerdos gloriosus, & virtutum suarum eximius præco.

Senetio fuit quispiam, qui grandia semper cupiebat dicere. Idem seruos nolebat habere, nisi grandes, & argen-

tea vasa non nisi grandia. concubinam habebat ingentis staturæ. summis insistebat digitis, quum diceret, quò grãdior videretur.

Themison Cyprius Herculis dici volebat, eoq; nomine rem sibi diuinam fieri patiebatur.

Callipides Græcus fuit Tragœdiarum histrio, qui in ea re plurimum se mirabatur. propterea quum Agesilao regi occurrisset, arrogantius eum salutauit, subinde illi se ostẽtans, & inter astantes sese intrudẽs, arbitratus fore, vt comiter à rege exciperetur. Verùm is quum grauioribus intenderet, ac ne Callipidem respectaret, Non admodum, inquit, nosse me videris, o rex, nec qui sim inaudisse. Ridens Agesilaus, An non es, inquit, Callipides ille minus.

Varus Pergæus fuit quispiam, qui verbis assentatorum corruptus, persuasit sibi, se esse omnium formosissimum, arte quoque & robore in palæstra omnes excellere, immo ne musas quidem cantare suauius.

Iam diximus quonam modo Salmoneus tonitrua mentiretur, vt Deitatis opinionem sibi vendicaret.

Acco mulier ad speculum ineptè sibi blandiebatur.

Sapor, rex Persarum, vocabat se regem regum, participem siderum, fratrem Solis & Lunæ.

Iulius Cæsar dicebat debere homines pro legibus habere quæcunque diceret, eoq; arrogantiæ progressus est, vt haruspice tristia & sine corde exta quondam nuntiante futura diceret lætiora, quum vellet.

Zeusis adeò sibi placuit in Helena, quam pinxit, vt nõ exspectato aliorum testimonio, hos versus ipse adiecerit: Haud turpe est Troas fulgentesq; ære Pelasgos Coniuge pro tali diuturnos ferre labores: Æternis facies nimis est æquanda deabus.

Marcus Drusus tanta fuit arrogantia, vt L. Philippum consulem, quia se interpellare concionantẽ ausus fuerat, obtorta gula per clientem suum adeò violenter in carcerẽ detruserit, vt multus è naribus eius cruor profunderetur. Quum senatus ad eum misisset, vt in curiam ueniret: Quare non potius, inquit, ipse ad me venit?

Cn. Pompeius balneo egressus ante pedes suos prostra-

tum Hipseum ambitus reum nobilem ac sibi amicum, iacẽtem reliquit contumelioſa voce proculcatum.

Alexander Macedo Iouis Ammonis filius dici voluit.

Hannibal Cannensis pugnæ successu elatus, neminem suorum ciuium admisit in castra, nec vlli responsum dedit, nisi per interpretem.

Hanno Carthaginiensis aues capere solebat, quas hanc edocebat vocem, Deus est Hanno. adultas demum & doctas quaquauersum emittebat, vt eandem emitterent vocem. Hoc Erasmus refert in quendam Psaphonem.

Herostratus nominis & famæ libidine templum Dianæ Ephesiæ incendio dedit. auctor Gellius.

Manes hereticus prædicabat se natum virgine, deitatisque numen sibi vendicabat.

Perperna consul regnandi cupiditate Sertorium inter epulas incautũ occidit, vt solus principaretur in Hispania.

Amulius Numitorem, Artabanus Xerxem, Athalia vniuersum Dauidis semen interfecerunt, vt apud suos dominarentur.

Spitigneus rex Boemorum dominandi libidine bellum gessit cum fratre Vratislao.

Empedocles, Agrigentinus poeta, in Ætnam se coniecit, vt ad superos conuolasse putaretur.

Heraclius Phocam interfecit, vt solus imperaret.

Iugurtha fratres suos Hiempsalem & Adherbalem mori dedit, vt Numidarum regno solus potiretur.

Constantinus imperator Irene matrem expulit, vt imperaret solus.

Sellus fuit quispiam, qui quum esset pertenui fortuna, volebat tamen haberi diues.

Solebat Calliphanes poeta diuersorum carminum & orationum initia conscribere, ad tres aut quattuor versus, eaque pronuntiare & ostentare, vt commentum ignorantibus multiscius & eruditus videretur.

Hadrianus fuit adeò cupidus famæ & laudis, vt libros, à se scriptos de sua vita, libertis suis litteratis dederit, qui eos suis nominibus publicarent. auctor Ælius Spart.

Ducebatur Nero æternitatis perpetuæq; famæ cupidi-

ne: vnde & mensem Aprilem Neroneum apellauit, & Romam Neropolim constituit apellare. auctor Sueton.

AVDACES, ET TEMERARII.

POetæ Phaethontis arguunt temeritatem, quòd patris currum acceperit regendum, quum tamen non esset idoneus auriga. Ouid. lib. 1. Trist. Vitaret cælum Phaethon si viueret, & quos Optauit stultè, tangere nollet equos.

Ausi sunt Gigantes Iouem armis lacessere, & in eum scopulos iaculari, vt volunt Mythologorum fabulæ. Auctor Ætnæ: Tentauere (nefas) olim detrudere mundo Sidera, captiuiq; Ionis transferre Gigantes Imperium, & victo leges imponere mundo.

Fuit & in primis temerarium Sinonis facinus, qui fatalem machinam in medios Troianos duxerit solus, in vtranque paratus aleam. auctore Virg.

Finguntur Theseus & Pyrithous irremeabiles vmbrarũ domos irrupisse, vt dominam Ditis thalamo deducerent.

Icarus confictis à patre Dædalo pennis supra modum intumescens, ausus est mediocrem parentis volatum deserere, & in sublime niti, donec liquefactis à sole pennis, præceps deciderit in mare. Ouid. libro 1. Trist. Dum petit infirmis nimium sublimia pennis Icarus, Icariis nomina fecit aquis.

Crotoniates Milo nimia roboris confidentia tentauit arbores diducere.

Bellorophon insidẽs Pægaso per mediũ aerẽ ferri voluit.

Iason & Typhis vitam ventis primi cõmiserunt, & vias maris (quas natura negat, teste Claudiano) aggressi sunt, tristes Hyadas, rabiemq; noti, infames scopulos, Acroceraunia, & mare turbidum, ut ille, siccis oculis prospicientes.

TIMIDI, ET METICVLOSI.

ARchilochus scripsit, satius esse clypeum abiicere, quàm interire. vnde & Lacedæmonii suis eum finibus iusserunt excedere.

Notatur apud Aristophanem Cleonymus, quòd abiecerit clypeum.

Theagenes fuit adeò superstitiosè timidus, vt domi haberet Hecathes simulacrum, nec vsquam pedem moueret, nisi illo consulto.

Artemon apud Græcos metu fractus & stupidus, diu intra domus septa se continuit, duobus seruis æreum scutum supra eius caput sustinentibus, ne quid noxium superne excideret. Si quando autem tecto egredi cogeretur, lectica tecto adoperta gestabatur.

Cn. Vatienus sinistræ manus digitos sibi amputauit, ne bello Italico militaret.

Timebat Pisander, necubi animæ suæ occurreret, à qua viuus esset destitutus.

Dionysius eò formidinis progressus est, vt cultros metuens tonsorios, candente carbone sibi adureret capillum. quin & tondere filias docuit, ferro tamen remoto, institutúque, vt candentibus iuglandium putaminibus barbam adurerent.

Aristogiton fuit Athenienſis quidam sycophanta, qui Martem habebat in lingua, & nunquam non loquebatur de bellis, vt propterea bellicosus appareret, quum tamen re ipsa foret meticulosus. proinde quum die quadam intelexisset exercitum parari, & conuocari milites, simulata valetudine crus obligauit, & baculo innixus in publicum se protulit, clauditatem simulans. Quod vbi primum conspicatus est Phocion, cognita primo intuitu hominis vafricia, exclamauit: Aristogiton claudicat.

Aristophanes & Lucianus induxerunt, Plutum quendã omnia formidantem.

Demosthenes pro ignauo & maximè timido accusatus est, quòd in propria causa dicturus, prius aufugerit, quàm deuenerit in iudicium.

Lycas furentem fugiens Herculem, complexus aras tremebunda manu mortem metu consumpsit, vt nimio de metu exanimatus mortem sensisse non videatur.

Taurea Campanus, verbis quàm re ferocior, Claudiũ Asellum militem Romanum superbis comminationibus ad

duellum irritauit vltrò: vbi autem ventum est ad conflictum, repente concitato equo fugam arripuit, & aufugit Capuam.

Athanasius Alexandrinus antistes, impar Arrianorum inuidiæ, sex annos in profundissimo cisternæ lacu metu mortis delituit.

Quum Diocletianus multos idolis sacrificare nolentes morti dedisset, vnus omnium Marcellinus pontifex ad simulacra dęmonum, metu mortis immolauit.

Iurauerat Petrus apostolus, se non defecturum à Domino, etiam si Apostoli omnes hoc fecissent: vbi tamen ventum ad discrimen, subduxit se periculo, & secutus est à lóge, captumque ter ante gallicinium negauit, impietatis Iudaicæ metu,

Perses rex Macedoniæ fractis opibus regni humiliter & abiectè prouolutus iacuit ad Æmilii pedes.

LITIGIOSI.

PArnus fuit quispiam, qui ob amissam nauiculam obuiis quibusque litigabat. hinc adagium, Disceptare ob Parni scaphulam, id est, ob res minutulas, multum mouere litium & querelarum.

Solebat Patacion bonis viris calumnias struere, eoque turpi quęstu rem domesticam augere. hinc adagium patacione calumniosior.

Anus quæpiam fuit Ptolemais, quæ quoad vixit, lites agitabat, nec vnquam ab agendis causis feriebatur. auctor Diogenianus apud Erasmum.

Eurymnus fuit calumniator, qui dissidium inter Castorem & Pollucem conatus est serere, alterum apud alterum insimulans.

Hyperbolus fuit quispiam mirum in modum appetens litium. hinc adagium, Vltra Hyperbolum.

Gellius scribit Xantippen Socratis vxorem morosam fuisse admodum, & iurgiosam: quod etiam de altera eius vxore Myrrho Aristidis filia prædicatur. ambæ enim in muliebres contentiones propter ipsum Socratem deueniebant.

Herodotus scribit Euristhenem & Proclem fratres vbi adoleuerunt, per omne vitæ tempus inter se dissensisse, & eorum posteros itidem perseueraſſe.

Empedoclem aiunt iis fuisse moribus, vt assiduè simultatem cum aliquibus susciperet, easque pertinacissimè exerceret.

Notum est quemadmodum Etheocles & Polynices fratres mutuo dissidio ad certamen, & mutuam mortem venerint regnandi libidine.

Cornelius Tacitus ait, Verginium seditionibus obnoxium fuisse.

Plinius scribit discordiam ignotam esse Hyperboreis viritim, gregatimq; degentibus.

Fuit Pomponius Atticus tanta erga domesticos facilitate, vt iurauerit se cum matre nonagenaria nunquam in gratiam rediisse, cum sorore pariter nullam gessisse simultatē.

TACITVRNI.

PAullus Simplex, Paulli primi Anachoretæ discipulus, magistro iubente, integrum triennium obstinatissimè tacuit.

Discipulorū Pythagoræ nemo minus biennio conticuit.

Agatho lapidem in ore tenuit per triennium, vt silere disceret.

Thomam Aquinatem condiscipuli bouem apellebant, quòd semper taceret, audiretq; tantùm.

De silentio Secundi philosophi iam diximus in capite de Incestuosis.

Zeno quum legatos Antigoni regis missos Athenas cum non nullis philosophis ad cenam inuitasset, ac ceteri omnes verborum multitudine doctrinam suam ostentarent, solus ipse tacuit. silentii causam percunctantibus legatis, respondit, difficillimum omnium esse, retinere sermonē.

LAra fuit nympha, cui Iupiter linguam abstulit, quòd furtiuos eius amores Iunoni reuelasset. Ouid. lib. 2. Fast. Iuppiter intumuit, quaq; est nō usa modestè Eripit huic linguam, &c.

Tantalum apud inferos damnatum aiunt, quòd deorum secreta hominibus reuelasset. Ouidius: Querit aquas in aquis, & poma fugacia captat Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit.

Daphitas grammaticus in Thorace monte cruci affixus est, quòd reges maledicis carminibus incesseret.

Anaxarchum ob petulantes iniurias Anacreon Cyprius in pila contundi iussit.

Callisthenes liberius cum Alexandro locutus eiusdem mandato adiudicatus est morti. hæc autem eius verba ad Alexandrum fuisse feruntur: Si deus es, beneficia largiri mortalibus, non sua debes eripere; si homo, id quod es, semper te esse cogita.

Lacedæmonii libros Archilochi ob solam dicacitatem, & ingenii virulentiam ab vrbe sua summouerunt, ne illorum lectione corruptum aliquid imbiberent lectores.

Dionysio inquirenti, vbinam terrarum exquisitius haberetur æs: Antiphon Sophistes respondit, optimum se nosse Athenis, vbi statuas habebant Armodius & Aristogitō tyrannicidæ. Innuebat autem Antiphon Dionysium esse dignum, qui ab huiusmodi hominibus interficeretur. quæ petulans & verbosa dicacitas homini malè cessit.

Susarion, Machnes, Cratinus, Aristophanes, & Eupolis, Græci poetæ, flagitia hominum tanta libertate insectabātur, vt opus fuerit lege, quæ maledicam illam & effrenem mordendi licentiam cohiberet, & comprimeret. de quibusdam horum meminit Horatius dicens: Eupolis atque Cratinus, Aristophanesq; poetæ, Atque alii, quorum comœdia prisca virorum est, Si quis erat dignus describi, quòd malus aut fur, Quòd mœchus foret aut sicarius, aut alioqui Famosus, multa cum libertate notabant.

Meuius

Næuius poeta Metellos ac Scipiones suis versibus ausus est proscindere. propterea Metellus consul hoc ei versiculo respondit: Dabunt malum Metelli Næuio poetæ. Tandē autem propter nimiam illam in scribendo maledicentiā à triumuiris in viocula cōiectus est & in carcerē detrusus.

Audax fuit & licentiosum C. Memmii verbum, qui ausus est obiicere Cæsari, tanquam pathico, quòd stetisset ad cyathum Nicomedi regi inter exoletos.

Antigonus rex Theocritum Chium occidit propter salsum & mordax scomma ab eo de se dictum. quum enim quasi puniendus ad Antigonum raperetur, solantibus eum amicis ac spem pollicentibus, quòd omnino clementiam regis experturus esset, quum ad eius oculos venisset: respondit, Ergo impossibilem mihi dicitis spem salutis. Quo verbo illudebat regi, quod altero orbatus esset oculo. auctor Macrobius.

Nullum opus tam absolutum esse poterat, quod non calumniaretur Momus. Idem Sandalium Veneris Praxitelæ culpauit, quum Venerem ipsam non posset.

Oscus fuit quispiam natus ad contumelias omnium ingeniis impingendas. nulli non inussit notam. Seneca.

Medius fuit quidam ex Alexandri adulatoribus, qui calumnias in quēuis iactabat, & alios ad idē opus hortabatur.

Iam docuimus, quàm liber & petulans Demochares Athenienſiū legatus in sermone apud Philippū regē fuerit.

Timagenes historicus Augustum & vniuersam eius famā liam maledicis verbis, probrosisq; conuiciis ausus est deni grare, benignus tamen imperator ad vindictam satis habuit ei domo sua interdicere.

Staterius ætate Marci Tullii, ob conuicioſa verba & mordaculos sermones rei capitalis iure damnatus est.

Theon fuit poeta quispiam rabiosæ loquacitatis, petulantissimæque maledicentiæ. hinc Adagium, Dente Theonino rodi.

Hipponax poeta fuit Iambographus amarulentus, & notæ mordacitatis. hinc Hipponacteum præconium cessit in paræmiam.

Zoili quoque mordacitas prouerbio locum facit. nam

& poetarum principem Homerum ausus est suis scriptis lacessere.

Æsopus Delphos profectus gentis illius iram in se conuiciis & contumeliosis apologis concitauit.

VERACISSIMI.

POmponius Atticus nec mendacium dicebat, nec pati poterat.

Benius abbas, qui in Thebaidis solitudine vixit, nũquam visus est iurare, nunquam mentiri, nunquam irasci, nunquam verbum otiosum dicere.

Hor abbas nunquam mentitus est, nunquam cuiquam maledixit.

ASTVTI, ET FRAVDVLENTI.

ISmenias Thebanus legatus ad regem Persarum missus, quum sciret ex consuetudine gentis nihil ab ipso rege impetrari posse, nisi prius quis adorans procumberet: vbi in eius fuit conspectu, anulum de industria ad pedes cadere permisit, vt in eo colligendo reclinatus, videretur adoraſſe regem.

Athenienſibus in expeditionem Siciliæ nauigaturis Meson Astrologus insaniam mentitus est, ut onus detractaret.

Papirius Prætextatus ductus à patre in senatum, quum arcana quædam illic audisset, reuersus domum, & interrogatus à matre quidnam actum esset in senatu? ad declinandas importunas eius preces, respondit, constitutum esse, ut uni uiro duæ nuberent uxores. Gellius. *lib. 1. cap. 23*

Pysistratus timens primores Athenienſium, uoluntariis affectus plagis in publicum processit, ubi de principum crudelitate questus populum concitauit ad ulciscendam fictam iniuriam.

Quo actu usa sit Phryne meretrix in Apellem, iam diximus in capite de Meretricibus.

Seyllis Sicyonius tanto astu claruit, ut quo tempore Xerxes imminebat Græciæ, Persarum nauium rudentes & anchoras natando & urinando præscinderet.

Ladislaus, rex Poloniæ, Cracouiam oppidum obsessum

ad deditionem compulit opinione castrensis copiæ, stratagemate deceptum, quum mõtes farina integi mandauisset.

Theopompus Lacedæmonius permutato cum uxore habitu euasit è carcere ut mulier.

Pyrrhander fuit sycophanta quispiam egregiè nersutus, notæque malitiæ. Aristophanes apud Erasmum: Ac per Iouem fuit quidem Pyrrhandrica ista techna.

Quum mortuo Cambyse septem Persarum magi inter se conuenissent, vt cuius equus primùm soli orienti adhinniret, rex salutaretur; Oebares (seu vt aliqui scribunt) Cebares Darii equiso admissam intra equæ genitalia manum naribus equi Dariani admouit. quo odore irritatus equus, ante omnes hinnitum dedit.

Eucrates fuit versutus quispiam, qui aliquo prætextu suffugiebat semper, si quando fides esset præstanda. hinc adagium natum, Vias nouit quibus effugit Eucrates.

Cantharus fuit quispiam impostor & maleficus apud Athenienses.

Phrynondas fuit etiam versutus & maleficus, summusque malarum rerum artifex. vnde quotiescunq; hominem insigniter malum volebant innuere, Phrynondam appellabant. Aristophanes apud Erasmum: Scelerate tu, ac Phrynonda, & impurissime.

Vlyssem & Sisyphum vafros admodum fuisse pro comperto est. vnde Homerus apud Erasmum: Sisyphus interris, quo non astutior alter.

Ciphissodorus, Pantoleon, & Matreas impostores fuerunt apud Alexandriam, qui vafris quibusdam commentis spectantes eludebant.

Sertorius, vt est apud Gellium, in temporibus difficillimis mentiebatur ad milites, si mendacium prodesset: & litteras compositas pro veris legebat, & somnium simulabat, & falsas religiones conferebat, vt his rebus militũ animos quoquò vellet, induceret.

Dionysius tyrannus citharœdo cuidam sibi plurimùm grato, in spectaculis multa pollicitus est: neque tamen sequenti die erogauit quidquam: mercedem verò reposcenti, hoc modo respondit, Abundè tibi gratiã retuli citharœ

de. quantò enim tempore oblectasti canens, tantò etiam sperans es oblectatus.

Hyperbolus fuit quispiam Chremidis filius, versutia in fallendo præsignis. nam quum lucernas factitaret, plumbum immiscebat æri, vt ponderosiores factæ maius demererentur pretium.

Antonio Athenas intranti quum ciues vrbis obuiam processissent, dixissentq; esse sibi Mineruam nubilem, quam Libero patri (ita enim eum vocabant assentandi studio) despondere vellet, arrepta occasione ducturum se respondit, sed oportere futuræ nuptæ mille dari talenta nomine dotis.

Iulius Cæsar in obeundis expeditionibus exercitum nunquam duxit per insidiosa itinera, quin prius locorum situs experiretur; nec ante in Britanniâ transuexit, quàm portus & nauigationē, & accessum ad insulam explorasset.

Cyrus Messagetis in se irruentibus castra reliquit diripienda, vt cibo potuq; graues & somno deditos postmodum aggrederetur, & vincere, vt accidit.

Hannibal Romanam classem adortus, serpentes fictilibus vasis inclusos, in hostem nihil tam sperantem eiaculatus est, & insperata formidine concussos in fugam vertit.

Alexander tertius Pont. Max. Venetias habitu serui fugiens, manus Federici subterfugit.

Boemundus Roberti regis Siciliæ frater ab expeditione Hierosolymitana rediens, quum per fines Alexii imperatoris inimici transire cogeretur, se clausum in loculo vt mortuum ferri iussit, eoq; modo manus hostiles euasit.

VERSIFORMES, SEV IN VARIAS Formas mutabiles.

METra filia Erisichthonis, vt fabulantur poetæ, in varias formas sese commutabat. Ouid. lib. 8.

Nunc equa, nunc ales, modò bos, modò cerua abibat.

Hinc adagium, Mutabilior Metra Erisichthonis.

Achelous dimicans in Herculem pro Deianira, quum videret se multo inferiorem viribus, in serpentem primò,

deinde in taurum, postremò in fluuium sese transformauit. vnde apud Ouid. libro. 9. sic loquitur: Inferior virtute, meas diuertor ad artes, Elaborque viro longum formatus in anguem.

Periclymenus Nestoris frater beneficio Neptuni in quasquumque formas se commutabat. Idem libro 12. Mira Periclymeni mors est, cui posse figuras Sumere quas vellet, turpusq; reponere sumptas Neptunus dederat.

Eadem transfomatio tribuitur Proteo Oceani & Tetyos filio. hinc adagium, Proteo mutabilior. Vertumnus dicitur à Latinis. Ouid. lib. 1. Fast. Ille suam faciem transformat, & atterat, arte: Mox domitus vinclis in sua membra redit.

INGRATI.

THeseus Ariadnam Minois filiam, cuius beneficio labyrinthum euaserat, reliquit in chio insula. Ouid. libro 8. Comitemque suam crudelis in illo Litore destituit.

M. Porcius Cato seruos senio confectos tanquam bruta solebat eiicere, & exponere venales.

Crœsus Lydorum rex Cyrum Persarum regem, à quo primùm victus, & impunitatem & veniam acceperat, armis iterum lacessiuit.

Pharnaces in amicitiam à Pompeio receptus, Mithridati patri suo bellum intulit.

Romani Scipionem illum Africanum, cuius auspicio æmulam imperii sui Carthaginem sub iugum redegerant, & Asdrubalem superauerant, accusatum à Petillio in ius vocauerunt, atque proscripserunt, quòd pecuniam Asiaticam non totam in ærarium retulisset.

Ludouicus Pius, Caroli magni filius, à filiis in carcerem coniectus est.

Amalasuntha, Gothorum regina interfecta est opera cuiusdam Theodori, quem tamē regni consortem delegerat, Iustinianus imp. Belisarium ducem exoculauit, cuius tamen ductu Persas in orientem, Vandalos in Africa, & Gothos in Italia superauerat.

Demophoon Thesei filius Phyllidem reliquit, & ad Iaqueum impulit, cuius tamen hospitio fuerat vsus, quum ab expeditione Troiana rediens, delatus esset in Thraciâ.

Iason quoque Medeam, cuius opera vellus aureum surripuerat, & draconem effugerat, abdicauit, superinducta Creusa filia regis Creontis.

Decebalus, rex Dacorum, victus à Traiano, & venia donatus, imperatorem denuo solicitauit ad bellum.

Friscus, filius Actii Ferrariæ principis, patrem in carcerem coniectum ibidem mori coegit, ob inductam nouercâ.

Cicero iussu M. Antonii triumuiri interfectus est à Popilio, quem tamen capitis reum defenderat.

Lucius Ostius tempore bellorum ciuilium patrem suũ Annalim proscriptum, quem triumuiri ad supplicium perquirebant, latentem prodidit, vt eius bona acciperet.

Darius cõsilium cepit de interficiendo patre Artaxerxe, à quo tamen rex per indulgentiam creatus fuerat.

Imperator Henricus quintus, Henricum patrem macerauit carcere.

Alphonsus primus rex Lusitaniæ, Tiresiam matrem cõiecit in vincula, quòd post mariti mortem secundas tentasset nuptias.

Phraates patrẽ suũ Orodem regem Parthorũ interfecit.

Romanus iunior matrẽ à se reiecit, & animi dolore, quẽ illa de filii ingratitudine cõceperat, ad mortem compulit.

Michael Calaphates imp. Zoẽ matrẽ imperio spoliauit.

Michael Thraulus Leonem imp. de medio sustulit, cuius tamen beneficio multas dignitates fuerat assecutus.

Diomedes direpta Troia rediens in patriam, ventis delatus est in Libyam, vbi Lycus rex Marti hospites immolabat. Callirrhoe verò Lyci filia, Diomedem, cuius amore flagrabat, liberauit ab insidiis paternis. at ille spreto salutis auctore enauigauit, vnde puella dolore animi se suspendit.

Eodem modo Calpurnius Crassus Balsacciam puellam reliquit, cuius tamẽ beneficio mortẽ euaserat in Massilia.

Xerxes filium Pythii Bithynii medium discindi iussit, quum tamen pater regem ipsum cum toto exercitu hospitio susceptisset.

Tatius, rex Sabinorum, Tarpeiam puellam uiuam defodit, cuius tamen beneficio Capitolium expugnauerat.

Alexander immemor primæ nutricationis & lactis, quòd ab Hellanice nutrice infans biberat, eius filium Clitum interfecit.

Commodus imper. interfectus est insidiis Martiæ concubinæ suæ.

Cõstantinus Leonis filius Irenẽ matrẽ imperio deiecit.

Isacius Angelius imper. ab Alexio fratre, quem captum à Turcis redemerat, per summum scelus oculis imperioque priuatus est.

Alexius demum interfectus est à Muzyphlo quodã ignobili, quem tamen ad summum dignitatis gradũ extulerat.

Magna fuisset Æneæ in Didonem ingratitudo, si post benignum eius hospitium oblatasq; vltrò nuptias eam reliquisset, vt Virg. fabulatur.

Cæsar Tiberius toto triennio, quo viuente matre abfuit ab vrbe Roma, & moram traxit in secessu Caprearum, semel omnino matrem, nec amplius quàm vno die paucissimis vidit horis. Mortua demũ quum intellexit, nõ prius accessit ad exequias, quàm corrupto & tabido corpore. funeratam prohibuit consecrari, eiusque testamentum pro irrito habuit, atq; vnum ex his interfecit, quibus illa moriens funeris sui curam demandauerat.

Thrasimundus Pharoaldo patri suo, Spoletanorum duci, caput in modum presbyteri rasit, vt principatum arriperet. Paul. Diac.

Hercules adhuc puerulus præceptorem Linum interfecit, quum ab eo ob tardius ingenium culparetur. Ioan. Annius in Berosum.

Quàm ingrata fuerit Tullia in parentem atque inhumana, tam in capite de Crudelitate diximus.

Paris Helenam rapuit vxorem Menelai, à quo tamen benigno susceptus fuerat hospitio.

Athenienses Milciadem pro Marathonis trophæis carcere macerarunt.

Syracusani Dionem, cuius opera libertatem receperãt,

eiecerunt: ac deinde reuocatum interfecerunt.

Aristidem Athenienses in exsilium miserunt beneficiorum eius immemores.

IVSTISSIMI.

RIpheus Troianus fuit quispiam, quem Virg. lib. 2. Æn. iustissimum fuisse ait his verbis: -cadit & Ripheus iustissimus vnus, Qui fuit in Teucris, & seruantissimus æqui.

De Emathione Ouid. lib. 8. Met. Emathion æqui cultor, timidusque deorum.

Idem lib. 6. Met. de Erichtheo sic meminit: Sceptra loci rerumq; capit moderamen Erichtheus: Iustitia dubium est ualidisne potentior armis.

Hermes Ægyptius tanta fuit æquitate & iustitia, ut quū quid emeret, iustum semper exsolueret pretium, cariusque emeret, quàm uenditor æstimaret.

Bocchyris rex fuit Ægyptiorū adeò incorruptæ in iudicandis litibus iustitiæ, ut si quē magnopere iustū significare uellent, Bocchyrim appellarent. Suidas apud Erasmum.

Chiron fuit Centaurorum iustissimus. Germanicus in Arato: Hic erit ille pius Chiro iustissimus omnes Inter nubigenas, & magni doctor Achillis.

Aristophanes Messenius tanta fuit æquitate, ut quosdā ex sociis iterfecerit, & puellas uirgines stuprare uoluisset.

Maris philosophus ex Loadicea fuit omnium ætatis suæ iustissimus.

De Zeleuci æquitate iam diximus in capite de Seuirissimis hominibus.

Quum Philippus in tribunali dormitans aduersus Machetam quendam pronuntiasset, ubi uigilantior factus cognouit factam Machetæ iniuriam, non rescidit quidam iudicium, sed iniustam ipse exsoluit multam.

Idem rogatus ab Harpalo, ut Crateta eius familiarē iudicio liberaret: Eum inquit, rectius est, quàm nos ob ipsum male audire.

Aristides ab incorrupta æquitate Iusti cognomen apud Athenienses meruit. Idem interrogatus, quid esset iustitia? Nihil inquit, alienum desiderare.

Aiunt Biblium fuisse uirum tantæ integritatis & abstinentiæ, ut quum inter eundum reperisset aliquid alienum, omnino intactum præteriret.

Philoxenus poeta maluit reduci ad fodinas lapidarias, quàm contra animi iudicium carmina Dionysii probare.

Biantis Prienæi integritas in iudicandis causis sequenti prouerbio locum fecit, Prienensi pollere iustitia.

Prodicus fuit quispiam apud Græcos in iudicandis litibus & arbitriis inter dissentiētes amicos accerrimi iudicii.

Alexander Seuerus imp. tanta fuit æquitate, vt nullas vnquam sanciret legem, nullam constitutionem sacraret sine viginti iurisperitis, & doctissimis ac sapientibus viris: nec vlla in re iudicium ferret, quin prius iret per sententias singulorum, & scriberetur quid quisq; dixisset. quum de iure aut negotiis tractabat, solos adhibebat doctos & diserros; si de re militari, milites ueteres & senes. si unquā furem uidisset iudicem, paratum habebat digitum, ut illi oculum erueret. tanto odio prosequebatur iudices, qui furtorum fama laborassent, ut si eos casu aliquo uideret, commotione animi choleram stomacho euomeret, toto uultu inardescente. auctor Lampridius.

Vrsus Nolanus tanta fuit iustitia, ut ne lapis quidem unus in Nolanas ædes (quas inchoauerat) nisi soluta merce deuectus fuerit.

Herodotus scribit, Mycerinum Cleopis filium omnes Ægypti reges æquitate & iustitia superasse. si quis apud eum conquerebatur de re aliqua furto sibi sublata, sua ipse pecunia iacturam conquerentis resarciebat & iniuriam.

Darius Scithen Zanclæorum regem censuit omnium quos uidisset, iustissimum. Herodotus.

Idem ait Glaucum Lacedæmonium Epycidis filium tam celebri & incorrupta fuisse iustitia, ut ad eum uidendum multi alienigenæ Spartam conuenirent.

T. Manlius iuris pontificalis peritus, iudex inter Macedonas accusatores & filium constitutus, audita causa, ita pronuntiauit. Quum probatum sit Silanum filium meum pecuniam accepisse, ipsum repudio, & prole mea indignum

iudico, protinusque à conspectu meo abire iubeo.

Tranquillus ait Augustum tanta fuisse æquitate, ut nulli unquã genti sine iustis & necessariis causis bellũ intulerit.

Camillo Falisсos obsidenti ludi magister liberos Falisсorum, tanquam spatiandi causa, extra murum eductos tradidit: dicens, repetendis obsidibus ciuitatem imperata facturam. Camillus non solùm spreuit perfidiam, at magistrum reuinctis post terga manibus, pueris dedit uerberandum, & ad parentes cum plagis reducendum. Falisci ob hanc iustitiam sponte deditionem fecerunt. Claudianus in Rufinum: ductosque Camillus Trans murum pueros obsessæ reddidit urbi.

Timochares, seu ut aliis placet, Nicias, Pyrrhi Epirotarum regis medicus, quum ad Fabricium accessisset, promisisseque se pacta mercede præministraturum Pyrrho uenenum: Fabricius non tantum aduersatus est facinus, at etiam Pyrrhum hostem litteris monuit, ut à domesticis caueret insidiis. Valerius & Antias apud Gellium.

Cato & Phocion præcipuis amicis quandoque aduersabantur causa seruandæ æquitatis. Plut.

Timoleon Corinthius, quum nullis præcibus fratrem posset inducere ad exuendam tyrannidem, eius interfectoribus adiutorem se præbuit.

Cambyses iudicem sibi carissimum, quòd perperam & iniquam sententiam tulisset, corruptus pecunia, uestigio comprehendi iussit, & pelle ex toto eius corpore detracta tribunal iudicum insterni, ut aliena fruerentur insania, eoque periculo rectius iudicarent.

INIVSTI.

VLtimus regum Romanorum Tarquinius uir fuit iniustus, ut docet Ouid. lib. 1. Fast. dicens: Vltima Tarquinius Romanæ gentis habebat Regna, ui, iniustus, fortis ad arma tamen.

Amulius Numitorem fratrem regno expulit, & paruulos nepotes perdendos in Tiberim deuouit. Ouid. li. 3. Fast. Hoc ubi cognouit contemptor Amulius æqui, Nam raptas fratri uictor habebat opes, Amne iubet mergi geminos.

Themistocles monitus à quodam vt æqualem se præstaret in iudicio, Absit, inquit, ut ego dum potero, non magis amicis faueam cunctis in rebus.

Panis rex Chalcidis Hesiodum Homero prætulit, ut Midas agrestem Panos cantilenam Apollinis musicæ.

Sisamnes nomen est illius iudicis, quem ob iniquam sententiam à Cambyse excoriatum prædiximus. eius uerò filius uocabatur Othanes. Herodotus.

Pilatus Hierosolymorum præsul auctorem nostræ salutis adiudicauit morti, ne in Cęsaris offensionẽ impingeret.

PRODITORES, PERIVRI, & perfidi.

LAomedon Neptuno & Apollini murorum Troiæ cõditoribus pactam denegauit mercedem. Virg. lib. 4. Laomedontææ sentis periuria gentis.

Metius Suffetius, quum apud Albanos summam rerum teneret, à Romanis in auxilium contra Fidenates uocatus iure societatis, uenit quidem, sed in ipso prælio ad hostes defecit. propterea Tullus Hostilius parta uictoria eũ religauit ad binas quadrigas, hisq; in diuersa rapientibus membratim discerpsit. De perfidia Thesei in Ariadnam, Iasonis in Medeam, Demophoontis in Phyllidem, Æneæ in Didonem, iam diximus in capite de Ingratis.

Sinonem Virgilius fabulatur fuisse Græcum nescio quẽ periurum, qui suis mendaciis & perfidia Troianos eluserit, & fatalem machinam uatibus nequidquam reclamanti bus intra muros duxerit. Virg. lib. 2. Talibus insidiis periuriq; arte Sinonis Credita res, &c.

Curio quum prius esset inimicissimus Cæsari, mutata postea uoluntate, factus est acerrimus eius propugnator, quum ab eo liberatus esset maximo ære alieno. unde Lucanus: Audax uenali comitatur Curio lingua. Et alibi de eodem: Gallorum captus spoliis & Cæsaris auro. Seruius ait Curionem uendidisse Romam Cæsari XXVI. millibus aureorum.

Qua perfidia Paris Menelaum hospitem eluserit rapta eiusdem uxore, iam diximus. Horat. Pastor quum trahe-

ret per freta nauibus Idæis Helenam perfidus hospitam.

Eryphile capta aurea monili, quod ferebat Adraſtus, maritum ſuum Amphiaraum delitescentem prodidit, vt prius dictum est.

Qua perfidia Polymnestor rex Thraciæ Polydorum interfecerit, dictum est in capite de Auaris.

Conuenit inter historigrophos, Troiam ab Ænea, Antenore, & aliquot aliis, qui postea profugi multis fuerunt annis, proditam fuisse Græcis.

Hannibal senior appellatus Asdrubalis filius, quum primo bello Punico totam Italiam vastaret, Cornelium Asinam consulem spe pacis vocatum ad colloquium Punica fraude interfecit.

Cn. Domitius Bituitum Aruernorum regem specie colloquii comiter inuitatum vinxit, ligatumq; Romam misit.

Fl. Fimbria Valerium Flaccum in Asia curauit interficiendum corrupto exercitu,

M. L. Drusus Magulsam Mauritaniæ principem, quem hospitio susceperat, Baccho prodidit, pecunia corruptus.

L. Magius, & L. Fannius legati à Mithridate ad Sertorium missi, defecerunt ad populum Romanum.

De Nicia Pyrrhi medico, eiusque in dominum proditione iam diximus.

Perperna consul Marianarum partium, Quinctum Sertorium, quo cum prius magna amicitia dimicauerat, inter epulas nihil sibi timentem interfecit, vt solus imperio potiretur in Hispania.

Aulus Postumius Albinus missus ad bellandum Iugurtham, pecunia ab eodem corruptus, fœdissimam contraxit pacem.

Ptolemæus Iudæus, Abobi filius, socerum suum Simonem Iudæorum principem, conuiuio exceptum cum duobus filiis interfecit, regnandi cupiditate.

Zopyrus Persa benignè à Babiloniis exceptus vrbem eorum Dario prodidit.

Tarpeia puella Capitoliũ Tatio regi Sabinorũ tradidit.

Boleslaus tertius rex Boemorum Moschonem regem Poloniæ simulatione colloquii exoculauit.

Cethegus Romanus cum Catilina in remp. coniurauit.

Dion Syracusanus interfectus est proditione cuiusdam Callicratis, quo cum summa familiaritate prius vixerat.

Cocalus rex Siciliæ Minoem regem Cretæ, qui Dædalum persequebatur, ad colloquium prætextu amicitiæ inuitatum, per proditionem in thermis suffocauit.

Grimoaldus, Pipini filius, Dagobertum, Sigisberti secundi filium, fidei suæ post mortem patris eius commissum interfecit, vt Austrasiæ regnum, cui præerat pupillus, sibi vendicaret.

Helena Deiphobum Troianum, cui post mortem Paridis nupserat, dormientem Græcis prodidit, foribus eius apertis. Virg.

Iolas Alexãdri pincerna dominũ suũ veneno suffocauit.

Io. Galeatius dux Insubrium Barnabam socerum suum, quem simulabat se salutare velle, obuiam prodeuntem in itinere per proditionem cepit, coniectq; in carcerem.

Myrtilus Hippodamiam Oenomai filiam curruli certamine dimicãtem prodidit pacta mercede corruptus à Pelope. Seneca: Deceptor dominæ Myrtilus.

De perfidia Septimuleii in T. Gracchum iam diximus in capite de Auaris.

Cillicon Milesius prodita Prienensibus Mileto patria, inhonestè ditatus est.

Lasthenes Olynthum prodidit Philippo Macedoni.

Cleomenes Spartanus Argiuos inducias fiducia consopitos noctu inuasit, aliosque contrucidauit, alios duxit captiuos.

Phrinicus fuit quispiam Lacedæmoniorum proditor.

Euribatus missus à Crœso cum multa pecuniarum vi, vt contraheret exercitum, ad Cyrum Crœsi hostem defecit.

Sedechias medicus Carolo Caluo regi ac domino suo venenum præministrauit.

Harpagus Astyagem dominum suum prodidit Cyro regi Persarum.

Milo Epirotarum vrbem Papirio Cursori spe mercedis prodidit.

Apollonius Samios, quibus erat præfectus, Philippo

dedit occidendos.

Vlysses Calypsō nympham, cuius hospitio septem annos fuerat vsus, fide violata deseruit. Propertius libro 2. Sic à Dulychio iuuene est eluſa Calypso, Vidi amatorem pandere vela suum.

Pelops filius Tantali periurio decepit Myrtilum in Hippodamiæ certamine, vt fabulantur poetæ. Catullus: Periuri Pelopis vastabit tertius heres.

FIDELISSIMI.

MAluit Atilius Regulus ad suppliciū redire, quàm datam Carthaginiēsibus fidem violare, vt iam dō cuimus. Sill. libro 6. Seranus clarum nomen, tua Regule proles, Qui longum semper fama gliscente per ævum, Infidis seruasse fidem memorabere Pœnis.

De fide Penelopes in Vlyssem, & Zopyri in Darium suis locis iam diximus.

MEMORIA CLARI.

CYneas Pyrrhi legatus Romam à domino missus, omnium senatorum nomina edidicit vno die, quorum concessum totidem regū sibi videri retulit Pyrrho. Mithridates duarum, & viginti gentium, quas habuit sub ditione, linguas percalluit, earumq; gentium viris sine interprete locutus est. Plinius & Gellius.

Themistocles tanta fuit memoria, vt Simonidi artem memoriæ pollicenti, dixerit se malle artem obliuionis, & quòd etiam meminisset, quæ nollet, & obliuiſci non posset, quæ vellet. Cicero lib. 2. de Finibus.

Iulius Cæsar eodem tempore quaternas dictabat epistolas. Plinius scribit eum legere, simul dictare, & audire consueſſe.

Aiunt & Theodectem Aristot. discipulum multæ fuisse memoriæ.

Habuit Lucullus diuinam quandam rerum memoriam, maiorem verborum Hortensius. Cicero l. 4. quæst. Acad.

Seneca scribit memoriam in seipso adeò excelluisse, vt non ad vsum modò sufficeret, sed in miraculum vsque pro-

cederet. nam duo millia nominum recitata, quo ordine erant dicta, referebat. ducentos versus ab vltimo incipiens recitabat.

Ælius Hadrianus tanta fuit memoria, vt locos, negotia, milites absentes quoque nominibus recenseret.

Cyrus rex nomina cunctorū militū in exercitu tenebat.

Hortensius orationem iisdem verbis scriptitabat & pronuntiabat, quibus meditabatur.

Carmides in Græcia quæ quis exegisset volumina in bibliothecis, legentis modo repræsentabat. Plinius.

Esdras sacerdos vniuersas Hebræorum doctrinas habuit in memoria.

Tanta fuit Porcio Latroni memoria, vt quæ dicturus erat, ediscendi causa nunquam relegeret. edidicerat quū scribebat. dicebat ita, vt in nullo vnquam verbo memoriam eum deciperet. iubebat aliquem nominari ducem, statim illius gesta ad vnguem reddebat.

Antonius Rauennas ætate Antonii Sabellici multa rerū millia stans percipiebant animo.

Scipio in exercitu Romanorum tenebat nomina.

OBLIVIOSI, ET QVI MEMORIA EXCIDERUNT.

MEssalla Coruinus morbi diritate sui nominis oblitus est. Plin.

Bamba rex Gothorum hausto veneno ab Herinio successore dati memoriam amisit.

Franciscus Barbarus, Hermolai amicus, Græcas literas (quarum prius erat doctissimus) in extrema senectute oblitus est.

Seneca scribit Caluisium Sabinum tam fragili, aut nulla potius extitisse memoria, vt illi modò Vlyssis, modò Achillis, modò Priami nomen excideret, quos tamen noverat optimè.

Thraces tam obtuso sunt ingenio, & adeò infecunda memoria, vt quaternariū numerando nequeant transcendere.

Atticus, Herodis Sophistæ filius, tanta fuit ingenii hebetudine, vt ne elementorum quidem nomina perdiscere,

aut retinere vnquam potuerit.

Orbilius Beneuẽtanus in extrema senectute excidit memoria. vnde Bibaculus: Orbili vbinã est litterarũ obliuio?

Georgius Trapezuntius in extrema senectute oblitus est litterarum.

Curio pater tam nulla fuit memoria, vt olim totam causam in iudicio sit oblitus, teste Cicerone.

ALII, QVI VERBA FACTVri, memoria exciderunt.

THeophrastus apud Athenienſem populum dicturus præ pudore obticuit, Demosthenes apud Philippũ regem Amyntæ filium.

Herodes Atticus coram M. Antonio, Heraclitus Lycius sophista coram Seuero principe verba facturi præter spẽ obmutuerunt.

Barptolemæus Sothinus nomine suæ ciuitatis Alexãdro Pontifici maximo gratulaturus, in media propè oratione excidit, vt Franciſcus Barbarus apud Philippum Insubrium ducem.

Hipparchion veniens in certamen cum Rufino citharœdo, spe omnium eluſa continuit. hinc adagium, Mutus Hipparchion.

FORTVNATI, ET FELICES.

TYrannus Samiorum Polycrates tanta vſus est felicitate, vt nullum vnquam mæroris argumentum in tota vita potuerit reperire. nam quum ad excitandum ſibi dolorem anulum ingentis pretii coniecisset in mare, eundem postmodum reperit in piſce, oblato ſibi à piſcatore, ad extremum verò affixus est cruci, vt iã diximus.

Gyges rex Lydorum gemmam habuit tantæ virtutis in anulo, vt ea ad ſe verſa videret quoſcunque vellet, nemini conſpicuus. vnde beneficio anuli omnia conſequebatur ex animi voto.

Xenophilus muſicus vixit c v. annos ſine vllo corporis incommodo. Plin.

Antiquitas non paruæ adſcribit felicitati, quòd Diagoras Rhodius

ras Rhodius duos Olympionicas filios eodem die victores coronari conſpexerit. Cicero lib. 1. quæſt. Tuſc.

Marius poſt ſeptem conſulatus domi ſuæ ſenex mortuus eſt. Cicero lib. 3. De natura deorum.

Timotheo Athenienſium duci felix adeò riſit fortuna, vt in omni bello facilem ac velut certam referret victoriã. cui proſperitate inuidentes æmuli Fortunam pinxerunt, quæ in eius dormiẽtis naſſam & retia vrbes immitteret vltrò. quod conſpicatus, Si dormiens, inquit, vrbes capio; quid putatis me facturum, quum uigilaro?

Quandiu Lydis principatus eſt Alcimus, perpetua vſus eſt tranquillitate, habuitque diuitias quantas voluit.

Apollo felicem pronuntiauit Aglaum Pſophidium, qui tamen in anguſtiſſimo Arcadiæ angulo conſenuerat, prædioli ſui fructibus contentus.

Datylus fuit quiſpiam apud Athenienſes, adeò fortunatus, vt illi quotidiæ nouus honor accreſceret.

Herodotus ſcribit Aminoclem virum fuiſſe Magneſium qui in excauanda terra multa pocula aurea & argentea, thesauroſq; Perſarum inueniret.

Lucius Sylla apud Romanos felicis cognomen ſibi adoptauit.

Plinius tribuit magnæ felicitati, quòd Lampedo mulier Lacedæmonia regis filia, regis vxor, & regis mater fuerit.

Berenice vocatur felix à Plinio, quòd filia ſoror & mater fuerit Olympionicarum.

In familia Curionum tres continua ſerie oratores extiterunt.

In Fabiorum familia tres continui principes ſenatus, M. Fabius Ambuſtus, Fabius Rutilianus, & Q. Fabius Gurges.

Q. Metello contigit, quod optauerat, vt ſcilicet primarius eſſet bellator, optimus orator, fortiſſimus imperator, auſpicio ſuo maximas res gereret, maximo honore veteretur, ſumma eſſet ſapientia, ſummus haberetur ſenator, pecuniam magnam bono modo inueniret, multos liberos relinqueret, & clariſſimus eſſet in ciuitate.

Antonius Caſtor centeſimum ætatis annum excedens, nullum adhuc corporis malum expertus erat, ac ne ætate

quidem memoria aut vigore concussis.

Enhippus rex fuit Argiuorum miræ felicitatis, cuius clypeum qui apud Græcos rem præclare gessissent per vrbem incedentes ferebant honestamenti causa.

Contrà verò inter infelicissimos iusta causa numerandus est Oedipus, qui patre interfecto matri se commiscuerit, & ex ea liberos susceperit, qui mutuis vulneribus se ipsos interfecerint.

F. Busalus ciuis Romanus duos filios mutuis vulneribus se petentes vidit, totidem ob seditionem securi percussos, alium qui nouercam interfecerit, filiam verò quæ præsente marito venenum hauserit.

RELIGIOSI.

Albinus vxorem & liberos in via pedibus ire iussit, vt Vestales cum sacris currui suo imponeret.

Alexander Macedo mane ante omnia diis sacra faciebat.

Ludouicus Crassus, Francorum rex, sacerdoti Eucharistiam afferenti obuiam proficisci voluit, quamuis grauissimo affectus morbo.

Numa instituit Deos fruge colere, & mola salsa supplicare.

Tempore bellorum Sylla Apollinis imaguncula ferebat in sinu, quam imminente discrimine osculabatur, & velut adiutricem inuocabat. Plut.

Pericles suggestū ascensurus diis vota faciebat, ne verbum aliquod inconsultè & imprudenter euomeret.

FLVVII PRÆCIPVI NOMINIS.

Acis fluuius est Siciliæ ex Ætna scaturiens, de quo Ouid. libro 4. Fast. Præterit & ripas herbifer Aci tuas.

Albis fluuius Germaniæ. Lucan. Fundat ab extremo flauos Aquilone Sueuos Albis, & indomitum Rheni caput.

Amphrysus fluuius Thessaliæ, apud quem Apollo diuinitate priuatus pauit armenta Admeti regis. Lucanus: Irrigat Amphrysus famulantis pascua Phœbi.

Anauros fluuius Thessaliæ, ex Pelio monte defluens, & nullas spirans auras, vt docet ratio nominis. Lucan. Quiq; nec humentes nebulas, nec rore madentem Aere, nec vētos tenues exspirat Anauros.

Apidanus fluuius Thessaliæ velocissimus. Lucanus: -et gurgite rapto Apidanus.

Anio, seu Anienus fluuius Italiæ, nomē sumpsit ab Anio rege ibidem submerso: cadit in Tiberim. Sillius libro 12. Ad genitorem Anio labens, sine murmure Tybrim.

Arar fluuius Galliæ Narbonensis, defluens in Rhodanū, adeò lentus, vt difficile sit iudicare, vtram in partem defluat. Sill. lib. 15. Quorum serpit Arar per rura pigerrimus vndæ. Dicimus etiam Araris in recto casu. Claudianus: Quos Araris velox, Rhodanus quos tardior ambit. Nostro tempore vocatur Sagona.

Araxes fluuius Armeniæ, ortum habet à quodam monte, qui Abon, seu Aban dicitur. Lucanus: Armeniumq; bibit Romanus Araxem.

Atax fluuius ortum habet in montibus pyrenæis, & defluit in mare Tyrrhenum. Lucanus lib. 1. Mitis Atax Latias gaudet non ferre carinas.

Athesis flu. Italiæ celeriter fluens, effunditur in Hadriaticum mare. Lucan. libro 1. Siue Padi ripis, Athesim seu propter amœnum.

Amasenus Volscorum fluuius. Virg. lib. 12. Ecce fugæ medio summis Amasenus abundans Spumabat ripis.

Aufidus fluuius Apuliæ. Horatius: Dicar, quà violens obstrepit Aufidus.

Albula fluuius est, quem nunc Tiberim dicimus. Virg. lib. 8. -amisit verum vetus Albula nomen.

Almo fluuius Italiæ, in quo simulacrum Cybeles ablue batur. Luc. Et lotam paruo reuocant Almone Cybellem.

Arnus fluuius Tusciæ in mare Tyrrhenum influens. Marullus: Exsul Etrusci streperem sonanda Vallibus Arni.

Achelous fluuius Græciæ, è Pindo Thessaliæ monte scaturiens, Ætoliam ab Armenia diuidit.

Bragada fluuius est Africæ, apud quem M. Atilius serpentem CXX. pedum longitudine ballistis & tormentis ex

pugnauit: leuiter fluit. vnde Lucan. libro 4. -quà se Bragadalentus agit.

Bæthis fluuius Hispaniæ, dedit nomen regioni Bæthicæ Stat. lib. 2. Sil. Graio nobilior Melete Bæthis. Lucan. li. 2. Thetimq; fugacem Qui ferit Hesperius post omnia flumina Bæthis.

Borysthenes fluuius est Thraciæ, multis fontibus copiosus, & concursu multorum amniū adolescens. Ab eo Thraces vocantur Borysthenidæ.

Bactros fluuius est in finibus Scythiæ Asiaticæ, à quo Bactra regio, & vrbs nomen sumpsit. Luc. lib. 3. Errantes Scythiæ populi, quos gurgite Bactros Includit gelido.

Cinga fluuius est rapacissimus, ex Pyrenæis montibus in Iberum fluens. Lucan. Qua Cinga pererrat Gurgite.

Caycus fluuius est Mysiæ, à Teutranta Troadis parte defluens. Lucan. lib. 3. -et gelido tellus prefusa Cayco.

Chalybs fluuius Hispaniæ, cuius accolæ vocantur Chalybes, qui ferrum effodiunt & ibidem temperant. Lucan. lib. 4. Non Chalibem gentes penitus, & c.

Cayster fluuius Lyciæ, cygnis abundãs. Propertius: Si qua ve olori geri visenda est ora Caystri.

Cephisus fluuius Bœotiæ ortum habet in radicibus Parnasi. in eius ripa fuit olim templum Temidis, ad quod accesserunt Deucalion & Pyrrha deam consulturi super humani generis reparatione. vnde ab oraculo illo fluuius vocatur fatidicus. Lucan. lib. 3. Bœoti coiere duces, quos impiger ambit Fatidica Cephisus aqua.

Cyniphs Libyæ abundat hircis, qui propterea vocantur Cinyphii. Claudianus de laudibus Stiliconis: Quos vagus humectat Cinyphis.

Cydnus fluuius Ciliciæ, Tarsum vrbem præterfluit. nomen sumpsit à candido colore, quem Syri Cydnum vocant. Solinus ait, ortum eius esse ignotum. Strabo verò ait nasci in Tauro. Tibullus lib. 1. At te Cydne canam, tacitis qui leniter vndis Cæruleus placidis per vada serpis aquis.

Clitumnus fluuius est Vmbriæ, cuius aqua pota candidos boues reddit. Prop. lib. 3. Hic Anio Tyburne fluis, Clitumnus ab Vmbro Tramite.

Cremera fluuius Italiæ, apud quam CCCVI. Fabii pugnantes à Veientibus interfecti sunt.

Danubius fluuius Scythiæ, ortum habet in quodam Germaniæ monte. Acceptis LX. amnibus euoluitur in mare. Alio nomine vocatur Ister. Horatius: Non qui profundũ Danubium bibunt.

Daunus fluuius Apuliæ. Horatius. Et qua pauper aquæ Daunus agrestium Regnator populorum.

Eridanus fluuius est nulli amnium claritate inferior, auctore Plinio. nascitur in imis radicibus Vesuli montis, mox paruis fontibus adolescens, ita demum augetur aliis amnibus, vt se per septem ostia effundat. velocissimus est. alio nomine vocatur Padus. Virg. li. 3. Georg. Et gemina auratus Taurino cornua vultu Eridanus.

Enipeus Thessaliæ fluuius, apud quem Cæsar, & Pompeius congressi sunt bello: lentus est, sed mistus Apidano fit velocissimus. Lucanus. Nunquamque celer nisi mistus Enipeus.

Euenus fluuius descendens à Thracia, nomen sumpsit ab Eueno homine ibidem submerso. Calydoniam præterfluit. De hoc Ouid. li. 9. Met. Venerat Eueni rapidas Ioue natus ad vndas.

Euphratres fluuius Mesopotamiæ ortum habet in paradiso terrestri, secundum Strabonem in Niphate monte Armeniæ. celeri cursu Armenios, & Cappadoces distermi-nat. nomen interim mutat, pro varietate locorum. Sunt qui opinentur eum suo alueo non nunquam egredi, & instar Nili Mesopotamiam irrigare vnde sumpsit nomen à fertilitate, quæ accolarum lingua vocatur Euphrata.

Eurotas fluuius Laconiæ Spartam alluens. Ouid. libro 2. Met.

Gallus fluuius Lycaoniæ aqua sua potos in furorem vertit. Ouid. lib. 4. Fast. Inter ait viridem Cybelen, altasq; Cælenas Amnis it insana nomine Gallus aqua.

Galesus fluuius Calabriæ quinq; millibus passuũ distãs à Tarento. Stat. lib. 2. Sil. Blanda Therapnæi placeant vi neta Galesi.

Ganges fluuius est Indiæ, cuius origo dubia est. tendit

in Orientem, augetur XIX. fluuiis nauigabilibus, demum septem ostiis erumpit in mare. tantæ magnitudinis est, vt vbi minus occupat latitudinis, octo millia passuum contineat, vbi plurimum, centum. altitudinis nusquam minus vinginti passibus reperitur. hunc Cyrus rex Persarum in CCCCLX. alueos diuisit ob amissum ibidem equum præcipua bonitate. Lucan. lib. 8. Qua rapidus Ganges, & qua Mysæus Idaspes.

Garumna fluuius à Pyrenæis montibus defluens, Celtas ab Aquitanis dirimit. Ausonius: Æquoream liquit te propter amice Garumnam.

Chalybs fluuius ex radicibus Tauri montis scaturiens, Syros, & Paphlagones interluit, & in Euxinum mare euoluitur.

Hebrus fluuius Thraciæ, ortum habet ab Oeagro flumine, à quo vocatur Oeagrius. Virg. li. 4. Georg. Gurgite quum medio portans Oeagrius Hebrus.

Hypanis fluuius Scythiæ ex magna palude profluens. Propertius: Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano. Hic fluuius fert folliculos quosdam acinis maiores, quibus quadrupedes volucres erumpunt, quæ in post meridianum tempus vsque viuunt, & volant: mox declinante sole macrescunt, & languent: occidente verò emoriuntur, vita non vltra vnum diem peracta.

Iberus fluuius vlterioris Hispaniæ, nomen imposuit regioni. Cantabros alluit, & Balearicum ingreditur mare.

Idaspes fluuius Indorum celebratissimus, aurum, & gémas habere dicitur. Statius l. 8. Theb. Ceu modo gémiferũ thyrso populat⁹ Idaspé Parthiam alluit, multas facit insulas: nomẽ sũpsit ab Idaspe, antiquissimo Indorũ rege.

Indus, maximus est fluuius in iugo Caucali mõtis, quod vocatur Paropanysus, aduersus solis ortum effusus. Sandus ab incolis appellatur, auctore Plin. Vndeuiginti recipit amnes, sed clarissimos; Idaspem quattuor alios afferẽtem, & Cantabram tres. per se verò nauigabiles Acesinũ & Hypasin. nusquam latior est quinquaginta stadiis, aut altior XXV. passibus. In occasum versus Oceano infunditur.

Iordanis fluuius in Iudæa est, eximiæ suauitatis. Oritur ad radices Libani ex duobus fontibus Ior, & Dan, nomine, qui simul iuncti, & fluuium & fluuij nomen perficiunt.

Isara fluuius Rhodano se commiscet.

Imera fluuius Siciliæ in duos alueos diuiditur, quorum alter aquas voluit suaues, & optimi saporis, tenditq; in mare Tirrhenum. alter amarus decurrit in Libycum mare.

Inachus fluius Argiuorum nomen sumpsit ab Inacho rege. De hoc Lucan. lib. 6. -nec fortior vndis Labitur auectæ pater Isidis.

Ister, vt iam diximus, alio nomine vocatur Danubius. propterea à poetis vocatur Binominis, à duobus nominibus. Ouid. lib. de Ponto: Stat vetus vrbs ripæ vicina binominis Istri.

Ladon fluuius est Arcadiæ, Apollini sacer, de quo Claudianus Plurima Parrhasius tũc inter corpora Ladon Hæsit.

Liger, seu Ligeris, fluuius est, Aquitanos à Celtis dirimens, vt aliqui volunt. Sunt enim qui Galliam Celticã ad Garumniam vsque protendant. Hic fluuius nauigabilis est, multumque absumit terræ solito non contentus alueo. Maior est eius latitudo, quàm Sequanæ, sed minor multo profunditas

Lincestius fluuius aquas habet tantæ virtutis, vt inebriẽt instar uini.

Linternus, & Lyris, fluuij sunt Campaniæ. Virg. -et vmbrosæ Lyris per regna Maricæ. Labitur Lyris ex Apenninis montibus: Fregellas alluit, demum labitur in lucum sacrum, quem Minturnenses religiosissimè colunt.

Lycormas fluuius est Ætoliæ. Seneca: Nec præcipitem volueret amnem Fluuius rapido fonte Lycormas.

Marsya fluuius nomen sumpsit ab illo tibicine, qui in Apollinem certare ausus est. Commiscet se Mæandro, quocum Icareo infunditur mari.

Matrona fluuius, Celtas à Belgis dirimit: leniter satis effluit, Sequanam ingreditur prope Lutetiam, & vnà Occidentalem intrat Oceanum. Octauo à Parisius miliari Septentrionem versus contingit, & alluit celebre multiq; nominis cœnobium, Corneium nomine. Vulgares aiunt

hunc fluuium eo esse fato seu periculo, vt quotidie prædam aliquã sibi corripiat: quod accidit ex vorticosis foueis & voraginibus, quibus vbique scatet.

Mæander fluuius est Phrygiæ, seu Mæoniæ, adeò flexuosus & reciprocus, vt in fontem reuerti videatur. Lydiã disterminat à Caria. De hoc Ouid. lib. 9. Non secus ac liquidis Phrygius Mæander in vndis.

Melas Bœotiæ fluuius, Mineruæ sacer, abundat oliuetis. Potos greges si albi fuerint, nigros reddit. in hoc cõtrarius & dissimilis Cephiso.

Meles fluuius est Asiaticus, Smyrnam alluens.

Metaurus fluuius vmbriæ, descẽdens in Hadriaticũ sinũ.

Mincius Venetiarum fluuius ex Benaco scaturiens, delabitur Mantuam. Polit. O sacris Minci celebrate Musis.

Mosella fluuius Galliæ Belgicæ.

Nar Sabinorum, seu Vmbrorum fluuius, aquas habet velut sulphureas.

Nilus Ægypti fluuius, plurimum trahit limi, quo arua fecundat: incerta est eius origo: vnde Claudianus: - et arcanos Nili deprendite fontes. Ecclesiastici dicunt eum à paradiso terrestri scaturire. Variis in locis mutat nomina. Septem ostiis infunditur Oceano. Ouid. lib. 1. Metam. Sic vbi deseruit madidos septemfluus agros Nilus. Arundines profert, quarum membranulæ similes sunt papyro. vnde Ouid. lib. 15. Perque papyriferi septemflua flumina Nili. Crocodilos habet, & Hippotamos: alueum egredi tur, & totam Ægyptum stagnantibus vndis alluit.

Nyphates Mœdorum, seu Armeniorum fluuius, cadit ab eiusdem nominis monte. Sidonius: Aut vt Tigriferi pharetra per arua Nyphatis.

Numicius fluuius est Italiæ, in quo Æneam submersum ferunt non nulli.

Oaxes fluuius Cretæ, de quo Virg. Pars Scythiam & rapidum Cretæ veniemus Oaxem.

Orontes fluuius Syriæ, de quo Ouid. lib. 2. Met. Arsit & Euphrates, Babilonius arsit Orontes.

Pactolus Lydiæ, aureas voluens arenas.

Padus Italiæ, qui alio nomine vocatur Eridanus. Poetæ fabulantur in hunc cecidisse Phaetontem excussum polo, vnde & Phaethonteus dicitur. Martia. li. 10. Et Phaethõtæi qui petis arua Padi.

Peneus fluuius Thessaliæ, Macedoniam dirimit à Magnesia. in eius ripa poetæ fabulantur Daphnen in laurum fuisse conuersam, quæ propterea vocatur Peneia.

Permessus fluuius Bœotiæ, sacer. Musis, à cuius nomine vocantur Permessides.

Phasis celebratissimus est Colchorum fluuius. Lucanus Colchorum qui rura facit ditissima Phasis.

Rhenus Belgas diuidit à Germanis. Mirabile est, quod de huius natura scriptum legitur. aiunt enim fluuium hũc Celtarum infantes intra sinum coniectos, si polluta matris pudicitia essent susceptí, tanquam impuri lecti vindicem rapidis vorticibus suffocare consueisse. quos autem sensisse legitimo & impolluto natos matrimonio, in portum placidis aquis extulisse. hoc legitur in quadam Politiani epistola ad Iacobum Cardinalem Papiensem.

Rhodanus fluuius velocissimus, ortum capit in alpibus: tardum Ararim proximè Lugdunum secum arripuit: auctus demum Isara & Druentia, duobus ostiis in Tyrrhenũ mare diffunditur.

Rubicon fluuius Italiæ, de quo Lucan. Fonte cadit modico, paruisq; impellitur vndis Puniceus Rubicon.

Sarnus, & Sebetus, fluuij sunt Campaniæ.

Sequana fluuius Galliæ, Celtas dirimit à Belgis. Parisiorum Lutetiam alluit, multisq; afficit commoditatibus. eò enim comportantur ligna, vina, & cetera, quæ vrbi conducunt.

Sicoris fluuius Hispaniæ iuxta Ilerdam.. Lucan. lib. 4. placidis prælabitur vndis Hesperios inter Sicoris non vltimus amnes.

Simois fluuius Troadis, apud quem Venus ex concubitu Anchisæ genuit Æneam. Virgilius: Tu'ne ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ Alma Venus Phrygij genuit Simoentis ad vndam?

Strymon fluuius Thraciæ, à cuius nomine Thraces vo-

cantur Strymonii.

Sperchius fluuius Theſſaliæ, de quo. Ouid. lib. 1. Met. Populifer Sperchius, & irrequietus Enipheus.

Tagus fluuius Hiſpaniæ aurifer.

Tanais fluuius Scythiæ ex Riphæis montibus defluens.

Thermodon fluuius eſt eiuſdem regionis, ad cuius ripas Amazones feruntur habitaſſe. Ouid. lib. 4. de Ponto: Et tu femineæ Thermodon cognitæ turbæ.

Tybris, quum prius Albula diceretur, nomen ſumpſit à Tyberino rege ibidem ſubmerſo.

Ticinus fluuius Italiæ.

Tygris fluuius Armeniæ maioris.

Timauus Venetorum, de quo Lucanus lib. 7. Atq; Antenorei diſpergitur vnda Timaui.

Trebia fluuius Italiæ, ex Apennino in Rhodanum influens, nobilitatus ſecunda Hannibalis victoria, & clade L. Sempronii conſulis.

Vfens fluuius Italiæ, ex Alpibus decidit in Padum.

Xanthus fluuius Troadis. Virg. Non Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica caſtra Defuerint. Hæc ſunt nomina fluuiorum præcipui nominis. Infinitam aliorum turbam omiſimus de induſtria.

FLVVII AVRIFERI, ET GEMMIFERI.

TAgus Hiſpaniæ. Iuuenalis: Quod Tagus & rutila Pactolus voluit arena.

Hermus Lydiæ. Stroza filius: Quòd ve Metalliferis egerit Hermus aquis.

Idaſpes Indiæ. Claudianus: - auriferum veniam poturus Idaſpem. Statius lib. 8. Ceu modo gemmiferum Thyrſo populatus Idaſpem.

Pactolus Aſiæ. Lucanus li. 3. Paſſaq; ab auriferis tellus exire metallis Pactolō. Vir. l. 10. Pactolusq; irrigat auro.

Arimaſpus Scythiæ flu. aureas quondam habuit arenas.

De fluuiis quibuſdam auriferis Claudianus: Non Tarteſſiacis illum ſatiaret arenis Tempeſtas pretioſa Tagi, non ſtagna rubentis Aurea Pactoli, totumq; exhauſerit Hermū Ardebat maiore ſiti.

STyx, Lethe, Cocytus, Phlegetō, Acheron. De his Sil. l. 13. - larè exundantibus vrit Ripas ſæuus aquis Phlegeton, & turbine anhelo Flammarum reſonans ſaxa incendia torquet. Parte alia torrens Cocytus ſanguinis atri Vorticibus furit, & ſpumanti gurgite fertur. At magnis ſemper diuis, regnq; deorum Iurari dignata palus, pice horrida riuo, Fumiferum voluit Styx inter ſulphura limum. Triſtior his Acheron ſanie, craſſoq; veneno Æſtuat, & gelidam eructans cum murmure arenam: Deſcendit nigra lentus per ſtagna palude.

AQVARVM MIRABILIS NATVRA.

AQuæ Sinueſſanæ in Campaniæ regione ſterilitatē feminarum, & virorum inſaniā abolere produntur.

In Ænaria inſula calculoſis mederi.

Iuxta Romam Albulæ aquæ vulneribus medētur. Plin.

Lacus Amphion vitiligines tollit.

Cydnus Ciliciæ amnis podagricis medetur.

Leucogei fontes inter Puteolos & Neapolim oculis & vulneribus medentur.

Reatinis paludibus vngulæ iumentorum indurantur.

Cerome fons eſt, ex quo bibentes oues nigræ fiunt: ex Mele verò alio fonte, albæ. ſi ex vtroque biberint, fiunt variæ. teſtis Eudicus apud Plinium.

Crathis fluuius candorem facit bobus, ac pecoribus; Sybaris nigritiam. Sybarim quoque ſi bibant homines, nigriores fient, & criſpo capillo; ſi ex Chratide, fient candidi & porrecta coma.

In Luſis Arcadiæ fonte mures viuunt, & conuerſantur. Eurythris Aleos amnis pilos gignit in corporibus.

Qui ex Clitorio Arcadiæ fonte bibūt, vini tædio afficiūt.

Marſiæ fons in Phrygia ad Celenarum oppidū ſaxa egerit. Ex Cyzice fonte potantes, amorem deponunt.

Grannone fons eſt calidus, qui in vinum additus triduo calorem potionis cuſtodit in vaſis.

Mogūtiaci fontes ſunt calidi in Germania, quorum hauſtus triduo feruet.

In Silia Indorū ſtagno nihil innatat, ſed omnia mergūt.

Auernus lacus superuolantes aues enecat, & arboribus folia decutit.

In Africæ lacu Apustidamo, omnia fluitant, & nihil immergitur, vt in Phintia Siciliæ fonte.

Olachas fluuius est in Bithynia, cuius gurgite periuri notantur pati, velut flammam vrentem.

In Canthabria Tamarici fontes habentur in augurio.

Lycus fluuius in Leontinis tertio die negat, si quisquam biberet.

Coaspes, & Euleii fluuiorum suaues adeò sunt aquæ, vt reges Parthorum ex his bibant.

Cabura fons est Mesopotamiæ, cuius aqua iucũdè olet.

Apud Bactros amnis Ochus, & Iaxartes deferunt salis ramenta. Præcedentia hæc sumpta sunt ex Plinio.

Clitumnus fluuius est Meuaniæ, cuius aqua pota, candidos bones reddit. Propert. lib. 2. Qua formosa suo Clitumnus flumina luco Integit, & niueos abluit vnda boues.

In Caryſto Euboiæ aquæ feruntur esse calidæ, quæ vocantur Alopiæ. Tibullus lib. 4. Cretæis ardens aut vnda Caryſtia campis.

Anygri aqua in Peloponneso admodum fœtet.

Afrodisius fluuius steriles reddit mulieres.

Axus fluuius est Macedonum, cuius aquam si biberint greges armentorum, nigros pariunt fetus.

Belus Phœniciæ flu. renas habet accommodas vitro.

Croconus, seu Crocaculus fluuius est Bruttiorum, in quem si quid coniiciatur, lapideo durescit cortice.

In Mæandro fluuio nascitur nescio quis lapis, qui pectori alligatus insaniam parit.

Melas fluuius Bœotiæ potos greges si albi sint, nigros facit. Cephisus verò, ex nigris albos reddit. Cassinitius fluuius Thraciæ, equos aqua sua potos efferat.

Virgulta in Silarum fluuium Samnitum demissa, lapidescunt. Sillius lib. 8. Nunc Silaris quos nutrit aquis, quo gurgite tradũt Duritiem lapidum mersis inolescere ramis.

Pontus fluuius Thraciæ ardentes habet lapides, qui cõtrariam carbonibus retinent naturam. vento enim extinguntur, in aqua verò flagrant, odoremque instar bituminis

tetrum adeò reddunt, vt nulla reptilia propè consistant.

Salmacis fons est in Caria, cuius aquam qui potauerit, mollis fieri dicitur. De mirabili aquarum virtute Ouid. l. 15. scribit: Medio tua corniger Ammon Vnda die gelida est, ortuque calescit, &c.

Pontanus in lib. Meteororum: videas lapidescere Sarni Cæruleo sub fonte alnum. filicisque maniplos, Et pabeq; intortos lento cum vimine culmos. Idem de fonte Ammonis sic ait: Ammonem fama est mediis sub noctibus altũ Feruere, & in mediis rursum frigere diebus.

Nihil in Aspaltite Iudææ lacu, qui bitumen gignit, mergi potest.

AVCTARIVM.

FLuuij reciproci sunt Mæander, & Euripus. de Mæandro Prop. li. 2. Atque etiam vt Phrygio fallax Mæandria campo Errat, & ipsa suas decipit vnda vias. De Euripo Seneca: Euripus vndas flectit instabilis vagas, Septemque cursus flectit, ac totidem refert, Dum lassa Titan mergat Oceano iuga.

Fluuij subeuntes terras, & rursum emergentes sunt, Lycus in Asia Erasinus in Argolica, Tygris in Mesopotamia.

Fluuij paradisi terrestris sunt quattuor, Ganges, Nilus, Tygris, Euphrates.

Ostia Nili sunt Canopicum, Bolbiticum, Sebenniticum, Peluſiacum, Mendesicum, Taniticum, Phatniticum.

Ostia Danubij sunt, Peuse insula, Naracustoma, Caloboma, Pseudostomon, Boreostoma, Stenostoma. Ammianus Marcellinus.

FONTIVM QVORVNDAM NOMINA.

HIppocrene fons est Bœotiæ, quem poetæ fabulantur equi vngula natum. Ouid. libro 5. Met. Fama noui fontis nostras peruenit ad aures, Dura Meduſæi quem præpetis vngula rupit.

Cymothoe fons est Achaiæ. Plin.

Nigris fons est apud Hesperios Æthiopas. Plin.

Cabura fons est Mesopotamiæ, cuius aqua iucundè olet, vt iam diximus.

Acidalus fons est in Orcomeno oppido Bœotiæ, Veneri sacer, quæ propterea vocatur Acidalia.

Aganippe fons est iridem Bœotiæ, sacer Musis, quæ inde vocantur Aganippides. Ouid. lib. 5. Met. Fonte Medusæo & Hyanthæas Aganippe.

Albunea fons iuxta Tibur. Virg. -lucosq; sub alta Consulit Albunea, nemorum quæ maxima sacro Fonte sonat.

Callirhoe fons Athenis propinquus. Stat libro. 12. Et quos Callirhoe nouies errantibus vndis Implicat.

Castalius fons est in radicibus Parnasi, sacer Musis, qui alio nomine Caballinus dicitur, à Caballo, id est equo, cuius vngula excussus est.

Clitorius fons est Arcadiæ, qui potus vini tædium affere dicitur.

Crunos fons est in Attica, vt etiam Larine.

Magia fons Siciliæ in agro Syracusano.

Margæa nomen est fontis apud Plinium.

Salmacis fons est in Caria.

Sebetos fons prope Neapolim. Statius li. 1. Sil. Et pulchra tumeat Sebetos alumna.

Telpiussa nomen est fontis frigidissimi, cuius aqua Tyresiam extinxisse dicitur.

Lymira, Sceletirbe, & Stomacace nomina sunt fontiū apud Plinium.

Cissusa fons est, in quo obstetrices Bacchum infantem lauerunt. auctor Plutarchus in Lysandro.

Eodē teste Palma & Oliua duo sunt fontes prope Delō.

Dircenna & Nemeta nomina sunt fontium apud Martialem libro 1. scribentem: Auidam rigens Dircenna placabit sitim: Et Nemeta, quæ vincit niues.

Dircè fons est Thebanus, in quem Dirce Lyci vxor conuersa est. Lucanus lib. 3. Fatidica Cephisus aqua, Cadmeaq; Dirce.

Arethusa fōs est aquæ dulcis prope Syracusas, vt Cyane.

Zame fons est in Africa, ex quo canoras effi:: voces, prodidit Varro.

Chrysorrhois fons fuit apud Troezenios.

Berbinus & Gargaphius, nomina sunt fontium apud Herodotum.

LACVS, PALVDES, ET STAGNA.

Avernus lacus est Campaniæ, Diti sacer: Bænacus lacus est Italiæ: Bœbeis Thessaliæ: Concanicus Siciliæ: Cyminus Etruriæ: Eupilius, & Fucinus Italiæ: Mart. Fucinus & pigri taceantur stagna Neronis. Gygæus Lydiæ: Lemannus lacus prope Gebennas. Lucan. lib. 1. Deseruere cauo tentoria fixa Lemanno. Mareotis Ægypti: Saunaus Asiæ, qui circumnascente absynthio inficitur. auctor Plin. Spartha Atropatiæ, salicis ferax. Stymphalus Arcadiæ: Thesbitis lacus, per quem transit Tygris fluuius: Thrasimenus lacus agri Perusini. Sillius: -Thrasimenus in altos Ascendat citius colles. Zoroanda lacus est, quem efficit Tygris fluuius. Eptabolus nomen est lacus apud Vitruuium. Genesareth apud Cor. Tacitum. Acronius lacus est Alpinus Æticus Apolloniæ. Albanus Albani montis. Asconius Bithyniæ. Amsanctus Lucaniæ: Caulas Iudææ: Licomedes Æthiopiæ: Lucrinus Campaniæ: Perguſa Siciliæ: Tesprotie Ambraciæ: Velinus agri Vesulani: Archerusia palus est Campaniæ: Candebœa Syriæ: Mæotis Scythiæ: Serbonis palus prope montem Casium: Dastilytis & Loncanidis nomina sunt paludum apud Plutarchum: Lerna palus Græciæ inter Argos & Mycenas: Salapiæ palus Apuliæ: Sipus palus ad Sipuntem Diomedis ædificium. Myris, palus fuit Ægypti.

MONTES PRECIPVI NOMINIS.

Abila, mons est Mauritaniæ, oppositus Calpe Hispaniæ: Acantius, Magnesiæ: Acaton, Ætoliæ: Actiū, Epiri, vbi Antonius & Cleopatra superati sunt ab Augusto: Acontius, Magnesiæ: Acrocerauni, montes sunt inter Armeniam & Hiberiam. Horatius: Infames scopulos Acroceraunia. Acrocorinthus, Peloponnesi: Aga, maioris Armeniæ: Agolonius, Arcadiæ: Agragas, Siciliæ: Alburnus, Lusitaniæ: Ancoranus, Mauritaniæ: Apenninus, dicitur totus Alpium globus: Aracynthus, mons Ætoliæ,

Mineruæ sacer. Virg. Amphion Dircæus in Actæo Aracintho Argeus Cappadociæ. Arpendus, Pamphiliæ: Artemisius, Arcadiæ: Ascreus, Bœotiæ: Atlas, Mauritaniæ: Athos, Macedoniæ: Aruisium, Campaniæ: Andriceis, Ciliciæ: Ætna, Siciliæ: Aulon, Calabriæ.

Balbus, Africæ: Bebius, Campaniæ: Berecynthus, Phrygiæ: Brilesus, Atticæ.

Caphareus, Euboiæ: Calpe, Hispaniæ: Capitolinus, vrbis Romæ: Carina, Cretæ: Carmelus, Phœniciæ: Casinus, Campaniæ: Casyrus, Persidis: Casius, Syriæ: Caucasus, Scythiæ: Caulon, Calabriæ: Chimæra, Lyciæ: Cillene, Arcadiæ: Cynthus, Deli: Cyrrha, Phocidis: Citheron, Bœotiæ: Citorius, Paphlagoniæ: Clarius, Colophoniæ: Cophantus, Bactrianorum: Corax, Ætoliæ: Corycus, Ciliciæ: Caphareus, Euboiæ.

Dardanus, Apuliæ: Dindymus, Phrygiæ: Dodona, Chaoniæ: Dyrrachium, Epiri.

Ebron, Palestinæ: Effraim, Iudææ: Eleome, Macedoniæ: Erimanthus, Arcadiæ: Eryx, Siciliæ.

Falernus, Campaniæ: Ferraria, Hispaniæ: Gagus, minoris Asię: Gargarus, Phrygiæ: Garganus, Apuliæ: Gaurus, Campaniæ: Gebenna, Aruernorum.

Hæmus, Thessaliæ: Hymettus, Atticæ: Helycon Bœotiæ. Ida, Phrygiæ: Idalius, Cypri: Inarime, Prochytæ insulæ: Ismarus, Thraciæ.

Lacinium, Italiæ: Lathmus, Cariæ: Libanus, Phœniciæ: Lycabesos, Atticæ: Libethrus, Ætoliæ, Musis sacer: Lycæus, Arcadiæ: Lilybeus, Siciliæ.

Malea, Laconiæ: Marathon, Atticæ: Mænalus, Arcadiæ: Misenus, Campaniæ.

Neptunus, Siciliæ: Niphates, Armeniæ: Nysa, Indiæ.

Oeta, Thessaliæ: Olympus, Macedoniæ: Ossa, & Othrys, Thessaliæ.

Pachynus, Siciliæ: Palatinus, vrbis Romæ: Pangæus, Thraciæ: Parnasus, Phocidis: Parthenius, Arcadiæ: Pelion, Thessaliæ: Pelorus, Siciliæ: Pindus, Thessaliæ: Pirenæus, mõs Hispaniã dirimés à Gallia: Pholoe, Thessaliæ. Quirinus, vrbis Romæ.

Reticus

Reticus, Germaniæ: Riphei, Scythiæ: Rodope, Thraciæ. Scillaceum, Italiæ: Sygæum, Asiæ: Sipylus, mons inter Lydiam, & Phrygiam: Sithon, Thraciæ: Silanius, Hybernię: Somorus, Syriæ.

Tabor, Galileæ: Taburnus, mons in Samnio: Taygetus, Laconiæ: Tarpeius, vrbis Romæ Taurus, Scythiæ: Tetricus, Sabinorum: Tmolus, Ciliciæ: Tempe, Thessaliæ. Veseuus, Campaniæ.

MONTES FLAMMIFERI.

Aetna Siciliæ. Stat. lib. 5. Theb. Vbi ignifera fessus suspirat ab Ætna Mulciber. Luc. li. 1. et ardenti sere uilia bella sub Ætna.

Lypara, quæ est vna ex Æoliis insulis. Syllius lib. 14. Nã Lyparæ vastis subter depastu caminis Sulphureum vomit exeso de vertice fumum: Ast Ætna eructat tremefactis cauibus ignes.

Ænocauma, mons est æternis ardens ignibus. Plin.

Chimæra, mons Lycius. Pontanus: Oraque flammiuoma rutilent afflata Chimæra. Horat. Me nec Chimæræ spiritus ignæ Diuellet vnquam.

Vesbius, seu Veseuus. Valer. Flac. lib. 3. Arg. Vt magis Inarime, magis vt mugitor anhelat Vesbius.

HISTRIOGRAPHI PLERIQVE græci, & latini.

Ablabius Gothus scripsit de bello Gothorum.

Æliodorus, præsul Tricensis, quæ ciuitas est Thessaliæ, scripsit Æthiopicam historiam lib. 11.

Anastasius Lateranensis, scripsit historiam ecclesiasticam vsque ad sua tempora.

Andronicus, scripsit res Alexandri.

Antipater Iolai filius, & Philippi Macedonis miles, scripsit historiam Perdicæ, & res Illyricas.

Appianus Alexandrinus x x i i. libros historiæ Romanæ composuit, & gesta imperatorum.

Apollonius Aphrodiseus, scripsit res Carias, de Trallibus, de Orpheo, eiusque ministeriis.

Arrianus scripsit historiam Alexandri magni 11x. libris. emicuit Romæ sub M. Antonio, & Hadriano principibus: à quibus ob litteras consularem meruit dignitatem.

Asellius Sempronius, scripsit bellum Numantinum.

Ausidius Bassus, ætate Quinctiliani scripsit bellum Germanicum.

Bairon historicus, scripsit breuiarium rerum ab Alexandro gestarum.

Bemarchus Cæsarienſis, scripsit res gestas Constantini principis, libris decem.

Cadmus Milesius, scripsit historiam de Mileto, ac totius Ioniæ regione, libris 1 v.

Calinius Syrius, de gestis Alexandri: vt etiam Callisthenes Olynthius.

Callistus, scripsit heroico versu historiam Iuliani principis.

Charon Lampsacenus, ætate Darii primi scripsit Æthiopica libris duobus, Cretensia item, & Græcanica.

Charon Carthaginienſis, scripsit tyrannos quotquot in Asia atque in Europa fuere, item vitas clarorum virorum libris 1 v. Illustrium feminarum libris totidem.

Charon Naucratita, sacerdotes Ægypti, & reges, qui fuere ab initio in qualibet gente.

Capton Lycius, composuit historiam Isauricā lib. 11x.

Chœrilus Samius, scripsit Athenienſium victoriam contra Xerxem: & pro singulis versibus singulos stateres aureos recepit.

Clearchus Solensis scripsit de varia historia.

Clitarchus comes fuit Alexandri, qui eius gesta conscripsit.

Iulius Cordus, scripsit vitas imperatorum.

Crito Pieriota (ciuitas est enim Macedoniæ Pieria) scripsit res Persicas, Siculas, & Macedonicas.

Q. Curtius, scripsit de gestis Alexandri magni: sed opus eius mancum est, & imperfectum.

Damascius Sigiæus, scripsit de rebus in Græciæ gestis, præterea de parentibus eorum, qui ad Troiam profecti sunt, item de poetis & Sophistis.

Dares Phrigius, Græcè scripsit bellum Troianum, cui ipse interfuit.

Dexter Barcinonenſis, scripsit omnimodam historiam.

Dion Cassius, scripsit Romanam historiam libris x x c. præterea gesta Traiani principis, & vitam Arriani philosophi. Historiam eius integram non habemus.

Dion Prusiæus, scripsit de virtutibus Alexandri magni libros decem.

Diogenes Laertius, scripsit de vita & moribus Philosophorum.

Diodorus Siculus, scripsit historiam, quam bibliothecā inscripsit. Continet autem res Romanas, & Varias libris x L. Floruit Augusti sæculo.

Dionysius Milesius, scripsit res Persicas, & quæ post Darium secuta sunt.

Dionysius Halicarnassæus Augusti tempore Romanam scripsit historiam.

Egesippus scripsit historiam ecclesiasticam lib. quinq;.

Ephippius Cumæus, auditor Isocratis scripsit historiā ab excidio Troiæ, vsq; ad sua tempora libris x x x.

Ephorus Cumæus, scripsit Galeni principis historiam libris x x v 11. præterea Corinthiaca, & quædam alia.

Herodotus scripsit historiam libris nouem, ex numero, & nominibus Musarum, incipiens a Cyro Persarum rege.

Herodianus Alexandrinus, scripsit imperatorum historiam, quæ ad nos integra non peruenit.

Hesychius Milesius, composuit historiam libris sex, in quibus complectitur Romanorum imperatorum, tyrannorum, & diuersorum gentium res gestas, vsq; ad sua tēpora.

Euemerus Messanus, historiam finxit ex titulis & inscriptionibus sacris.

Eutropius Afer, discipulus Augustini, scripsit Epitomē Romanæ historiæ ab vrbe condita vsq; ad Valentem principem & Iouinianum.

Eustathius Epiphaneus scripsit temporum Epitomen ab Æneā vsq; ad Anastasium principem.

Eusebius, scripsit historiæ libros decem, de præparatione Euangelica, & Epitomen temporum.

Florus scripsit historiam Romanam succincta breuitate, item Epitomen in libros Liuii.

Fortunatus præsul Pictauensis, gesta sanctorum partim pedestri, partim soluta conscripsit oratione.

Gennadus Massilienſis, scripsit de Viris illustribus Theodosii tempore,

Ibicus Rheginus historicus, vixit apud Polycratem Samiorum tyrannum.

Hieronymus Rhodius, scripsit res gestas à Demetrio Poliorcete.

Ioannes Scilax, scripsit de imperatoribus Constantinopolitanis.

Iosephus Iudæus conscripsit Græcè antiquitatis Iudæorum historiam libris viginti, ab exordio mundi vsque ad XII. annum Domitiani. bellum verò Iudaicum cum Romanis gestum libris 7.

Irenæus præsul Lugdunensis historiam scripsit ecclesiasticam.

Isidorus præsul Hispalensis, scripsit de Viris illustribus, historiam præterea ab Adamo vsque ad sua tempora, & res Longobardorum, & breuem quandam cosmographiam.

C. Iulius senator res Romanas Græcè scripsit.

Iustus Tiberiensis texuit historiam rerum Iudaicarum.

Iustinus fecit epitomen in Trogum tanta styli felicitate, vt alienum propè inuentum sibi vendicaret.

Aelius Lampridius scripsit de gestis imperatorum ad Constantinum magnum.

Leo Bizantius, scripsit res Bizantii à Philippo gestas.

Leo Alabandæus, scripsit historiam de Caribus libris 4. De Liciis, duobus, Artem Rhetoricam, Bellum Phocensium, & Bœotiorum.

Liuius Patauinus, scripsit historiam Romanam.

Ammianus Marcellinus vitam quorundam imperatorũ.

Marius historicus, scripsit principum Romanorũ vitas.

Gargilius Martialis vitas imperatorum tempore Alexãdri principis, cuius vitam diligentius persecutus est.

Marsyas Pellæus, scripsit res Macedonicas libris 10. à primo rege vsque ad Alexandrum, item & de rebus Atticis libros II.

Melisandrus Milesius scripsit bellum Lapitharum, & Centaurorum.

Menechmus Sicyonius, scripsit historiam Alexandri magni.

Nicolaus Damascenus, scripsit historiam vniuersalem libris 70. & vitam Augusti separatim: apud quem in tanta fuit dignatione, vt imperator ipse Placentas ab amici acceptas vocaret Nicolaos.

Nymphis Heracleotes, scripsit historiam Alexandri, & eius successorum, libris XXIV. de Heraclea XIII. vsq; ad euersionem tyrannorum.

Onesicritus Alexandri incunabula & originem scripsit.

C. Oppius, commentarios Iuli Cæsaris continuauit, scripsitq; bellum Hispaniense.

Palæphatus Abydenus scripsit Cyprica, Attica, & Arabica.

Paulus Orosius, reliquit historiam ab initio mundi vsque ad Honorii principis tempora præscribens.

Paulus Foroliuiensis, historiam scripsit Longobadorũ.

Pausanias Cæsarienſis, scripsit vniuersæ Græciæ geographiam, cum eius historiis.

Pisandrus Larandæus, sub Alexandro Mammeæ scripsit variam historiam versibus & libris LX.

Pysistratus Larissæus, fuit historiarum scriptor.

Plinius Secundus, scripsit historiam naturalem, opus apprimè vtile, si careret mendis.

Plutarchus Cheronæus, scripsit vitas multorum illustrium virorum, item Apophthegmata, Parallellas, & alia plurima.

Polybius Scipionis Africani præceptor, scripsit Romanam historiam libris 40. quorum pauci ad nos peruenerũt.

Polemon Helladicus, scripsit de origine ciuitatum Phocidis, Ponti, Lacedæmoniæ geographiam, de cursu solis libros III.

Possidonius Olbiopolita, scripsit post Polybium historiam libris LIII. vsq; ad bellum Cyrenaicum, & Ptolemæi; præterea declamationes rhetoricas, & argumenta in ora-

tiones Demosthenis. Floruit ætate Strabonis.

Priscus Panites, magister epistolarum Theodosii iunioris scripsit historiam Constantinopolitanam & Athilæ, libris 8. præterea declamationes & epistolas.

Prosper, præsul Rheginus, scripsit de vita solitaria, de temporibus ab Adam vsque ad suum sæculum.

Prudentius quoq; historiam ab Adã carmine exorsus est.

Ptolemæus Lucensis, scripsit historiã pontificum vsq; ad Cælestinum quinctum, cuius tempore ipse floruit.

Pherecydes Lerius, scripsit de Clero, de Iphigenia, de Festis.

Philo Herennius Biblius genere, grammaticus scripsit de ciuitatibus, & viris claris, libros triginta.

Philochorus Athenienſis scripsit libros Attidis XVII. qui continet res Athenienſium, & reges, & magistratus, vsque ad Antiochum, Deum cognomento.

Philstus Syracusanus, propinquus, Dionysij tyranni scripsit res Siculas libris XII.

Phlegon Trallianus, libertus Augusti, scripsit historiam Olympiadum libris XVI. vsque ad Olymp. XXIX. de fastis Romanorum libros IV. item de nominibus locorum vrbis Romæ, & Epitomẽ Olympionicarum, libris duobus.

Festus Rufus scripsit Epitomen rerum Romanarum.

Sabinus Massurius, scripsit Fastorum & rerum memorabilium libros.

Crispus Sallustius scripsit bellum Catilinarium, & Iugurtinum, & Romanas historias instar Liuii, in quo opere citatur sæpenumero ab antiquis. de hoc Martialis. Crispus Romana primus in historia.

Secundus Tridentinus, scripsit Longobardorũ historiã.

Socrates Constantinopolitanus, historiam ecclesiasticam à tempore Apostolorum vsque ad Chrysostomum composuit.

Sozomenus, presbiter Pistorienſis, historiæ vniuersalis amplissimum edit volumen.

Stesimbrotus Tharsius, scripsit res gestas Cimonis ducis Athenienſium.

Suetonius Tranquillus vitas duodecim Cæsarum.

Theocritus Chius scripsit historiam Libycam & epistolas quasdam.

Theodorus Gothus scripsit historiam suorũ temporũ.

Theodorus Constantinopolitanus scripsit historiam ecclesiasticam à tempore Constantini vsq; ad Iustinianum.

Temistogenes Syracusanus historiã Cyri regis Persarũ.

Timæus Siculus, res Græcas & bellum Thebanum.

Traianus patricius sub Iustiniano principe scripsit temporum epitomen.

Thucydides Athenienſis patrem habuit Olorum, matrẽ Egesipylam. scripsit bellum Peloponnesiacum. fuit adeò studiosus inquirendæ veritatis historicæ, vt iis mercedem præberet, qui nuntiarent, quæ acta essent in bello.

Val. Antias, historicus plerunque citatur ab antiquis auctoribus.

Val. Maximus, scripsit dicta & facta memorabilia ad Tiberium Cæsarem.

Theophanes Lesbius scripsit res à Pompeio gestas.

Timagenes Milesius scripsit de Heraclea Ponti, & viris in ea claris libros tres.

Timosthenes, præfectus classis Ptolemæi Philadelphi, scripsit de Portubus libros decem.

Vincentius, ordinis prædicatorum, scripsit historiam vniuersalem, ab exordio mundi vsque ad Hierosolymitanam expeditionem Ludouici regis Gallorum.

Volcacius Gallicanus, scripsit vitas imperatorum ad Diocletianum.

Volcacius Terentianus, scripsit historiam Gordianorũ.

Xanthus scripsit historiam Lydorum libris IV.

Zeno Rhodius scripsit historiam Rhodiorum. fuit & alter Zeno, qui Pyrrhi gesta in Italia, epitomenque Romanorum & Carthaginienſium composuit.

Zonaras scripsit historiam vniuersalem ab exordio mundi vsque ad tempora Michaelis imperatoris Constantinopolitani.

Saxo grammaticus, ab hinc paucos annos scripsit historiam regem Danorum, magna verborum elegantia.

Robertus Gaguinus, historiam Gallorum regum, quem

nostra ætate imitatur Paullus Æmilius.

Boccacius scripsit de Casibus virorum illustrium.

Solinus de Mirabilibus mundi.

Blondus Foroliuiensis de Roma triumphante.

Sabellicus historiam vniuersalem ab exordio mundi ad sua tempora.

Volaterranus Geographiam, Antropologiam, & Philologiam.

Agathias Græcus historiam Franchorum.

Pontificum Romanorum historiam scripserunt Anastasius, Paulus Diaconus, Guido Rauennas, Sigisbertus monachus, Hugo Florianus, Sicardus præsul Cremonensis, Gotfredus Viterbiensis, Vincentius præsul, Martinus Carsulanus, Landulphus canonicus Carnotensis, Sozomenus, Geruasius Ricobaldus, Ptolemæus Lucensis, Antonius præsul Florentinus, Platina.

Vitas imperatorum scripsere Cor. Tacitus, Marius maximus, Iulius Cordus, Tranquillus Suetonius, Opratianus, Gargilius Martialis, Fabius Marcellus, Iul. Capitolinus, Ælius Lampridius, Flauius Vopiscus, Eutropius, Orosius. Ex Græcis Herodianus, Dion, Appianus.

GRAMMATICI.

ACron Grammaticus Horatium poetam enarrauit. Ælius Præconius grammaticus nobilissimus, orationes ad vnumquemque scribebat. hic Metellum Numidicum in exsilium comitatus est.

Ælius Melissus, librum edidit de loquendi proprietate.

Alexander Milesius, Polyhistor cognominatus, libertus Cor. Lentuli, grammaticus fuit, qui docuit Romæ Syllæ temporibus.

M. Popillius Andronicus scripsit opusculum annalium.

Andromachus grammaticus docuit Nicomediæ, Diocletiani tempore.

Appion Alexandrinus, Didymi magni alumnus, docuit Romæ Tiberii & Claudii temporibus. scripsit annales, & alia complura.

Apollodorus Atheniensis grammaticus, discipulus Panetii Rhodii & Aristarchi grammatici, scripsit historiam Athenienſium.

Apollonius Alexandrinus scripsit de compositione partium orationis.

Archimedes Trallianus scripsit mechanica & commentarios in Homerum.

Archibius Alexandrinus docuit Romæ sub Traiano principe, scripsit commentarios in epigrammata Callimachi.

Aristarchus Alexandrinus floruit sub Ptolemæo Philometore, cuius filium erudiit. scripsit commentarios supra mille. discipulus fuit Aristophanis grammatici.

Aristophanes Bizantius grammaticus discipulus fuit Callimachi.

Aristonichus grāmaticus Alexandrinus, scripsit in Theogoniam Hesiodi.

Arcadius Antiochenus scripsit nō nulla in grammatica.

Asclepiades Anazerbeius grammaticus, scripsit de fluminibus.

Asinius Pollio Trallianus, docuit Romæ tempore Pompeii magni, successit scholæ Timagenis, scripsit bellum ciuile Cæsaris & Pompeii.

Asinius Capito, grammaticus, reliquit librum epistolarum.

Callias Methymnæus, grammaticus, Alcei & Sapphus poemata enarrauit.

Spurius Carbilius, Romæ ludum grammaticæ aperuit, mercede docens. Idem G, litteram primus inuenit, quum pro ea C, littera prius vterentur.

Val. Cato, grammaticus, Romæ docuit multos, & nobiles, tempore Syllæ: tantumq; nominis sibi comparauit, vt sequentes versus in eius laudem vulgō prædicarentur; Cato grammaticus Latina Syrem, Qui solus legit & facit poetas.

Lutatius Daphnis, Quinct. Catuli libertus, professus Romæ.

L. Cæcilius, Epirota, Attici libertus, ludum grammaticæ Romæ aperuit, primusq; Virgilium, & alios nouos poetas cœpit profiteri. vnde Domitius Marsus: Indicat

Epirota tenellorum nutricula vatum.

Crates Malotes, æqualis Aristophanis, floruit sub Ptolemæo Philometore. scripsit in Homeri Iliada, & Odyssæam libros IX. commentariorum. primus studium grammaticæ Romæ intulit, eo ferè tempore, quo mortuus est Ennius.

Crassitius, cognomento Pasciles, Romæ ludum grammaticæ aperuit. docuit Iulianum Antonium, Antonii triumuiri filium.

Demetrius Ixion, Adramitenus, docuit Pergami. Discipulus fuit Aristarchi. scripsit enarrationem in Homerū. Dicæarchus Lacedæmonius, grammaticus, fuit Aristarchi auditor.

Dipymus Calchentorus, grammaticus Alexandrinus, scripsit libros sup. MMMD.

Dioscorius Mireus, grammaticus, præfectus fuit prætorii Leonis imperatoris, & præceptor filiorum eius.

Diomedes scripsit quædam in grammatica, quæ adhuc extant.

Diogenianus ex Heraclea, grammaticus sub Hadriano principe, scripsit dictionarium per ordinem litterarum, & quædam alia.

Dionysius Alexandrinus grammaticus, præfuit bibliothecæ, & epistolis Traiani, habuitq; præceptorem Chæremonem philosophum.

Domitianus insanus grammaticus in vrbe Roma, id cognomētū adeptus est, ꝙ esset intractabilis, & valde morosꝰ.

Donatus grammaticus, præceptor Hieronymi scripsit libellum, quem pueri habent in manibus, commentarios item in Terentium & Virgilium.

Demosthenes Thrax, grammaticus, Iliada Homeri, & Hesiodi Theogoniam in solutam vertit orationem.

Helladius grammaticus Alexandrinus, sub Theodosio iuniore scripsit lexicon ex ordine litterarum, item de laudibus Theodosii, & quædam alia.

Ennius grammaticus duos libellos de litteris & syllabis, ac metris conscripsit.

Epitherses Bithynicus, scripsit de Atticis dictionibus.

Heracleon Ægyptius, docuit Romæ, scripsit enarrationem in Homerum, & Lyricos.

Herodianus Alexandrinus, grammaticus, Apollonii grāmatici filius, & discipulus, floruit sub M. Antonio principe. scripsit de grammatica & imperatorum historiam.

Hermolaus Constantinopolitanus grammaticus scripsit ad Iustinianum imperatorem epitomen in librum Stephani grammatici de Vrbibus.

Eugenius Phrysius, docuit Constantinopoli, imperante Anastasio.

Verrius Flaccus, Romæ docuit Augusti nepotes. professus est in atrio domus Catilinæ tanta omnium beneuolentia, vt statuam meruerit.

Aul. Gellius, tempore Traiani scripsit noctes Atticas. Fauorinum maximè coluit.

Hyperechius Alexandrinus grammaticus, sub Martiano imper. scripsit de Verbis, & Nominibus, & Orthographia.

C. Melissus Spoletinus, à Mæcenate ob ingenium libertate donatus est.

Mithecus grāmaticus scripsit de Obsoniis & de Canibꝰ.

Moschus grammaticus scripsit carmen bucolicon.

Nestor Alexandrinus grammaticus, Marcellum Augusti sororis filium erudiit.

Nicias grāmaticus docuit Romæ, fuitq; familiaris Pompeio & Ciceroni.

Orbilius Beneuentanus profitebatur Romæ Ciceronis tempore, vir in discipulos plagosus.

Pacatus Minutius, scripsit de lingua Alexandrinorum, item de proprietate Atticæ & Doricæ linguæ.

Palamedes Eleates scripsit de Tragicis & comicis dictionibus, & commentarios in Pindarum.

Rhemnius Palemon, professus est Romæ sub Tiberio & Claudio principibus.

Pāphilus Sicyoniꝰ, scripsit de pictura, & clarisꝰ pictoribꝰ.

Pamphilus Alexandrinus scripsit dictionarium, quod vocauit Pratum.

Papias scripsit dictionarium Latinū ex ordine litteratū.

Pausanias Cæsariensis scripsit de constructione.

uixit Romæ Hadriani principis tempore.

Paucratita grammaticus docuit Athenis sub Commodo principe, ad quem scripsit Onomaticon libris x.

Pompeius Leneus, Pompeii magni libertus, scripsit de herbis & plantis.

Priscianus Cæsarienſis, claruit Athenis tempore Iustiniani principis. scripsit de arte grammatica ad Iulianum consulem, & ad Cosroem, Persarum regem, de naturalibus quæstionibus.

M. Val. Probus Romæ docuit. scripsit siluam obseruationum Latini sermonis.

Philetas Cous grammaticus fuit admodum Criticus, tempore Philippi & Alexandri, præceptor Ptolemæi Philadelphi. scripsit elegias & epigrammata.

Philoxenus Alexandrinus, Romæ scripsit de verbis monosyllabis & de Græcismo, & de genere linguarum.

Scribonius discipulus Orbilii, docuit eodem tempore, quo Verrius.

Sophocles grammaticus enarrauit Lycophroné & quosdam alios poetas.

Sosibius grammaticus fuit Laconicus.

Telephus Pergamenſis scripsit ferè omnia, quæ ad grammaticam pertinent; inter cetera collationes Epitherorum unicuique rei congruentium ad paratam elocutionis copiam.

Terentius Scaurus floruit Hadriani temporibus, scripsitque librum de Cæselij vindicis erroribus.

Timagenes Alexandrinus, sub Pompeio magno captiuus, Romam ductus, emptus est a Gabinio. docuit Romæ vsque ad Augusti tempora.

Timotheus Gazeus floruit ætate Anastasij principis.

Tyrannion docuit Romæ ætate Magni Pompeij. habuit tria librorum millia in bibliotheca.

Thryphon Alexandrinus, Augusti tempore scripsit de Copia orationis, de Orthographia, & quædam alia.

Verrius Cloacius scripsit de verbis Græcis.

Volcacius Epidius Grammaticus, scripsit res gestas Pompeij Magni, & eius patris. Iudum aperuit, docuitq; e M.

Antonium & Augustum.

Zenodotus Ephesius docuit filios Ptolemæi primi, ac præfuit Alexandrinæ bibliothecæ: primus, qui Homeri libros correxit, & in ordinem redegit.

Nicanor Alexandrinus grammaticus scripsit de punctis & dictionibus, quibus vtimur in scribendo.

Inter neotericos numerantur Seruius, Valla, Nebrissenſis, Nicolaus Perottus, Calepinus, Torrentinus, Bebelius, & Despauterius, & bonæ (si dijs placet) doctrinæ Alexander Theopagita.

ORATORVM QVORVNDAM NOMINA.

Actius Pisaurienſis; Acatius è Cæsarea Palæstinæ, sodalis Libanij sophistæ; M. Aemilius Lepidus; Aeschines Atheniensis; Sp. & L. Albini Mumii filii; C. Albutius Silus, Nouarienſis; Alexander Ephesius; Anaximenes Lampsacenus, discipulus Diogenis Cynici, præceptor Alexandri magni, & in expeditionibus comes; Andocides Athenienſis Leogori filius; Antipho Rhamnusius, qui Athenis præcepta dicendi tradidit; M. Antonius auus triumuiri; Aristides Athenienſis; Aristogiton Atheniensis impudens, qui scripsit apologiam ad Demosthenem ducem contra Thimotheum, ad Lycurgum contra Timarchum, & contra Hyperidem; Asinius Pollio, Augusti amicus, qui declamationes suas nunquam populo commisit, uir alioqui nasutiore iudicio: carpebat enim in Liuio Patauinitatem, in Cæsaris commentariis infidelitatem, in Sallustio uerba obsoleta, in Cicerone stylum nimis exanguem, & elixum. Hic primus Romæ Bibliothecam publicauit.

Licinius Caluus; Carbones duo; Charisius Athenienſis filius sororis Demosthenis, qui multas scripsit orationes Attico genere; Cassius Seuerus eloquentissimus in agendo, sed minoris multò uirtutis in declamando; Q. Lutatius Catulus Marii collega in consulatu; M. Cœlius Ciceronis discipulus, acri turbulentoq; ingenio; Cephalus Athenienſis, qui primus proœmia & epilogos induxit; C. Cæsar; M. Corn. Cethegus; P. Cor. Cethegus; Cyneas

legatus Pyrrhi; Cleon Halycarnassæus; Cleomachus Magnesius; Clodius pulcher; Clodius Quirinalis; Cordus Cremutius declamator; C. Cotta pressus in dicendo, in cuius oratione nihil erat nisi sincerum, nihil nisi siccum & sanum; L. Crassius, in quo, teste Tullio, erat cum grauitate iunctus facetiarum & vrbanitatis lepos; Curiones tres continua serie in vna familia.

Demades Athenienſis; Demetrius Phalereus auditor Theophrasti; Demochares nepos Demosthenis; Dexippus Herennius Athenienſis; Domitius Afer; Demosthenes Athenienſis. hic quum multitudinem & tumultum in theatro expaueſceret & excideret mente, prope ſonitum litoris marini aſſueſcebat dicere: litteram R. difficile enũtiabat, quam calculis in os coniectis pronuntiare conabatur. nunquam dicebat niſi præmeditatus. propterea Pytheas dicebat Demosthenis Enthymemata lucernã olere.

Egeſias Magneſius; Epicrates Athenienſis, qui barbam ad pectus propenſam ſolebat ferre; Hermagoras rhetor, qui ſcripſit de Rhetorica libros v i. de diligẽtia orationis, de decoro, de elocutione, de figuris; Herodes Atticus; Eudemus præceptor Philippomenis.

Sergius Galba temporum ſuorum eloquentiſſimus; L. Gellius; Caius & Tiberius Gracchi; Gregorius Niſſenus.

Hiperides Athenienſis æmulus Demosthenis.

Iſocrates Athenienſis, dulcis, & numeroſus in dicendo; Iſeus Aſyrius; Iſocrates Amyclas; Iulius Africanus, concitatus, & in cura verborum nimius.

Latro Porcius; Cn. Lentulus; P. Lentulus; C. Lælius; Lyſias Syracuſanus, æqualis Demosthenı.

L. Magius, T. Liuii gener; L. Manlius Torquatus; Marcellus Pergameus, qui ſcripſit librum de regno, quem Hadriano principi nuncupauit; Marius Aterius declamator; Marinus Neapolitanus, Proeli diſcipulus; Melitus Athenienſis æmulus Periclis in rep. Menippus Stratonienſis, præceptor Ciceronis; Metellus Macedonicus; Meſſallæ duo; Montanus Narbonenſis, relegatus à Tiberio principe; Q. Mucius Scævola iuriſcõſultorum eloquentiſſimus.

Nicoſtratus Macædo æqualis Ariſtidi; Numius, qui

ſcripſit ad Hadrianum orationem conſolatoriam de Antinoo; Oneſimus Cyprius, qui tempore Conſtantini magni ſcripſit in Rhetorica, item de ſtatuum differentia, præexercitationes, & declamationes; Q. Hortenſius.

Pericles Athenienſis, quem veteres poetæ Olympum vocabant, quòd tonare in concionibus videretur, & fulminare; M. Calpurnius Piſo; Pyſiſtratus Athenienſis; Pytheas Athenienſis; Plato; L. Numacius Plancus; Plocius Gallus; Polyænus Sardianus; Cn. Pomponius; Potamon Mitylenæus; Procopius; Pherecydes Syrus; Philoſtratus ſenior; Philiſthus Mileſius, Iſocratis diſcipulus, q ſcripſit de Rhetorica, & orationes nõ nullas; L. Philippꝰ. Quinctilianus rhetor, qui inſtitutiones oratorias ſcripſit.

Virginius Rufus; Rutilius geminus, qui fecit libros pontificales.

Clodius Sabinus declamator; Serapiõ Alexãdrinus, qui ſcripſit orationes in genere deliberatiuo; Symmacus R. L. Siſenna R. Sophron Syracuſanus; P. Sulpicius.

Corn. Tacitus; Theodectes Cilix; Theopompus Gnidius; Theodorus Gadareus; Sex. Titius; Titianus, præceptor Maximini principis, qui ſcripſit libros prouinciarum. hic vocatus eſt ſimia ſui temporis, quòd omnia probè imitaretur; Trachalus; M. Tullius Cicero pater eloquẽtiæ R. Q. Varius; Varus Geminus declamator, qui Cæſari diciſſe fertur: Cæſar, qui apud te audent dicere, magnitudinem tuam ignorant; Qui non audent, humanitatem. Zenodotus Adramytenus.

Vide aliorũ nomina apud Ciceronẽ de perfecto oratore.

DE POETIS GRÆCIS, ET LATINIS.

Pẽtrus Crinitus homo non pænitenda, neque aſpernabili doctrina, iam ſcripſit opuſculum de Latinis poetis, doctè ſatis, & eruditè. propterea ne acta age re videamur, in compendioſum redigemus epitomen, quòd multis ille verbis conſecutus eſt. Latinis demum adiiciemus Græcorum nomina.

Liuius Andronicus Epicus poeta Latinas fabulas primus docuit Romæ annis CLX. poſt obitũ Sophoclis & Euri

pidis, secundo bello Punico. eius carmina per urbem decantarunt uirgines ad iram deorum placandam. Gesta populi Rom. XIIX. libris complexus est. scripsit & hymnos deorum.

Ennius poeta, natus Rudiis Salentinorum oppido, Romam uenit ætate M. Plauti, & M. Catonis oratoris clarissimi. dicebat tria esse sibi corda, quòd Græcam linguam, Oscam, & Latinam calleret. domum habuit in Auentino colle. uixit parco & tenui uictu, contentus unius ancillæ ministerio. scripsit libros Annalium, Satyras, Comœdias, & Tragœdias. Nomina quarundam fabularum eius sunt: Telephus, Ambracia, Eumenides, Alcmeon, Andromacha, Thyestes, Medea, Phœnix, Telamon, Hecuba, Achilles, Pancratiastæ, Epicharmus, Ctesiphon. Idem in Latinum sermonem transtulit Euhemerum poetam Græcum. Primus apud Latinos coronam ex Helyne assumpsit. procliuis fuit in pocula. Scipionem Africanum maximè coluit, mutuaq; ab eo beneuolentia redamatus est, ut iam docuimus. mortuus est articulari morbo, septuagenario maior, sepultusq; est in monumento Scipionis.

M. Plautus natus est in urbe Vmbriæ, cui nomen Sassina. operam primùm pistori locauit ad comparandum victũ in agendis molis illis, quas trusatiles vocant. composuit in ipso pistrino quasdam fabulas. eius x x v. comœdiæ numerantur à veteribus, cum paucis aliis. secutus est Græcos Demophilum, Philemonem, & Epicharmum Siculum, scribendi elegantia claruit in tantum, vt Epius Stolo dixerit Musas Plautino sermone fuisse locuturas, si Latinè loqui voluissent. Volcacius Sedigitus de ordine Comicorum scribens primas tribuit Cæcilio, Plautum ceteris omnibus præponens. Mortuus est paucis annis post Ennium.

Cn. Nævius comœdiographus patria fuit Campanus. Tertius in ordine Comicorum ponitur à Volcacio. stipendia fecit bellis Punicis. eius volumen Octauius Lampadio grammaticus diuisit in v i i. libros. scripsit præter Punicum bellum Tragœdias & Comœdias. Nimia in carpendis hominum, præcipuè Metellorum vitiis, vsus est licentia, propterea

propterea ob immoderatam verborum petulantiam conjectus est in vincula. mortuus est Vticæ, quum factione nobilium Roma fuisset eiectus.

M. Pacuuius nepos Q. Ennii, fuit ex Brundisio Calabriæ vrbe. secutus est amplum ac sonorum dicendi genus, clarissimus grauitate sententiarum, verborum pondere, & auctoritate personarum. Nomina tragœdiarum eius sunt Peribœa, Hermiona, Atalanta, Iliona, Antiopa, Teucer, Medea. Citatur etiam in Chryse, Oreste, & Armorum iudicio. Senior fuit Accio, docuitque iisdem ædibus, quibus Actius ipse. Mortuus est Tarenti propè nonagenarius.

Statius Cæcilius natus in Gallia, principem inter Comicos locum, iudicio Volcacij sibi meruit. vixit summa familiaritate cum Ennio. amatus est etiam à Terentio. scripsit comœdias x x x. & amplius, quarum hæ præcipuè citantur: Nauclerus, Syracusæ, Pausimachus, Hippobolymeus, Epiclerus, Cratinus, Plocius, Asotus, Ephestion, Fallacia, Andria, Annales, Fenerator, & quædam aliæ. Mortuus est vno anno post Ennium.

Attius Tragœdiographus iunior Pacuuio, natus est parentibus libertinis, Marcino & Serano consulibus. Decius Brutus tanti eum æstimauit, vt eius versibus templa & monumenta ornauerit. Idem quũ Pacuuio suam Atreũ ostendisset, & ille laudasset quidem, sed tamen dixisset, quædam videri sibi duriuscula, & subacida: Attius verum esse confessus est, nec tamen se propterea pœnitere: quoniam idem fermè ingeniis solet accidere, quod pomis, quę dura admodum & acerba nascuntur, post fiunt mitia & matura. Ceterùm Attius imaginem suam collocauit in æde Camœnarum prægrandi forma, quum tamen esset statura admodum breui.

Terentius Comicus patria Carthaginiensis Romã puer ductus, diligentia Terentii Lucani patroni accuratè liberalibus disciplinis eruditus est, ac propter ingenium ab eodem manumissus. amauit Statium Cæcilium, cui & suas comœdias recitauit. sex autem composuit, quas ab Apollodoro & Menandro Græcis in sermonem Latinum conuertit. tanta in fabulis vsus est arte, vt neque ad tragicam ma-

gnitudinem intumescat, neque abiiciatur ad historicam. sunt qui dicant eum periisse in Arcadia dolore amissarum comœdiarum.

Lucullus Satyrographus, ex Arunca urbe Italiæ, fuit primus apud Rom. qui cœpit scribere Satyras, quibus maximè insectatus est Rutilium Lupum, Carbonem, & L. Tubulum. scripsit Satyrarum libros 30. & amplius. vocatur ab Horatio lutulentus. Hadrianus tamen eum omnibus Satyrographis præponebat. Metrophanē seruum habuit, cuius fidem commendauit in Satyris. Mortuus est Neapoli, quum annum ætatis LVI. impleuisset.

Sex. Turpilius comœdiographus, floruit sęculo Terentii, cuius familiaritate vsus est. septimum locum inter comicos meruit iudicio Sedigiti. periit in vrbe Sinuessana iisdem temporibus, quibus natus est Furius Bibaculus.

Cn. Matius Mimographus scripsit opus versibus hexametris de Iliade; præterea Mimos, quorum hi citantur: Iam tonsiles tapetes ebrii fuco, Quos concha purpura imbuens venenauit. Item: Sinu amicam reficere frigidam caldo, Columbatim labra conferens labris, Quapropter edulcare conuenit vitam, Curasque acerbas sensibus gubernare.

L. Afranius Comicus Romæ floruit Terentii ætate. scripsit Togatas fabulas, in quibus primum obtinuit locū. imitatus est Menandrum, à quo & multa sumpsit. culpatur à Quinctiliano, quòd in suis argumentis amores proprios paullò impudentius vulgauerit.

Fabius Drosenus numeratus est inter comœdiographos.

M. Atilius fuit tragœdiographus, quem Licinius scriptorem ferreum appellauit.

Q. Trabeas octauum locum obtinuit inter Comicos auctore Volcacio. Ex eius versibus hi præcipuè commendantur: Lena delinita argento nutum obseruabit meum, Quid velim, quid studeam. Aduenienis digito impellam januam, Fores patebunt: de improuiso Chrysis ubi me aspexerit, Alacris obuiam mihi veniet, complexum exoptans meum. Mihi se dedet, fortunam ipsam anteibo fortunis meis.

Cn. Aquillius comœdiographus, plerasque comœdias

transtulit à Menandro.

Licinius Imbrex fuit comœdiographus, cuius hi afferūtur versus: Nolo ego Neeram te vocent, sed Nerienen, Quum quidem Marti es in connubium data.

Q. Nonius scriptor fuit Atellanarum.

T. Lucretius eques Mimographus, floruit ætate Cæsaris. in suis Mimis habuit non minus sententiarum, quàm lepiditatis, quos egit non nisi in magna hominum turba.

Q. Catullus scripsit epigrammata. fuit animo facili & procliui ad amores, & delicias. amatus est à Cor. Cotta, & L. Crasso propter elegantiam ingenii, & morum suauitatem. amauit Roscium & Theotimum puerulos, quorum formam suis versibus commendauit.

Q. Atta scriptor fuit togatarum. periit Romæ, sepultusq; est in via Prænestina.

Publius Syrus edidit mimos. floruit ætate Ciceronis. manumissus est à domino propter gratiam & decorem formæ. Iulius Cæsar mimos eius Laberianis prætulit. Præcipuè eius sententiæ citantur istæ: Tam deest auaro quod habet, quàm quod non habet. Desunt luxuriæ multa, auaritiæ omnia. O vita misero lōga, felicibus breuis. pars beneficij est, quod petitur, si bellè neges. Beneficium dando accepit, qui digno dedit. Cui plus licet quàm par est, plus vult quàm licet. Feras, non culpes, quod vitari non potest. Furor fit læsa sæpius patientia. Malum consilium est, quòd mutari non potest. Nunquā periculum sine periculo vincitur. Comes facundus in via pro vehiculo est. Heredis fletus sub persona risus est. Ita amicum habeas, posse vt hūc fieri inimicum putes, Improbè Neptunum accusat qui iterum naufragium facit. Veterem ferendo iniuriam inuitas nouam.

Porcius Licinius fuit epigrammatista. ex eius versibus sequentes probantur maximè: Custodes ouium teneræq; propaginis agnū Queritis ignem? ite huc. quæritis? ignis homo est. Si digito attigero, incendam siluam simul omnē: Omne pecus flamma est: omnia quæ video.

Val. Ædituus scripsit epigrammata. amauit Pamphilā, & Philerotem, quas suis celebrauit carminibus.

Q. Val. Catullus natus est Veronæ, Terentij Varronis ætate. scripsit de passere suę Lesbiæ ad Virgilium. celebrauit nuptias Mallii. amauit Ipsithillam & Clodiam, quæ ficto nomine Lesbiam vocat. opus suum misit ad Cor. Nepotē, quod in tres partes diuiditur, in Lyricos, Elegiacos & Epigrammata. Elegiam de coma Berenices ex poeta Callimacho conuertit in numeros Latinos. Præter ea, quæ habemus, scripsit etiam Amatorium carmen de incantamentis, & carmen Ithyphallicum. Cæsarem, Mamurram, & Nouium Strumā suis versibus maximè infectatus est. Mortuus est Romæ anno circiter trigesimo.

Cor. Licinius Caluus fuit breui statura & exiguo corpore. amauit puellam Quinctiliam. excelluit in scribendis Iambicis. inimicitias aliquandiu exercuit cum M. Tullio super eloquentiæ principatu.

Q. Cornificius epigrammatista floruit ætate Sallustij. versatus est in militia, in qua quum milites ignauos ad subeunda belli discrimina, galeatos vocasset lepores, ab iisdē interfectus est.

Ætate Cornificii floruit Heluius Cinna scriptor epigrammatum. scripsit opus titulo Smyrnæ, in quo nouem annos consumpsit.

M. Furius Bibaculus natus Cremonę, versatus est in carmine Iambico. amicos habuit Gallum poetam & Valerium Catonem.

Terentius Varro Atacinus, natus est temporibus Ciceronis & Hortensij. scripsit Argonautica, secutus Apollonium Rhodium, quod opus libris 4. absoluit. scripsit etiā Epigrammata, & carmen Elegiacum, in quo decantauit puellam nomine Leucadiam, quam præcipuè dilexit.

Ticida scripsit Epigrammata tempore Val. Catulli. amauit Metellam, quam mutato nomine vocauit Perillam.

Furius Antias composuit Annales versibus hexametris. utebatur quandoque verbis nouis, vt indicant sequentes eius versus: Sanguine diluitur tellus, caua terra lutescit, Omnia notescunt tenebris caliginis atræ, Increscunt animi, virescit vulnere virtus, spiritus Eurorum virides quum purpurat herbas: Quo magis in patriis possint opu-

lescere campis.

L. Iulius Calidius poeta Romæ claruit ætate Pomponij Attici.

Laurea Tullius M. Tullij libertus, scripsit epigrammata. Quædam eius carmina citantur à Plinio.

Virgilius Maro natus est Mantuæ in vico, qui Andes vocatur, idibus Octobris M. Crasso & Cn. Pompeio consulibus. Cremonæ primùm, deinde Mediolani, postremo Neapoli vacauit litteris, audiuitq; Orbilium & Scribonium Aphrodisium. Induit virilem togam eo die, quo mortuus est Lucretius. A modestia & verecundis moribus vocatus est Parthenias, In Bucolicis imitatus est Theocritum, in Georgicis Hesiodum, in Æneide Parthenium, Pisandrum, Apollonium Rhodium, sed præcipuè Homerum. Idem scripsisse fertur quædam opuscula, vt Cyrin, Ætnam, Moretum, Culicem, Catalecton, Priapeia, Copam, Epigrammata, & Diras. Eius carmina mirum in modum placebant Augusto. Fabius vocat eum poetarum omnium longè principem. Carbilius tamen grammaticus librum composuit de Virgilianis erroribus, cui titulus fuit Æneidomastix. Moriens iusserat Æneidem suam comburi vt incastigatam: sed obstitit Augustus tantæ litterarum iacturæ. Amauit Asinium Pollionem, Corn. Gallum, Quinctilium Varum, Horatium, & Mæcenatem. Eidem in theatro recitanti vniuersus populus Roma assurrexit perinde ac Augusto. Habitauit in Esquiliis prope hortos Mæcenatis. Tardus fuit in loquendo, adeò vt indoctus videretur, & agrestis. Petiit Tarenti, vel, vt alii volunt, Brundisij. Mortui cadauer delatum est Neap. ibique sepultus est.

Q. Horatius Flaccus natus est in Venusio, Apuliæ oppido, patre Libertino, duobus annis ante coniurationem Catilinæ. puer dedit operam Orbilio Beneuentano. prouectior factus Athenas se contulit, vt philosophiæ vacaret. moribus fuit impudicis, natura in iram propensa, sed tamē facilè placabili. tribunicium Romæ adeptus est dignitatē. præter ceteros coluit Mæcenatem, à quo plurimùm etiam amatus est. Composuit libros carminum 1 v. Epodon, & Seculare carmen, libellum de Poetica, duo Satyrarum ac

totidē epistolarū volumina. In Satyris imitatus est Lucilium. Eius carminibus sūmè oblectabat Ouid. Statura fuit breui, corpore obeso, oculis lippis. mort. est āno LVII. ætatis suæ.

T. Valgius Romæ natus scripsit elegias.

Albius Tibullus natus est etiam Romæ, Hircio & Pansa consulibus. parentes habuit ex equestri ordine. forma fuit elegāti. maximè amatus est à Messalla Coruino, cuius etiam laudes celebrat. amauit etiam Horatium & Macrum; præterea Marathum & Cherintum puerulos, vt Deliam, Sulpiciā, Neerā, Nemesim & Plaucia, quā ficto nomine vocauit Deliā. scripsit elegiarū libros 9. Obiit adhuc iuuenis.

M. Manilius Romæ natus imperante Augusto, studium posuit in mathematicis disciplinis. scripsit libros 5. de astronominis carmine hexametro, in quibus Hipparchum, Eudoxum, & aratum secutus est.

Cor. Gallus patria Foroliuiensis fuit Elegiographus. Augusti fauore conscendit ad gradum præturæ. Euphorionem Græcum in sermonem Latinum transtulit. scripsit IV. libros Amorum suorum de Cytheride. fuit primùm amicus Octauii. postea tamen suspicione coniurationis, quā in eius odium impegisset, consciuit sibi mortem, anno ætatis suæ XLIII. Cytheridem Volumnii libertam, quam dilexit; mutato nomine vocauit Lycorim.

Sex. Aurelius Propertius ex Meuania oppido Vmbriæ oriundus, quum patrem puer amisisset, Romam se contulit, vbi propter ingenium statim amatus est à Cor. Gallo & Mæcenate. magnam in eligiis laudem promeruit, quarum IV. lib. edidit. Hostiam puellam affectu dilexit incredibili, quam ficto nomine Cynthiam appellauit. In suis operibus secutus est Callimachum & Philetham Græcos. Mortuus est anno ætatis suæ. XLI.

L. Varius poēta Epicus maximè præstitit in scribendis tragœdijs. eius Thyestem laudat Cor. Tacitus. unus fuit eorum, quibus Octauius curam imposuit emendandæ Aeneidis Virgilianæ.

C. Mecenas è regibus Etruscis oriundus scripsit Tragœdias & alia varij generis poemata. gratissimus fuit Octauio, & omnibus poetis. fuit molli animo, & vestibus so-

lutis, nimiùmque sinuosis, & fluentibus, non sine mollitiei suspicione. scripsit tragœdiam Prometheum, & elegias complures. Laudatur hoc eius carmen de contemnendo sepulcro: Nec tumultum curo, sepelit natura relictos. Hortos habuit pulcherrimos in Esquilis. obiit ætate satis matura.

Ouidius Naso natus est in Sulmone Pelignorum oppido Aprili mense, eodē die, quo Tibullus. puer adhuc quum magnopere procliuis esset ad carmen, ad oratoriam facultatem à patre diuerti non potuit, nisi per quædam intervalla. Tres habuit vxores: primam in adolescentia dimisit & cum ea diuortium fecit: secundam parum stabili connubio sibi coniunctam maturè dimisit: tertia fuit Perilla, quam maximè omnium dilexit, & in Arte poetica docuit. Scripsit varia poematum genera. in Metamorphosi secutus est Parthenium Chium poetam. Scripsit sex Fastorum libros, quos ad Germanicum Drusi filium misit. idem tamen ait duodecim se cōpositos, de amoribus libros tres, libros Artium amandi & Remediorum; præterea in Ibin, de obitu Drusi, epigrammata, opus de natura piscium, & quædam alia. Scripsit & Tragœdiam, Medeam nomine. Relegatus est ab Augusto in Pontum, vel propter libros de amoribus, quòd lasciuiores essent, vel propter adulteriū cum Iulia imperatoris filia. Versatus est in exsilio annos VII. & amplius, in quo tantum gratiæ apud barbaras gentes sibi meruit, vt in eius obitu Getæ & Tomitani lacrymas cohibere nequiuerint. Quum Geticum sermonem & Sarmaticum didicisset, poemata scripsit Getica lingua. Mortuus est in exsilio.

Cassius Seuerus, patria Parmensis, scripsit Elegias, & Epigrammata.

Domitius Marsus, scriptor fuit epigrammatum. idem composuit bellum Herculis contra Amazones. dilexit Melenem puellam, quam suis celebrauit operibus.

Iulius Montanus scripsit poemata versibus hexametris, & pentametris. nō nullli eius versus citātur à Crinito.

C. Germanicus Augustus, Drusi filius, Græcas comœdias reliquit, & opus Arati de rebus cælestibus Latinum

à cit. nomen meruit à Germanis deuictis. auctor fuisse fer-
tur sequentis Epigrammatis de puero Thracensi: Thrax
puer à stricto glacie dum luderet Hebro, Frigore concre
as pondere rupit aquas: Orba quod inuentum mater,
dum conderet vrna, Hoc peperi flāmis, cetera dixit, aquis.

Cæsius Bassus, relatus est inter poetas Lyricos. floruit ætate Caudij principis. scripsit aliquot libros vario, & multiplici carmine. amauit Ouidium, & Persium. con-
flagrauit in villa sua ardente Vesuo.

Aemilius Macer, Veronensis, floruit ætate Messallæ Coruini. scripsit opus de bello Troiano, libros de Vene-
natis animantibus, & de Herbis, secutus Nicandrum poe
tam Colophonium. obijt in Asia paucis annis post Virg.

C. Rabilius poeta Epicus Satyras scripsit.

L. Anneus Seneca Hispanus patria Cordubensis scri-
psit tragœdias x. Euripidem, & Eschilum imitatus.

C. Asinius Gallus, Asinij Pollionis uiri consularis filius fecit Epigrāmata, & carmen de Pomponio grammatico, di
lexit Hippolytū puerū. interfectus est à Tiberio principe.

Aulus Persius Flaccus, natus est Volaterris oppido Etru
riæ. Floruit imperante Domitio Nerone. In grammatica præceptorem habuit Rhemnium Palemonem, in rhetori-
ce Flauium Virginium. probis fuit moribus, & egregia vitæ integritate. composuit sex Satyras, in quibus testi-
monio Martialis maiorem promeruit laudem, quàm Mar-
sus in tota sua Amazonide. In his imitatus est Lucilium, Mortuus est non dum completis annis xxx.

Cor. Seuerus poeta Epicus versatus est etiam in agen-
dis declamationibus. scripsit opus de bello Siculo, quod non absoluit, propter obitum importunum. fecit etiam carmen de Ætna monte. uersus eius de obitu Ciceronis citantur à Crinito.

M. Anneus Lucanus, natione Hispanus, patria Cordu-
bensis, natus est Cæsare Germanico, & L. Cæsiano con-
sulibus. patrē habuit Anneum Melā, præceptores Rhem-
nium Palæmonem, & Flauium Virginium, sub quibus tan
tum profecit, vt Græcè ac Latinè declamaret. condisci-
pulos habuit Saleium Bassum, & Persium. prouectus est

ad dignitatem quæsturę, & in augurum collegium adscitus. vxorem habuit Pollam Argentariam, nobilem eruditione & doctrina. præter opus de Bello Cæsaris & Pompeij, scripsit etiam Saturnalia, Siluarum libros, decem, tra-
gœdiam Medeam, de incendio vrbis, de incendio Troiæ cum Priami calamitate. tres primos Pharsaliæ libros emen
dauit cum vxore, reliquos emendaturus, si per Neronem licuisset, cuius mandato venas medico secandas præbuit, quum annos xxx. non dum attigisset.

Pomponius Secundus scripsit tragœdias. C. Plinius duos libros composuit de eius vita & moribus. gratissi-
mus fuit Germanico.

Cn. Getulicus scripsit Epigrammata. amauit Cesen-
niam puellam.

Sextilius Hæna natione Hispanus, patria Cordubensis, scripsit inter alia carmen de laude & interitu M. Tulij

Saleius Bassus ingenium exercuit in scribēdis Heroicis carminibus. Modica fuit facultate.

Clōdius Sabinus Elegiographus primum tempus posuit in causis & declamationibus. scripsit opus de bello Troia-
no, & aliquot epistolas. perijt immatura ætate.

C. Pedo Albinouanus, floruit sub imperio Neronis. scripsit Epigrammata. Ouidium maximè dilexit.

Volcacius Sedigitus librum composuit de poetis Lati-
nis, senarijs versibus.

Pub. Statius Papinius heroicus poeta patrem habuit Papinium ob uirtutes Neapoli donatum, in qua vrbe na-
tus est Statius: vxorem habuit Claudiam doctam & eruditam. scripsit Thebaidem libris x i i. nuncupatam Cæsari Domitiano, in quo opere secutus est Antimachum. scri-
psit & Achilleidem, & Siluarū libros v. Domitianus eum magnificis interdum conuiuiis excepit, insigniq́ue coro-
na & alijs donauit muneribus. Filium ami sit in ætate ad-
huc tenera, cuius interitum defleuit. mortuus est ætate iam prouecta.

Sillius Italicus, ex Hispania oriundus, natus est Ro-
mæ, & educatus. factus est proconsul Asiæ. gratissimus fuit Domitiano, cuius fauore ad tertium consulatum per-

ductus est. Virgilij natalem quotannis celebrabat. opus composuit de secundo bello Punico libris decé & septem. prædium habuit in agro Neapolitano, in quo nonnunquam feriabatur. septuagenario maior seipsum interfecit dolore claui cuiusdam insanabilis.

Val. Setinus Patauinus, iuxta Aponam natus, scripsit Argonautica ad Cæsarem Domitianum, multò plura scripturus, nisi immatura morte correptus fuisset. imitatus est Apollonium Rhodium. censu fuit mediocri. amauit Amazonicum puerum.

Decius Iunius Iuuenalis patria fuit Aquinas. natus est patre libertino. floruit imperante Domitiano. præceptorem habuit Frontonem grammaticum. operam dedit scribendis Satyris, & carpendis hominum vitijs. mutuo amore coluit Martialem.

Arruntius Stella natus est familia consulari. floruit eo tempore, quo Flauij Cæsares Romæ imperarunt. Violantillam puellam Neapolitanam in vxorem duxit, quam Martialis Ianthidem Græcè vocat. scripsit elegias, & opus de Astéride, & poema de Interitu columbæ. prætor Romæ creatus est, & duumuir.

M. Val. Martialis genere Hispanus, ex Bibili oppido Celtiberiæ, Romam puer profectus, omnem insumpsit operam in scribendis Epigrammatibus. acri fuit ingenio, habuitque in scribendo plurimum salis, & fellis, nec minus candoris. Aelius Verus imperator vocabat eum suum Virgilium. Donatus est equestri dignitate, & prætura, scripsit libros Epigrammaton x i i. quibus adiecit Xenia, & Apophoreta. Eum tanti fecit Stertinius, vt eius adhuc viuentis imaginem in sua bibliotheca, posuerit. Mortuus est tandem in natali solo.

Sentius Augur, Romæ natus, scripsit Epigrammata, in quibus secutus est Val. Catullum, & Licinium Caluum.

Vestritius Spurina, Lyricus, floruit ætate Vespasianorum. idem factus est imperator in Breueterum regem, quo superato, honoratus est statua. Filium Cocceium adhuc iuuenem amisit. In suis lyricis imitatus est Horatium.

Voconius Victor Romæ floruit Hadriano imperante.

scripsit Elegias & Epigrammata. amauit Testylum puerum. huius poetæ mortui sepulcrum Hadrianus sequenti ornauit carmine.

Lasciuus versu, mente pudicus eras.

L. Paullus Passienus, oriundus ex Vmbria, claruit scribendis elegijs, in quibus Propertium secutus est. scripsit & Lyricos. prædium habuit in agro Vaticano.

T. Annianus composuit Fescenninos versus, varijs ioeis & salibus refertos.

M. Marullus Mimographus, Romæ floruit imperante Antonio Cæsare. tanta fuit in scribendo licentia, vt non dubitauerit notare principes ciuitatis, eosque nominatim suis carminibus perstringere.

Aulus Serenus Liricus, poemata scripsit vario & multiplici carmine.

Virgilius Romanus comœdiographus, floruit imperantibus Hadriano & Antonio. scripsit mimos, in quibus secutus est Cn. Matium.

Rufus Festus Auienus floruit imperante Diocletiano. Aratum è Græco in Latinos conuertit numeros. composuit etiam librum de orbe terrarum versibus hexametris, imitatus Dionysium Græcum poetam. scripsit etiam de Maritimis, versibus iambicis. præcipuè secutus est Hecatheum Milesium, Hellanicum Lesbium, Philonem Atheniensem, & quosdam alios. fecit & Virgilianas fabulas versibus Iambicis.

Alphius Auitus libros fecit, qui inscripti sunt Excellentium, versibus diametris Iambicis.

Septimius Afer librum composuit de laudibus Iani, in quo imitatus est Callimachum.

Calpurnius Siculus scripsit carmen Bucolicum. floruit imperante Domitiano. modicis vixit facultatibus.

Aur. Olympius Nemesianus, Afer genere, patria Carthaginiensis, floruit sub Numeriano & Diocletiano Cæsaribus. scripsit Cynegetica, Nautica, & Alieutica. Calpurnius eidem opus suum nuncupauit.

Maurus Terentianus, Afer natione, patria Carthaginiensis, scripsit Iambos. opus composuit vario multiplici

nienſis, ſcripſit Iambos. opus compoſuit vario multipliciq́ue carminum genere de Litteris, ſyllabis, Pedibusq́ue, & varijs metris. Filium habuit Baſſum & generum Nouatemum.

Claudianus, patria Alexandrinus, floruit ſub Honorio & Arcadio. ſcripſit de raptu Proſerpinæ libros IV. item epiſtolas in Rufinum, de laudibus Stiliconis, Panegyricos, Epigrammata de victoria Theodoſij contra Eugenium Gallorum regem.

Decius Auſonius Gallus, patria Burdegalenſis vixit imperantibus Valentino & Valentiniano. Gratianum Cæſarem litteris & diſciplinis erudijt. patrem habuit Auſonium profeſſione medicum. Gratiani patrocinio prouectus eſt ad conſularem dignitatem. ſcripſit librum Epigrammatum ex Græcis in Latinos conuerſum numeros. celebrauit puellam nomine Biſſulam. ſcripſit de fluuio Moſa. Faſtorum libros abſoluit, auſpicatus à principio vrbis conditæ vſque ad ſua tempora. ſcripſit & quaſdam epiſtolas.

Damaſus, natione Hiſpanus, floruit eodem tempore, quo Eutropius & Oroſius. creatus eſt Romæ Pont. max. Scripſit complures Hymnos, & librum de Romanis pontificibus oratione ſoluta. perijt ſub Theodoſio, quum annum xxc. ageret.

Iuuencus, Hiſpanus, floruit imperantibus Conſtantino & Conſtante. ſcripſit quattuor Euangelia verſibus hexametris, & Hymnos.

Aurelius Prudentius Clemens, genere Hiſpanus, primam ætatem poſuit in agendis cauſis & ciuilibus officijs, demum ad præfecturam Theodoſij patrocinio conſcendit. ſcripſit opus de his, qui pro Chriſtiana pietate ſe deuouerunt; item de Natali Domini, de geſtis & miraculis CHRISTI, de expiandis animis, de conflictu vitiorum & virtutum.

Pontius Paulinus, patria Burdegalenſis, floruit ſub Cæſare Gratiano. ſcripſit hexametris verſibus poema de regibus, ex Suet. collectis.

Licentius Afer, patria Hipponenſis, verſatus eſt cũ Auguſtino ſumma familiaritate. ſcripſit hymnos & epiſtolas.

Venantius Honorius Fortunatus, Rauennæ eruditus, ob eruditionem Pictauorum factus Pontifex. ſcripſit hymnos & libros IV. de geſtis beati Martini verſibus hexametris.

Fauſtus Gallus floruit ætate Claudiani. ſcripſit Epigrammata, & Hymnos de rebus ſacris. probis fuit moribus, & magna in accuſandis vitijs ſeueritate.

Sidonius Apollinaris patria Aruernus, honeſta & illuſtri natus familia, præceptorẽ habuit Flauiũ Nicetiũ, doctiſſimũ tunc temporis grãmaticum. ſcripſit permulta & ſoluta oratione & vario carminum genere, libros nouem epiſtolarũ Hendecaſyllabos, Panegyricos, & verſus hexametros.

Sũt & Neotericorũ nõ nulli, qui in ſcribendis poematibꝰ nõ mediocrẽ meruerunt laudẽ. primus omniũ Iouinianus Pontanus ſcripſit tanta dexteritate, vt veteres proximo ſequatur interuallo, præriperetq́ue laudẽ multis antiquis, niſi obſtaret ridicula quorundã hominũ opinio, quibus omnia ſœtent, quæ non olent vetuſtatem. ſcripſit hic poeta libros Amorũ tres, Tumulorum duos, de Diuinis laudibus, libros Baiarũ duos, verſus Iãbicos, & Lyricos, duos libros, qui inſcribũtur Eridanus, libros de Stellis v. Librũ vnũ Meteororũ, duos de hortis Heſperidũ, Põpã Lepidinam, Meliſeum Meonem, de Virtutibus, Grammatica, & multa alia.

Pontanum mea ſententia ſubſequitur Politianus, vtroque genere dicendi doctiſſimus.

Politianum, Marullus Tarchaniota.

Marullum, duo Strozæ, pater & filius.

Strozas Mantuanus, cuius bucolica tanti facio, vt Virgilianis conferam.

Stare debebant in ſuo theatro Philelphus, & Petrarcha, quoniã modicũ laudis ſibi meruerũt ĩ ſcribẽdis poematibꝰ.

Sunt & noſtro ſæculo non nulli, qui magna ſui nominis celebritate poeticen profitentur, vt Quinctianus Stoa, cuius familiaritate, & colloquio vſus ſum aliquandiu, quum degeret Lutetiæ, ibiq́ue ſuã Cleopolim excuderet.

Nunc Salmonius Macrinus familiaris, & amicus meus, verſus confinxit tanta dexteritate, tamq; felici genio, vt naſcens videatur habuiſſe Muſas obſtetrices, quæ poeticum

manna eius labellis instillauerint. Excellit maximè in scribendis hendecasyllabis, in quibus tam similis est Pontano, vt eodem ouo prognati videantur.

Germanus quoque Brixius inter nostri temporis poetas meritò conferendus est. scribit enim doctè, & eruditè, tersa & facili vena.

Omittendi non sunt duo ætatis nostræ doctissimi viri, & linguæ Latinæ principes vexillarii Helias Gemellus, & Baptista Candelarius consul Rothomagæus.

Sed iam veniamus ad poetarum Græcorum nomina.

Achæus Erethriæus poeta Tragicus, paullò iunior Sophocle, floruit Olympiade LXXIV. docuit tragœdiat XLVI vicit vna.

Ægemon poeta scripsit bellum Leuctricum, Thebanorum, & Lacedæmoniorum.

Æschron Mitylenæus, inter Alexandri comites, familiaris fuit Aristoteli.

Æschylus Athenienſis tragicus, primus grauitate personarum, & coloris *distinctione* vsus est. primus in lucem protulit tragœdias. de hoc Horatius: Post hunc personæ, pallæque repertor honestæ Æschylus & modicis instrauit pulpita tignis, Et docuit magnũq; loqui nitiq; cothurno. De eius interitu iam diximus.

Alcman Lyricus, inuentor carminis amatorii, floruit Olympiade XXVII. Scripsit lingua Dorica.

Alcæus Athenienſis fuit Lyricus, de quo Horatius: Lesbio primum modulate ciui. Politianus in Nutricia: Exactosq; canis pugnax Alcæe tyrannos, Æolium docto pertentantes barbito auro.

Alcimenes Megarenſis, poeta fuit tragicus.

Alexis Terius, poeta comicus floruit ante Menandrum. filium habuit nomine Stephanum itidem comicum.

Alexander Ætolus poeta fuit tragicus.

Anipsias Athenienſis, comicus.

Anacreon Teius Lyricus, fuit in honore apud Polycratem Samiorum regem. eius poema fuit amatorium. amauit Batyllum puerum, vt iam diximus. de hoc Oui. libro 3.

Trist. Quid nisi cum multo Venerem confundere vino Præcepit Lyrici Teia musa senis.

Anaxandrides Rhodius, poeta comicus, floruit ætate Philippi Macedonis. docuit fabulas LXV. vicit vna.

Anaxippus poeta nouæ comœdiæ, floruit sub Antigono & Democrito Poliorcete.

Antimachus poeta fuit Colophonius, qui dum quoddam poema obscurum in auditorio recitaret, omnesque propterea discederent, excepto Platone, Legam, inquit, nihilominus, quoniam vnicus Plato est mihi pro omnibus.

Antiphanes fuit poeta nouæ comœdiæ.

Antipater Sidonius, versus faciebat ex tempore. floruit oratoris Crassi temporibus.

Apollodorus Athenienſis comœdiographus floruit Menandri tempore.

Apollodorus Tarsensis fuit tragœdiographus.

Apollonius Rhodius, Callimachi discipulus, scripsit Argonautica.

Aratus Menecratis discipulus, floruit Olympiade CXXIV. scripsit Phænomena, Hymnos in Pana, de Moribus, Epigrammata quędam in Antigoni vxorem, Epicœdium in Cleombrotum, Epistolas, Commentarios in Odisseam, & pleraque alia. Culpatur tamen a Quinctiliano his verbis: Arati materia motu caret, vt in qua nulla varietas, nullus affectus, nulla persona, totusque in nominibus absumitur. sufficit tamen operi, cui se parem credidit vel æqualem.

Architas poeta fuit epigrammatum.

Archilochus Parius repertor fuit Iambici carminis, quo Lycamben socerum ad mortem impulit. Horat. Archilochum propria rabies armauit iambo. De Archilocho Quinctilianus sic ait: Archilochus primus inter eos, qui Iambos scripsere. Summa in eo vis, elegantes sanè vibrantesque sententiæ, plurimum sanguinis atque neruorum. Floruit principante Romulo.

Aristeas Proconesius scripsit tribus libri, carmina quæ vocantur Arimaspea, præterea Teogoniam versibus mille, floruit Crœso & Cyro regnantibus. Inuulgata est de

eo fabula, quòd animam resumeret quotiescunque vellet.

Aristophanes Comicus poeta, inuentor fuit tetrametri & octometri. docuit fabulas LIV. Æmulus fuit Socratis. tres habuit filios omnes comicos.

Aristomenes Athenienſis, ſcriptor fuit antiquæ comœdiæ.

Aristonymus comœdiographus, præfuit bibliothecæ Philadelphi poſt Apollonium. mortuus eſt è ſtranguria annos natus LXXVII.

Arrianus poeta ſcripſit Metaphraſim Georgicorum Virgilij, opus de geſtis Alexandri libris XXIV. & quædam poemata in Attalum Pergamenſem.

Archidicus Comicus ſcripſit contra Democharem.

Archippus Comicus Athenienſis, ſcriptor fuit antiquæ comœdiæ.

Ariſtarchus Tegeates floruit eodem tẽpore, quo Euripides. docuit tragœdias LXX. vicit duabus, vixit annos XXC.

Aſtydamas ſenior Athenienſis Tragicus, docuit tragœdias XLII. vicit V. fuit & Aſtidamas iunior Tragœdiographus poeta.

Augeas fuit comicus Athenienſis.

Bacchilides Lyricus Cous.

Callias Athenienſis fuit comicus filius Lyſimachi.

Callimachus poeta Cyrenæus, fuit filius Batti, diſcipulus Armochratis. vixit apud Ptolemæũ Philadelphũ, præfuitque regiæ bibliothecæ. omne poematis genus attigit. ſcripſit in aduerſariũ, quẽ ficto nomine Ibin appellat, acerbiſſimũ poema; item Elegias, Epigrammata & Hymnos. Huius meminit Ouid. lib. 2. Triſt. dicens: Nec tibi Battiade nocuit, quòd ſæpe legenti Delicias verſu faſſus es ipſe tuas. item Propertius lib. 2. Et non inflati ſomnia Callimachi.

Carcinus Agrigentinus, poeta Tragicus, floruit paullò ante Philipum Macedonem, docuit fabulas XCIIX.

Cæcilius Argiuus ſcripſit de piſcibus.

Chœromon poeta fuit comicus.

Chœrilus poeta Samius floruit Olympiade LXXV. Scripſit Athenienſium victoriam contra Xerxem, ſingulorũq; verſuum ſingulos Stateres aureos accepit. ſcripſit & res Lyſandri Lacedæmonii, & Alexandri magni. Hunc Horatius vt malum & ineptum poetam culpat, vbi ait: Gratus Alexandro magno regi fuit ille Chœrilus, incultis qui verſibus & male tortis Rettulit acceptos regale numiſma Philippos. Et in Arte. Sic mihi qui multum ceſſat, fit Chœrilus ille, Quem bis terque bonum cum riſu miror, & idem Indignor.

Chœrilus Athenienſis fuit Tragœdiographus, qui docuit tragœdias CLX. vicit XIII.

Cineſias Thebanus ſcriptor fuit Dithyramborum, pigro corpore, & fracto crure.

Cleon Curieus ſcripſit argonautica.

Cleophon Athenienſis fuit tragicus.

Corinnus Ilienſis, ſcripſit Iliada ante Homerum litteris Doricis, tunc primum inuentis à Palamede, cuius fuit diſcipulus. Scripſit & bellum Dardani contra Paphlagonas. Floruit tempore belli Troiani.

Crates Athenienſis, Comicus antiquæ Comœdiæ, auditor fuit Platonis Philoſophi.

Cratinus Athenienſis, veteris comœdiæ ſcriptor, docuit fabulas XXI. vicit IX. Vir fuit voluptarius & amator puerorum.

Chriſtodorus è Copto Ægypti vrbe poeta Anaſtaſij imperatoris tempore, ſcripſit Iſaurica, vbi ſcribit Iſauriam ab Anaſtaſio fuiſſe captam.

Damazones fuit Athenienſis comœdiographus.

Demolchus fuit Syracuſanus comicus. floruit Olympia de LXXIII. Filius fuit Epicharmi medici. Docuit fabulas XIV. lingua Dorica.

Dicæogenes poeta ſcripſit Tragœdias & Dithyrambos.

Diodorus fuit Comicus poeta, vt Dioxippus & Diocles Athenienſis.

Egemon Carcenus ſcripſit bellum Leuctricum, Thebanorum & Lacedæmoniorum.

Epicrates poeta fuit Comicus, vt Eriphus.

Hermippus Athenienſis, poeta veteris Comœdiæ, ſcripſit fabulas XL.

Hesiodus poeta Cumæus, seu Ascræus, ab Ascra Bœotiæ vico, scripsit poemata, Theogoniam, Aspida, Heroidum mulierum catalogum, Epicedium in quendam Batrachum, & quædam alia. Iugulatus est ab Antipho & Crimeno fratribus. Primus agriculturæ præcepta tradidit, primus fabulas scripsit.

Eubulus Cettius Athenienſis fuit comœdiographus.

Euangelus poeta comicus scripsit de Re militari.

Eumolphus Eleusinius filius fuit Musæi, & Orphei discipulus, poeta magni nominis.

Euphronius poeta scripsit carmen Priapi: vbi deum Orneatem eum appellat.

Eutiches comicus fuit poeta.

Eupolis Athenienſis, scriptor fuit veteris comœdiæ, qui mira vsus est licentia in carpendis hominum vitiis, Horatio teste.

Euripides Athenienſis tragœdiographus, natus est eo die, quo Xerxes ab Athenienſibus fugatus est. discipulus fuit Prodici in rhetorica, Socratis in philosophia. ad tragœdiam conuersus, secutus est Anaxagoram. Veneris fuit omnino abstinens. vixit in summa familiaritate apud Archelaum Macedoniæ regem, à cuius cena dum noctu reuerteretur, iugulatus à canibus, à quodam æmulo immissis annum agens LXXV. Scripsit Dramata LXXV. vicit V. Matrē habuit agrestia vendentem olera. Annos natus XIIX. tragœdiam scribere agressus est in quadam spelunca apud Salamina. Cicero eius verba totidem putauit sententias.

Idæus Rhodius, opus Homeri iterauit, carmen carmini reddēs. scripsit etiā res Rhodiorū tribus carminū millibus.

Hiero Ferreus Athenienſis, scripsit quædam poemata, quæ Plutarchus in Nicia ad ætatē suam testatur peruenisse.

Hipparchus fuit comicus poeta.

Hipponax Ephesius scriptor fuit Iamborum, qui patria pulsus ab Athenagora & Conia tyrānis, Clazomenis vixit.

Lasus Herminæus, primus scripsit de Musica, primusq; Dithyrambos in certamen protulit.

Lycophron Chalcidenſis poeta, scripsit Alexandram poema valde obscurum, in quo meminit de vaticiniis Cas-

sandræ. Exorsusq; ab Hercule & rebus Troianis, prosequitur vsque ad Alexandrum Macedonem.

Magnes Athenienſis, poeta veteris comœdiæ, floruit Epicharmi tempore. docuit fabulas XI.

Melanthus poeta fuit Elegiographus, Cimonis ducis Athenienſium familiaris.

Melitus fuit Tragœdiographus, quem Aristophanes taxauit vt nimis durum.

Menander Athenienſis, comicus, flagrauit amore mulierū. scripsit fabulas XXCIIX. & epistolam vnā ad Ptolemæū regē. Fabius de eo sic meminit: Menāder meo iudicio diligenter lectus ad cuncta, quæ præcipimus, efficiēda sufficit: ita omnem in vita imaginem expressit, tanta in eo inueniendi copia, eloquendi facultas, ita est omnibus rebus personis, affectibus accommodatus, vt omnibus eiusdem operis auctoribus tenebras induxerit. porrò tanta fuit in pretio, vt etiam inuitatus sit à regibus Ægypti, oblatis magnis honoribus & diuitiis.

Menalippides Melicus scripsit Dithyrambicorum libros, poemata, Epica, & Elegias.

Huius nepos Menalippides iunior scripsit Lyrica & Dithyrambica. Mortuus est apud Perdicam regem.

Menecrates fuit comœdiographus.

Menelaus Ægeus scripsit Thebaida libris sex.

Mymnernus Colophonius poeta fuit Elegiographus, qui dicebat nihil esse iucūdum sine amore & iocis. Horat. Si Mymnernus vti censet, sine amore iocisq; Nil est iucundum, viuas in amore iocisq;. Proper. lib. 1. Plūs in amore valet Mymnerni versus Homero.

Mnesimachus scriptor fuit comœdiæ.

Moschus Syracusanus scripsit carmen Bucolicum.

Morychus Tragicus fuit poeta, quem Aristophanes gulæ & nimiæ voluptatis notauit.

Morsimus fuit Tragicus, quem Aristophanes infectatus est.

Musæus Eumolpi filius, primus omnium Athenis deorū genealogiam versibus tradidit. scripsit amores Hero & Leandri versibus hexametris.

Musæus Eleusinius, Antipheni filius, & discipulus Orphei, scripsit vitæ præcepta ad Eumolpum filium tribus versuum millibus.

Musæus Thebanus, filius Thamyrę poeta Melicus, scripsit Hymnos & Cantica.

Musęus Ephesius, poeta Eumenis & Attali regũ Pergami tempore, scripsit res Pergamẽses, et de Persida libros x.

Nestor è Licia regione, pater Pysandri poetæ, tempore Seueri principis, scripsit Iliada; Tryphiodorus verò Odysseam ad imitationem Homeri.

Nicandrus Colophonius edidit versibus Prognostica Hippocratis.

Nicochares Athenienſis, Philonidis comici filius, coæuus Aristophanis, scripsit multas fabulas.

Nicostratus fuit Comicus.

Nicomachus Phrygius, scripsit Tragœdias x I.

Nicomachus alter Athenienſis fecit Euripidem & Theagenem.

Nonnus Panapolita, scripsit euangelium Ioannis, Græcis hexametris.

Olympius Mysius, poeta melicus, & Elegiographus, discipulus Marsyæ, floruit ante bellum Troianum.

Homerus iunior, patria Bizantius, patrem habuit Andromachum, scripsit tragœdias L V I I.

Homerus poetarum maximus, floruit Olymp. x x x I I I, annis post Troiam captam quingentis, post Romã conditã L x v I I I. Patria fuit Mæõ. natus est adulterio matris Critheidis virginis Cumanæ apud fluuiũ Melem. vnde ab initio vocatus est Melesigenes. Grãmaticę præcepta primus dedit, quũ antea quisq; sermone scriberet, simul & loqueretur vernaculo. puer litteris imbutus est ab Aristeo Proconesio, seu Fannio Grãmatico. factus paullò prouectior quũ flagraret desiderio visendarũ regionũ, ductus est per diuersa orbis loca à mercatore quodã, qui dicebatur Menthes, à quo tamen relictus est apud Ithacam propter morbum oculorum, quo ibidem laborare cœperat. conualescens demum Colophonem profectus est, ibique renascente eodem morbo, incidit in cæcitatem, ac tum

primùm vocatus est Homerus, apud Cumæos & Ionas, qui cæcos vocant Homeros. vnde autem cæcitatem illam contraxerit, iam diximus. Veniens Athenas in ætate iam matura quum in litore quieuisset, sparso protinus de eius aduentu rumore, hominum multitudo turmatim ad eum videndum conuolauit. quò quum eandem ob causam diuertissent piscatores, litori appulsos statim rogauit, haberentne aliquid? illi verò per ænigma responderunt, Se quæcunque cepissent, reliquisse; quæ verò non cepissent, habere. significabant enim sese purgasse pediculis, quorum captos in aquis reliquissent, non captos haberent in vestimentis. Quod intricatum & perplexum ænigma Homerus ad pisces tantùm respiciens, quum dissoluere nequiuissent, pudore nimio (vt non nulli suspicantur) incidit in morbum, quo paullò pòst perijt. Sed quid opus est causam mortis cõminisci, quum iam matura esset ætate? Iam enim vixerat annos C I I x. Scripsit præcipua duo poemata Iliadem, & Odysseam. Ilias continet bellum Græcorum in Troianos, propter Helenæ raptum; Odysseam Vlyssis in patriam redeuntis labores. Duo hæc eius poemata in numerum versuum diuisa & distincta sunt ab Aristarcho grammatico. Sunt qui eidem tribuant Batrachomyomachiam, quorum opinioni repugnat Plutarchus. Habitus est apud antiquos in tanto pretio, vt septem vrbes eum sibi vendicauerint, eiusque versus habiti sunt prouerbiorum loco.

Oppianus ex Anaxarbo Ciliciæ ciuitate, scripsit poema de Piscibus, quod Antonino Seueri filio nuncupauit.

Orpheus Crotoniata, vixit apud Pysistratum tyrannum. scripsit Argonautica.

Palepharus Athenienſis poeta, scripsit de situ orbis, & contentione Mineruæ cum Neptuno ad mille versus; Veneris quoque & Amoris sermones quinque millibus versuum; item de crine Latonæ, & quædam alia.

Pamprepus Panopolita, floruit ætate Zenonis principis. scripsit de Etymologiis, & Isaurica, soluta oratione.

Panolbus fuit Epicus poeta.

Parthenius Niceus, poeta Elegiographus, captus est à

Cinna in bello Mithridatico,& ob ingeniũ manumissus, vixit usq; ad Tiberiũ Cesarẽ. scripsit elegias ĩ Veneré,& Epicediũ, in Aretẽ vxorẽ suã, deq; eius laudibus libros tres.

Parthenius Chius, Thestoris filius, scripsit versus in laudem patris.

Perses Ascræus poeta, frater fuit Hesiodi.

Pigres Halicarnassæus, frater Artemisiæ vxoris Mausoli, scripsit versus elegos in Iliadem Homeri.

Pindarus Thebanus Lyricorũ princeps floruit Æschyli tempore. scripsit lingua Dorica Olympia,Pythia,Nemęa, Isthmia. de Pindaro sic meminit Horatius: Pindarum quisquis studet æmulari, Iule, ceratis ope Dædalæa Nititur pennis, vitreo daturus Nomina ponto. Primas meruit inter nouem Lyricos, quorum hæc sunt nomina: Alcæus, Sappho,Stesichorus,Ibicus, Bacchylides, Simonides,Aleman, Anacreon & Pindarus ipse.

Pisandrus Camiræus poeta antiquior Hesiodo, scripsit facta Herculis duobus libris.

Pisandrus Larandæus poeta, sub Alexandro Mammeæ, scripsit versibus variam historiam libris LXVI.

Plato Athenienſis, poeta priscæ comœdiæ, floruit tempore Aristophanis & Eupolidis.

Polyzelus comicus fuit.

Possidippus Cessandræus comicus docuit anno tertio post mortem Menandri. scripsit fabulas XXX.

Phædimus Bizantius fuit Elegiographus poeta.

Pherecrates Athenienſis comicus militauit sub Alexandro magno. docuit fabulas XVII.

Phidamus Epicuræus, poeta fuit admodum lasciuus.

Philemon Syracusanus, poeta nouæ comœdiæ, tempore Alexandri magni,scripsit sex fabulas.vixit annos XC. periit nimio risu.

Philemõ iunior,eiꝰ filiꝰ,itidẽ comicꝰ,docuit fabulas 54.

Philetas Cous,floruit etate Philippi & Alexãdri Macedonũ. preceptor fuit Ptolemæi Philadelphi. scripsit Elegias & epigrãmata.cõterraneꝰ fuit Hippocratis medici. de eo & Callimacho sic scribit Fabius: Elegię princeps habeẽ Callimachus:secũdas cõ fessione plurimorũ Philetas occupauit. Prop. l. 2. Tu satius memorẽ musis imitere Philetã.

Philocles Athenienſis, filius sororis Æschyli, Tragicus fuit poeta.

Philoxenus Cytherius poeta Lyricus scripsit Dithyrambos XXI. obijt Ephesi. scripsit carmine Lyrico Æacidarũ genealogiam. coniectus est à Dionysio Syracusano in Latomias,quòd eius carmina & tragœdias non probaret.

Philistus Cercyræus, Tragicus poeta,vixit apud Ptolemæum Philadelphum.

Philistiõ Nicæus poeta Comicus,floruit ætate Socratis.

Philippides Comœdiographus quum ætate iam prouecta in certamine poetarum præter spem vicisset, inter illud gaudium repente mortuus est. Gellius.

Phormus Syracusanus Comicus,Geloni tyranno fuit familiaris,eiusque filios erudiuit. docuit fabulas VII.

Phocylides Milesius, floruit post bellũ Troianũ Olymp. XIX. scripsit elegias,& quasdã sẽtẽtias ad vitę institutionẽ.

Phocinordes fuit comicus.

Phrynicus Athenienſis Tragicus, Thespiadis discipulus, primus vultum mulierum protulit in scenam, & Tetrametrum reperit. Filium habuit Polyphradmonem poetam tragicum. docuit tragœdias IX.

Phrinicus Athenienſis fuit Comicus.

Simonides Ceus,poeta Melicus; floruit Olym. LV. Vixit annis LXXIX. Scripsit Dorica lingua Cambysis & Darij res gestas, & Xerxis bellum maritimum; præterea Threnos,Encomia,Epigrãmata, Pæanas,Tragœdias, Næniias,& quædam alia. primus etiã artem memorandi fertur inuenisse,quum cenaret in Thessalia apud Scopã opulentũ hominem. Precipua eius virtus fuit in cõmendanda commiseratione. nam inter ceteras funebres laudationes singulari carminum commiseratione prosecutus est conuiuas suos, apud Scopam illum, de quo nunc diximus, cenaculi ruina collisos. Catullus: Mæstius lacrymis Simonidęis.

Simonides Teius Iambicus, scripsit Græcorum apud Aulidem conuentum, & Trimetrorum libros duos.

Simonides Magnes, scripsit res gestas Antiochi magni, & bellum aduersus Galatas.

De Sappho poetria iam diximus in capite de Mulieribus doctis.

Sophocles Athenienſis Tragicus, coætaneus, & collega Periclis in prætura, docuit Tragœdias XIV. Deceſſit ſex annis poſt Euripidem. appellabatur Apis, ob linguæ dulcedinem. filii eum ab adminiſtratione rei domeſticæ ſummouerunt, vt delirantē: at ille Tragœdiam protulit coram iudicibus, vt viderent an eſſet opus deliri ſenis. propterea reſtitutus eſt, & ſapiens iudicatus.

Fuit & Sophocles alter ſuperioris nepos, qui docuit Tragœdias quattuor. atq; etiam ſcripſit elegos.

Sophilus Sycionius fuit comicus.

Soſithæus Syracuſanus, æmulus fuit Homeri tragici.

Sotades Maronites, poeta fuit Iambographus impuriſſimus & plenus laſciuię. hinc Sotadicos verſus vocamus pathicos, & libidinoſos.

Sotericus Aſites, ſcripſit Encomium Diocletiani, & Dionyſiaca, & vitam Apollonii Tyanei.

Steſichorus poeta Lyricus ex Hymera Siciliæ ciuitate, ſcripſit Helenæ vituperationem. ob quam rem exoculatus Palinodiam cecinit, & viſum recuperauit. primus cum citharæ cantu chorum inſtituit. vnde inditum illi nomen. In eius ore, quum infans eſſet, cantauit Luſcinia.

Thales Cretenſis, fuit Lyricus poeta, qui quum Spartam veniſſet, Lacedæmoniorum animos ſuis verſibus adeo deliniuit, vt feritatem illam exuerint, quam ex ſeueris Lycurgi legibus imbiberant.

Thamyras Thrax poeta ſcripſit verſus in theologia ad tria milia. eximia fuit pulchritudine, & amore puerorum deflagrauit.

Tellen fuit Melicus poeta.

Theognetus Comicus.

Theogenes Megarēſis floruit Olymp. LIX. Scripſit Elegias, & alia poemata. Fuit alter Theogenes Trag.

Theodectes Cilix, diſcipulus Platonis, ſcripſit fabulas quinquaginta, præterea artem Rhetoricam verſibus, & quædam alia.

Theodoſius Tripolitanus, ſcripſit verſib. in Æſtatem.

Theocritus Syracuſanus patrem habuit Praxagorā, Philinam matrem. floruit ſub Ptolemæo Lagi. ſcripſit Dorica lingua Bucolicum poema.

Theophilus ſcriptor fuit priſcæ comœdiæ.

Tetpander Lesbius poeta Lyricus, Heptachordon & Lyrici carminis canonem ſcripſit.

Theſpis Atticus, poeta Tragicus, primus inſtituit, vt Tragœdiæ agerentur in plauſtris. vnde Horatius: Ignotū tragicæ genus inueniſſe camœnæ Dicitur, & plauſtris vexiſſe poemata Theſpis, Quæ canerent agerentq; perunctī fæcibus ora.

Timon Apolloniates, ſcripſit Tragœdias, Comœdias, Satyras, & alia permulta.

Timolaus Lariſſæus, diſcipulus Anaximenis Lampſaceni, ſcripſit poema de bello Troiano.

Timocles Athenienſis fuit comicus.

Timotheus Mileſius, ſcripſit verſibus de Muſica lib. 17. præterea Hymnos, Encomia, & Dithyrambos.

Tyrteus Athenienſis poeta, quem quum Lacedæmonii certantes in Athenienſes principem ſibi delegiſſent, ita eorum animos inflammauit ſuis carminibus, vt omnes periculi & mortis immemores in hoſtem furioſi ſe conieceriſt, eoq; modo victoriam ſibi pepererint. Horatius in Arte: Tyrteuſque mares animos in Martia bella Verſibus exacuit.

Triphiodorus Ægyptius, ſcripſit Marathoniam, excidium Ilii, & poema de laboribus Vlyſſis.

Xenophanes Colophonius, ſcripſit poema de Pſyllis, præterea Elegias & Iambos contra Heſiodum & Homerū improbans, quæ de diis ſcripſerunt.

Xenophanes Lesbius fuit Iambographus.

Xenachus fuit poeta comœdiographus.

Zenodotus Epheſius poeta, diſcipulus fuit Philetæ. floruit ætate Ptolomæi primi, cuius liberos erudiit. primus Homeri libros correxit, & in ordinem redegit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SYnesius Cyrenensis scripsit de laudibus Caluitii.
Dion, cognomento Chrysostomus, librum de comæ laudibus.
Batrachomyomachiam lusit Homerus.
Maro Culicem & Moretum, atque etiam de apibus animalium ferè minimis scripsit fusissimè.
Busiridem tyrannum laudauerũt Polycrates & Isocrates.
Iniustitiam Glauco.
Thersiten & quartanam febrem, Fauorinus.
Muscam & Parasiticam, Lucianus.
Seneca Claudij apotheosim.
Scripsit Plutarchus Grylli cum Vlysse Dialogum.
Lucianus, & Apuleius Asinum.
Themison de laude plantaginis herbæ.
Homerus librum vnum de laudibus vini.
Ephren Syrus de vituperatione risus.
Marcion Græcus de Raphano.
Hippocrates librum vnum de laudibus Ptisanæ.
Messalla singulos libros de singulis litteris.
Orpheus & Hesiod. de suffitionibus multa scripsernut.
Iuba rex de Euphorbio herba magno præconio volumen edidit.
Lysimachiam herbam scriptis celebrauit Erasistratus.
Anonymos herba ab Icesio medico celebrata est.
Democritus numerum quaternarium volumine decorauit. Idẽ de Cameleonte animali aliud volumẽ conscripsit.
Pythagoras librum vnum composuit de bulbis.
Cato Brassicæ laudes cecinit.
Diocles magnis laudibus rapam extulit.
Chrysippus medicus brassicæ volumẽ priuatim dicauit.
Museus & Hesiodus Polion herbam multis verbis commendauerunt.
Phanias Physicus condidit laudes vrticæ.
Antemis herba magnis laudibus celebrata est ab Asclepiade. Idem librum vnum de musto composuit.

CApitolinus, seu Tarpeius, Auentinus, Palatinus, Cœlius maior, & minor, Exquilinus, Viminalis, & Quirinalis. de his Tibullus lib. 2. Carpite nunc tauri de septem montibus herbas, Dum licet hic magnæ iam locus vrbis erit. Prop. Septem vrbs alta iugis toto quæ præsidet orbi. Virg. Septemq; vna sibi muro circumdabit arces.

VENTI DIVERSI.

VEteres iuxta positionẽ cardinum tantùm quattuor ventos principales à singulis cæli partibus flare credebant, auctore Vegetio. sed posterior ætas experimento duodecim comprehendit. Ab Orientali cardine oritur Apeliotes, id est Subsolanus, cui à dextra iungitur Circius, siue Chorus, à sinistra Eurus, siue Vulturnus. Meridianum cardinem possidet Notus, id est Auster, habetq; a dextra Leuconotum, à sinistra Libanotum. Occidentalem cardinem tenet Zephyrus. Huic à dextra iungitur Lips, siue Africus: a sinistra lapix, siue Fauonius. Septẽtrionalem cardinem sortitus est Aparctias, siue Septẽtrio, cui à dextra hæret Trasias, siue Gracias: à sinistra Boreas, id est Aquilo. Hi sæpe flant singuli, interdum duo, & magnis quandoque tempestatibus tres simul flare cõsueuerunt. horũ impetu maria, quę sua sponte trãquilla sunt, vndis æstuantibus sæuiunt. horũ etiã flatu pro natura tẽporum vel locorũ serenitas reddit, & rursus in procellas serena mutanẽ. Hęc præcedẽtia docẽt tres esse vẽtos vniuscuiusque cardinis. nũc priuatim de quibusdã loquendũ est.

Boreas dicitur à boatu, Latinè vocatur Aquilo: flatus est violenti & sonori: nubes discutit, & serenũ reddit aerẽ: vnde & Sudificus vocatur, & Nubifugus. Columel. Nec tã nubifugo borea Latonia Phœbe Purpureo radiat vultu. Homerus apud Gelliũ: Sudificusq; simul boreas mala plurima volues. Hieronymus ventũ hũc appellat Scopã viarũ, seu scopariũ, q̃ diffladó ppurget, quidquid in via obiacet.

Vulturnum, quòd inter Eurum & Notum sit, non nulli Euronotum vocant.

Caurum Græci Argestim vocant.

Fauonius Græcè vocatur Zephyrus, à poetis pater florum appellatur, & genitabilis.

Austrum aliter Noton vocant, quòd nebulosus sit, & humectus. exitialis est hic ventus, & morbosus, potensq; ad exitanda fulmina: vnde Lucretius lib. 5. Altitonans Vulturnus & Auster fulmine pollens.

Virgilius videtur innuere Ventum Iapiga occidentalem esse, quum dicat Cleopatram è nauali prœlio fugientem in Ægyptum vento Iapige ferri.

Est & ventus nomine Cæcias, nubes attrahens.

Atabulus nomen est etiam venti apud Horatium libro 1. Ser. scribentem: Incipit ex illo montes Apulia notos Ostentare mihi, quos torret Atabulus.

Sunt & alii, qui vocantur Etesiæ, & Prodromi, qui in ortu Caniculæ æstatis anni temporibus spirare solent. Lucr. Puluerulenta Ceres & Etesia flabra Aquilonum.

De regionibus quattuor ventorum, qui præcipui dicuntur, sic scribit Manilius lib. 4. Astron. -totidem venti de partibus iisdem Erumpunt, secumq; gerunt per inania bellum. Asper ab axe ruit Boreas, fugit Eurus ab ortu, Auster amat medium solem, Zephyrusq; profundum. Ouid. lib. 1. de Trist. Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu, Nunc Zephyrus sero vespere missus adest. Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur ab arcto, Nunc Notus aduersa prœlia fronte gerit.

SOPHISTARVM NOMINA.

HAdrianus Phœnix, patria Tyrius, docuit Athenis magno cultus victusq; sumptu. amatus est magnopere à M. Antonio, & Romam ab eodem ductus.

Ælianus Romanus sophista, qui scripsit de animalibus, de varia historia, & de re militari.

Antiochus fuit sophista securus in figuris, vehemens in accusationibus, venustus in defensionibus, in demonstratiuis potens. in forensibus sophistica, in sophisticis forensi vtebatur oratione.

Aphthonius sophista scripsit præexercitationes in Rhetorica, & in artem Hermogenis.

Apsines Gadaræus Smyrnæ Præceptorem habuit Heraclidem Lycium, Nicomediæ Basilium. docuit Romæ Maximiani tempore, cuius beneficio adeptus est consulatum.

Aristides Mysius docuit Smyrnæ.

Aristocles Pergamensis sophista floruit sub Hadriano. scripsit de arte rhetorica, epistolas & declamationes. sectæ fuit Peripateticæ, horridus aspectu: voluptatibus tamen & lyræ postea indulsit.

Aspasius Rauennas, Demetriani filius, & auditor Pausaniæ, professus est Romæ sub Alexandro Mâmeæ. scripsit diuersas orationes contra Aristonem & maledicos.

Alia sophistarum nomina sunt: Ausonius quidam.

Bemarchus Cæsarienſis, qui scripsit res gestas Constantini principis libris decem. Chrestus Bizantius, qui quamuis esset deditus vino, ceteris tamè in rebus erat continẽs.

Damophilus, qui scripsit ad Lollium Maximum de vita priscorum.

Damianus Ephesius.

Dias Ephesius, qui floruit ætate Philippi Macedonis.

Dion Prusiæus, Traiano familiaris, qui scripsit pro Homero contra Platonem libros 1 v. itẽ de virtutibus Alexãdri Magni libros decem, & laudem Herculis.

Ecebolius Constantinopolitanus.

Epiphanius Petreus, qui scripsit præexercitationes, & declamationes in genere demonstratiuo.

Heraclides Lycius, qui Smyrnæ docuit.

Hermocrates Phocensis qui floruit principante Seuero.

Hermogenes Euodianus Smyrnæus, Aristotelis discipulus, qui professus est Romæ.

Eustephius Aphrodisæus, qui scripsit declamationes.

Eustochius Cappadox, qui scripsit ad Constantem principem de Cappadociæ, aliarumq; gentium antiquitate.

Gorgias Leontinus artis sophisticæ parens.

Hippodromus Lariſſæus, qui Athenis docuit.

Iſæus Assyrius, qui adolescentiam variis corporis voluptatib⁹ tradidit: deinde vir fact⁹, frugaliſſimus omniũ fuit.

Iulianus Cappadox, ad quem, dum Athenis profiteretur, gregatim omnes conuolabant.

Libanius Antiochenus, floruit sub Iuliano principe. Athenis audiuit Diophantũ philosophũ. exercuit se in declamationibus. Cõstãtinopolim profectus, ibidẽ ludũ aperuit, vnde propter lasciuũ in pueros amorẽ pulsus, Nicomediam venit, indeq; eãdẽ ob causã reiectus, in patriã reuersus est, scripsit declamationes, progymnasmata, orationes, & epist.

Lucianus Samosatenus, floruit sub Traiano principe, primùm Christianus, demum fidei desertor.

Marcus Bizantius, Isæi auditor.

Menander Laodicæus, qui scripsit commentarios in artem Hermogenis, & præexercitamenta Minutiani.

Minutianus Athenienſis scripsit artem rhetoricam, præexercitamenta, & diuersas orationes.

Nicetes Smyrnæus, quem Hadrianus Ægyptio Musæo adscripsit.

Plutarchus Athenienſis præceptor Syriani.

Polus Agrigentinus auditor Gorgiæ, scripsit eorum genealogiã & Catalogũ, qui ad bellũ Troianum profecti sunt.

Polemon Laodicæus æqualis Herodis Attici.

Priscus Panites, magister epistolarum Theodosii iunioris, scripsit historiam Constantinopolitanam & Athilæ libros octo, præterea declamationes & epistolas.

Procopius scriba & comes Iustiniani.

Protagoras Abderites discipulus Democriti, cuius meminit Aulus Gellius.

Phrynicus Bithynicus, q scripsit de Atticis dictionibus.

Rufus Corinthius.

Sabinus, qui floruit sub Hadriano.

Scopelianus Clazom. Herodis Attici præceptor.

Sopater Iablici discipulus Cõstantini Magni cõsiliarius.

Theon Sidonius.

Theodorus, qui Herodis Attici tempore præfuit Athenienſium scholæ.

Thrasimachus Carthaginienſis Isocratis discipulus.

Varus Persa. Zenodotus docuit Romæ sub Hadriano: scripsit epitomen prouerbiorum Dydimi, & genethliacum

in Hadrianum. præterea conuertit in Græcum sermonem historiam Sallustij.

Philagrus Cilix patria, auditor Lolliani, fuit sophistarũ vehementissimus, maximè iracundus.

DE ANIMI SVBSTANTIA DIVERSÆ philosophorum opiniones.

EMpedocles Animum esse censet cordi suffusum sanguinem.

Zeno Stoicus Ignem. Cic. 1. Tuscul.

Aristoxenus musicus Corporis intentionem quandam, velut in cantu & fidibus, quæ harmonia dicitur.

Xenocrates Numerum, cuius vis in natura maxima esset.

Plato triplicem posuit animam, Rationem in capite, Cupiditatem subter præcordia, Iram in pectore.

Dicearchus introducit differentem nihil esse animam, nomen inane, nullamq; esse animam in homine, aut bestia, idem eodem.

Asclepiades Sensuũ coexercitamẽta, animam esse dicit.

Thales Naturam irrequietam.

Plato Substantiam intellectiuam. Plutarchus in Placitis philosophorum.

Heraclitus Humidiorũ, quæ in mũdo sunt, expurationẽ.

Euripides Deum. Cic. 1. Tuscul.

Alii Cor ipsum. Idem eodem

Alii Partem quandam cerebri. Idem eodem.

Aristoteles post quattuor principia quinctam naturam ponit, è qua sit Mens. Idem eodem.

Essei Iudæi philosophi animas putant immortales, & de æthere subtilissimo instinctu naturali in corpora permeantes, à corporibus verò absolutas, vltrà oceanum degere in locis peramœnis. Cœlius lib. 3. cap. 9.

Pythagoras numerum seipsum cientem. Plutarchus in Placitis philosophorum.

Hipparchus animas nostras dixit partem esse cœli. Plinius lib. 2. cap. 26. Cicero corpus modò animæ sepulcrum, modò carcerem, modò ergastulum vocat.

Aristoteles entelechiam. Becichemus in Plinium.

Non tacendam interim duximus Auerrois sententiam, quæ toti hominum speciei vnicam esse animam asserit, & præter hanc hominum quemque vnam habere sensitiuam, brutali paullò perfectiorem. multaq; alia dixisse eundem & fœda, & falsa, quæ videbis apud Cœlium lib. 2. lect. antiq. cap. 2.

Sed præter hæc Seruius (in illud 4. Æneidos, Et nunc magna mei sub terras ibit imago.) non venit silentio prætereundus: Tria esse dicens, quibus homo constet, Animam, quæ supernam suam petit originem; Corpus, quod in terram deficit; Vmbram, quam Lucretius sic definit, suprà spoliatus luminis aer: quæ si ex corpore creetur, vnà cum eo perit: deinde aliquod dicitur simulacrum, quod inferos petit. Plutarchus in placitis philosophorum.

ANIMÆ PRINCIPATVM IN QVA CORporis parte philosophorum iudicia ponant.

DEmocritus, in toto capite esse censet.
Strato, in superciliorum interstitio.
Erasistratus, circa membranam cerebri.
Herophilus, in ventriculo cerebri.
Parmenides, in toto pectore.
Epicurus, in toto pectore. Plut. de placitis philosoph.
Stoici, in corde.
Diogenes, in arteriaco ventriculo cordis.
Empedocles, in sanguinis concretione.
Pythagoras, Viuificam vim circa cor, intellectiuam vero circa caput posuit.
Xerxes Persarum rex animam dixit in auribus habitare. Bero. in Apuleium.
Democritus & Epicurus rationem in pectore, irrationabilitatem verò per totius compaginem sparsam esse dicũt. Plut. de plac. phil.

ANIMA QVID RECIPIT AB influxu Planetarum.

ASaturno, Ratiocinationem & intelligentiam.
A Ioue, Vim agendi.
A Marte, Animositatis ardorem. Macrob. de Som. Scip.
A Sole, Sentiendi opinandiq; naturam.
A Venere, Desiderij motum.
A Mercurio, Pronuntiandi, & quæ sentiat interpretandi vim.
A Luna, Naturam plantandi, & augendi corpora.

ANIMA CORPORIS ABSOLVTA VINculis quò pergat, ex multiplici veterum iudicio.

DEmocritus & Epicurus mortalem censent, & vnà cum corpore emorientem, quod & Plinius sentire videtur li. 7. cap. 55. Plutar. de Placitis philosoph.
Plato immortalem esse censuit. Idem eodem.
Stoici si inualidior sit, vnà cum concrementis subsistere, cuiusmodi sunt imperitorũ animæ: sin strenua, quales sunt sapientũ, ad flagrates vsque naturas euadere. Idẽ eod.
Platonici animam viuere dixerunt, dum immutabili parte mundi consilitit: mori verò quum ad partem mundi cecidit mutabilem. Est autem Luna mutabilis & immutabilis confinium. Macrobius in somnium Scipionis.
Dryidę opinati sunt defunctorũ animas nõ descendere ad inferos, sed in alio mundo aut parte eius alia corpus aliud informare. quã opinionẽ sic primo Pharsaliæ describit Lucan⁹: vobis auctorib⁹ vmbrę Nõ tacitas Erebi sedes Ditisq; p̃fũdi Pallida regna petũt, regit idẽ spiritus art⁹ Orbe alio.
Pythagoras in alia post mortem corpora migrare. unde Plotinus eandem opinionem sequens dicit: Eos, qui humanã proprietatem seruarunt, futuros iterum homines: qui verò sensibus defecerũt, in bruta redituros. Crin. li. 11. c. 3.
Alij iustorũ animas ad campos Elysios migrare credũt. Virg. in VI. Defunctorũ animæ, quæ sepultura caruerunt, priusquam ad inferos vehant, centũ errant annos. Idẽ eod.
Essei Iudęi philosophi animas à corpore absolutas vltra oceanum degere putant in locis peramœnis. Col. lib. 2. cap. 2. Circulus est splendidissimo candore inter flammas elucens, quem vocant orbẽ lacteũ, quæ sedes est heroũ, & vbi beati sempiterno cuo fruunt. Cic. de somnio Scipionis.
Ægyptij primi extiterunt, qui dicerent animã hominis

esse immortalem, quæ de mortuo in aliud atque aliud sub inde corpus, vt quodque gigneretur, introiret: atque vbi per omnia se circumtulisset terrestria, marina & volucria, rursus in aliquod hominis corpus genitũ introire: huncq; ab ea circulum fieri intra tria annorum millia. quã opinionem vt suã, non nulli Græcorũ vsurpauerunt. Herod. lib. 2.

Zoroastrem refert Cœlius, dixisse, alatam esse animam, fractis alis in elementa ferri præcipitem, tum illis succrescentibus ad superos euolare. Cœl. lib. 9. cap. 38.

Porphyrius asserit vnam Animam Sensibus, Memoria, & Ratione præditam: & habere orationem interiorem exterioremq;, qua inter se loquantur animalia bruta, quorum verba à nobis non intelligi, non mirum: quum barbarorum multorum sermonem non discernamus, neque tam loqui, quàm indistinctè vociferari putemus. Addidit veterũ multos brutorum inter se colloquia & audiuisse, & intellexisse. Idem eodem.

Qui per diuersas gentes in constituendis sacris cæremoniarum fuerunt auctores, aliud esse negant inferos, quàm ipsa corpora, quibus inclusæ animæ carcerem fœdum tenebris, horridum sordibus & cruore patiuntur: & omnia, quæ illic sunt secundum fabulosam persuasionem, in ipsis humanis corporibus assignare sunt conati, Lethem nil aliud esse adserentes, quàm errorem animæ, obliuiscentes maiestatẽ vitæ prioris, quã fruebatur prius quàm in corpora dilaberetur: Phlegetontem ardores irarum & cupiditatum, Acherontem, eorum, quæ fecimus, aut diximus, pœnitentiam: Cocytum quidquid hominem ad luctum & lacrymas compellit: Stygem quidquid humanos inter se animos odiis dissidere facit. Vulturem immortale Titii iecur rodentem, remordentis conscientiæ tormenta intelligentes. Tantalum inter cibum & potum fame & siti tabescentem, eos significare, quos magis atq; magis acquirendi desideriũ cogit, præsentem copiam non videre, & in affluentia inopes, egestatis mala perpeti. Per Ixiona rotæ radiis distractum, eos, qui ratione, virtute, & consilio, nil moderantes, & actus suos fortunæ permittentes fortuitis casibus semper rotantur. Per saxum ingens Sisyphi eos, qui inefficacibus, laboriosisq; conatibus vitam conterunt. Macrobius in somnium Scipionis.

ANIMARVM SEDES APVD inferos nouem.

Prima, infantium animas tenet.
Secunda, Eorum, qui sibi per simplicitatem adesse ne quiuerunt.
Tertia, Eorum, qui euitantes ærũnas sibi letum peperere.
Quarta, Eorum habet animas, qui amauerunt. Virgilius per totum sextum Æneidos.
Quincta, Virorum fortium.
Sexta, Nocentum, qui à iudicibus puniuntur.
Septima, Vbi purgantur animæ.
Octaua, Vbi animæ ita purgatæ sunt, vt redeant.
Nona, Est campus Elysius.

QVAS CORPORIS PARTES vnusquilibet planeta regit.

Sol, Caput & Cor. Mercurius, Linguam & os. Saturnus, Splenem. Iupiter, Epar. Mars Sanguinem. Venus, Renes, & genitale semen, Luna, Stomachum. Crin. lib. 12. cap. 2.

QVÆ CORPORIS PARTES VNIcuiq; signo zodiaci tribuuntur.

Arieti, Caput. Tauro, Ceruix. Geminis, Humeri. Cãcro, Cor. Leoni, Pectus & Stomachus. Virgini, Venter. Libræ, Renes vertebræq;. Scorpioni, Genitalia. Sagittario, Femora. Capricorno, Genua. Aquario, Tibiæ. Piscibus, Pedes. Manilius & Crinitus vbi suprà.

QVÆ A QVIBVS ELEMENTIS homini proueniunt.

Caro, à terra. Humor, ab aqua. Anhelitus ab aere. Fercuor ab igne. Ingenium, à Deo. Idem libro. 6. cap. 12.

EXEMPLA ALIQVOT HIEROGLYphicarum notarum, quibus Ægyptii vtebantur.

Serpens caudam sibi mordens, Annum, astra, eorumq; discursus significat. Figura Leonis, Furorem.

Anteriores partes leonis, Fortitudinem denotant.
Musca, Impudentem.
Formica, Cognitionem, & prouidentiam.
Caput leonis, Vigilantes, aut custodes.
Cælum pictum rorem eiiciens, Disciplinam vel artem. Apollonius interprete Beroaldo.
Pellicani forma, Insidiantem.
Cucusæ effigies, Gratitudinem.
Ciconia, Parentum amantes designat.
Columba, Ingratitudinem.
Vipera, Mulierem viro insidiantem.
Hyena picta, Inconstantem hominem.
Pellis hyenæ, Fortunæ & calamitatis contemptorem.
Capræ figura, Optimè audientem.
Anguilla, Omnibus inuisum. Camelus, Pigrum.
Apis effigies, Regem indicat. Crin. lib. 7. cap. 2.
Vultur, Genium & maiestatem. Idem eodem.
Bouis figura, Terram. Macro. lib. 1. cap. 27.
Sceptrum cum oculi specie, Osyrim seu Solem. idé eod.
Perdices, Contumeliosos homines. Cœl. lib. 16. cap. 25.
Hippopotami vngulæ deorsum versæ, Impium iniustumq; significant. Idem eodem.
Accipiter, Rem denotat citò factam.
Oculus, Iustitiæ seruator, & corporis custos interpretatur. Diodorus lib. 1.
Dextera manus passis digitis, Libertatem designat.
Sinistra compressis, Tenacitatem. hæc tamen quattuor vltima de Æthiopibus Diodorus intelligit.
Crocodilus, Malum notat. Bap. in anno. prioribus.

Litterarum hieroglyphicarum meminit Lucanus lib. 3. his versibus: Non dum flumineas Memphis contexere biblos Nouerat, & saxis tantùm volucresq; feræq;, Sculptaq; seruabant magicas animalia linguas. Et Apul. lib. vltimo Asini aurei his verbis: De opertis adytis profert quosdã libros litteris ignorabilibus prænotatos, partim figuris huiusce modi animalium concepti sermonis compendiosa verba suggerentes, partim nodis & in modum rotæ tortuosis, capreolatimque condensis ait curiositate prophanorum le-

ctione munita. vide Baptistæ pij annotationes priores.

VARII APVD VARIOS TONdendi ritus.

Maxies Africę populi dextram capitis partem comatam gestant, sinistram verò tondent.

Machlies occiput crinitum gestant, tonsa anteriori parte. Herodot. lib. 4.

Ansęs (vel vt Strabo vult, Anasęs) anteriorem partem crinitam habent, occiput verò tonsum.

Macæ summum capitis verticem radunt, in medio capillos crescere sinentes, hinc atque hinc in orbem.

Apud Athenienses vetus fuit consuetudo, vt qui ea ephebis excessissent, delati in Delphos de comis Deo primitias darent, anteriorem capitis partem abradendo. Plutar. in vita Thesei.

Abantes ne vllas hostibus ad capiendum ansas darent, anteriorem capitis partem tondere consuerunt. Idem eod.

Thraces quidem à re acrocomę vocati, antias in frontẽ muliebriter demittunt. Cœlius lib. 4. cap. 23.

Euboici comam per terga fusam alunt, atq; ideò Opeithocomæ vocantur. Idem eodem.

Romani ad CCCCLIV. annum vsq; intonsi fuere, donec adducente P. Ticinio ex Sicilia tonsores venerint. Plin. lib. 7. cap. 59.

Alexander in exercitu suo nihil aliud desiderari dicebat, nisi vt Macedonibus barbæ raderentur: nullum esse meliorẽ in pugna, quã barbæ captũ asserens. Plut. in Apoph.

Genas feminis radi duodecim tabularum interdicto cautum est. Plin. lib. 11. cap. 35.

Intonsi capitis consuetudo à Lycurgi legibus, vt multi arbitrantur, processit, qui dictitare solitus est, eorum, qui honesta facie forent, accedente coma, decorum magis augeri: aliis, qui deformes essent, ex ea plus terroris inesse. Plutar. in vita Lysandri.

Tranquillus in vita C. Caligulæ, de eius inuidia contra omnes scribens, eum ait, Pulchros & comatos, quoties ei occurrerent, occipitio raso solitum deturbare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

APOPHTHEGMATA CONuicia retorquentium.

IPhicrates Harmodio ignobilitatem exprobanti, respondit, Mei generis nobilitas à me incipiet, tua autem in te desinet. Plutarchus in Apophtheg.

Agathocles, Siciliæ rex quũ vrbem obsideret, & aliqui conuiciarentur dicẽtes: O Figule quomodo militibus stipẽdia solues? Respõdit, Quũ vrbẽ vestrã cepero. Idẽ eod.

Androclidas increpatus à quodam, quòd claudus in aciem descenderet, Pugnare, non fugere, propositum esse sibi respondit. Val. de fiduc. sui.

Anacharsis exprobranti illi Attico, quòd Scytha esset: respondit, Mihi quidem probro est patria, sed patriæ tu. Diogenes lib. 2.

Anthagoras congrum quum coqueret, & Antigonus illi assistens dixisset, Putasne Homerum Agamemnonis & Græcorum describendis rebus intentum, quomodo congri melius saperent pensitasse? respondit, Opinaris, ò rex, Agamemnonem solicitius perscrutatum, ecquis in exercitu congrum coqueret? Plutarchus in Apophthegmatibus.

Diogenes olera lauans, Aristippo dicenti, Si Dionysio adulari velles, non ista esses, respondit, Immo tu, si ista esse velles, Dionysio non adulareris. Val. de cont.

Cato cuiusdam probris vexatus, respondit, Impar mihi tecum certandi condicio est: nam vt malè dicere, & malè audire tibi facillimum est; sic mihi malè dicere insuaue est, & malè audire, insuetum. Plut. in vita eius.

TRIBVNICII MAGISTRATVS iura & potestates.

TRibuni soli magistratuum purpurati non sunt. Plutarchus in Prob.

Tribunorum ianua diu noctuque patet. Idẽ eod.

Tribunis non licebat vnum diem ab vrbe abesse. Gellius lib. 3. cap. 2.

Tribuni senatum non intrant, sed positis subselliis ante valuas curiæ, decreta patrum attentissima cura examinant. Val. titu. de institu. antiquis.

Consulem à tribuno in carcerẽ duci posse constat. Liu. lib. 4. 1. decad.

Tribuni in ius vocandi potestatem non habent, sed prehendi. Gell. lib. 13. cap. 12.

Tempus comitiorum declarare in potestate tribuni est. Blon. lib. 3 Rom. triumph.

Si alicui cum tribuno lis intercessisset, iudices erant collegæ. Gel. lib. 13. cap. 12.

Si quis tribuno nocuisset, eius caput Ioui sacrum erat: familia ad ædem Cæreris, liberi verò venundabatur. Blon. lib. 4. Rom. trium.

Tribuni nec lectores habent, nec in sella curuli sedent ius dicturi. Plut. in problem.

Tribuni signandorum nummorum habent potestatem. Crin. lib. 17. cap. 7.

Senatusconsulta non prius valida sunt, quàm interuenie te tribuni consensu, quæ subscripta, T, littera à Tribuno visa & approbata ostenduntur.

IVRA, ET POTESTATES CENSORVM.

CEnsores creati ab anserum sacrorũ cura incipiunt, alimenta locando, & imaginum splendorem reparando. Plut. in probl.

Populi partes in tribus distribuunt, & pecunias in ciuitatis ordines partiuntur. Cic. 2. legum.

Vitam hominum & morum disciplinam obseruant. Plut. in vita Catonis Censorij.

Censura maximè omnium magistratuum reuerentiæ est, plurimæque potestatis, cùm in alijs rebus, tum maximè ad morum emendationem. Plutarchus in vita Paulli Æmilij.

De nuptijs, de liberorum procreatione, de viuendi ratione, & conuiuijs diligenter inquirit censura. Idem in vita Catonis Censorij.

Sacrificiorũ pretia curare Censorum est. Idem eodem.

Descriptionibus genera & reip. officia distinguere possunt. Idem eodem.

Censorum est, eos, qui maiores honores gesserunt, in ordinem referri senatorum. Val. de insti.

Vrbis templa, vias, aquas, ærariũ, tuentur. Cic. 2. de leg.

Equitum, peditumve sobolem censores distribuunt, & cælibes esse prohibent. Idem eodem.

Altero ex Censoribus mortuo, alterum se oportet magistratu abdicare. Blondus lib. 3. Rom. trium.

Completo quinquennio censores lustrabant & Taurilia sacrificia de sue, oue, & tauro faciebant. Pomp. Le. de mag.

Cùm alij magistratuũ Romanorũ annui sint, cẽsura quinquenniũ durat. Vide Crinitũ lib. 4. cap. 3. Cicer. de leg.

CENSORIA POENA IN QVOS & quales ferebatur.

QVi agrum passus fuisset sordescere, censoria animaduersione puniebatur.

Qui equum graciliorem, aut parũ nitidũ haberet.

Qui ioco vsus fuisset intempestiuè.

Qui in censorum auditorio sonorè nimis oscitasset. Gellius lib. 4. cap. 12.

Senator senatu abiicitur.

Eques publicum equum perdit.

Plebeius fit ærarius, & capite census. Crin. lib. 4. cap. 3.

Huc spectat tabulas cerites fuisse, in quas referri Censores iubebant, quos notæ causa suffragiis priuabant, vnde eruditè Flaccus in epistola ad Numicũ dignos cerite cera dicit Romanos: quoniã luxu & voluptatibus turpissimis tenerentur. Gellius lib. 16. cap. 17. & Crinitus li. 7. cap. 6.

NOMINA, ET VALORES PONDERVM.

SIliqua primum minimumque pondus granum tecæ inclusum. Scrupulus, Latinè Obolus, sex siliquis constat. Dragma Tribus scrupulis conficitur. Vncia Octo dragmis conflatur. Libra Italica vndecim habuit vncias. Sextertium antiquum Dipondius & semis.

Sextertiũ antiquũ paruũ, libras vigintiquattuor habens.

Talentum Africum libras quinquaginta.

Talentum Ægyptium quindecim pondo. Blond. lib. 9. idque ex Varrone.

Talẽtũ Atticũ magnũ, octogĩta libras & quattuor vncias.

Deunx, vncias vndecim; Dextãs, vncias decem; Dodrãs, Nouem; Bessis, Octo; Septunx, Septem; Seunx, Sex; Quincunx, Quinque; Triens, Quattuor; Quadrãs, Tres; Sextãs, duas; Semiũcia, Dimidiũ vnciæ; Sexticula, vnciæ sexta pars.

Reliqua nomina ex compositione noscuntur satis, vt Tressis, Decussis, Tricessis, Cẽtussis, id est, tres, decẽ, viginti, triginta, centũ asses continens. Sed aduerte, multa alia fuere talenta, vt Rhodiũ, Euboicũ, Anthiocheum, Babylonicũ, Ptolemaicum, &c. quæ quia libræ apud alios maiores, apud alios minores fuerunt, non idem vbiq; valent. Estq; de eorum valore opinionum confusa diuersitas: nec me fallit, Plinij libro naturalis historiæ 21. c. 34. de Græcis ponderibus dixisse, Dragma denarij argentei pondus habet, Denarius sex continet obolos, Obolus, decem calchos, Cyathus pendet per se dragmas decẽ, Hemina dragmas sexaginta, Mna, quã Minã vocant, dragmas pendet Atticas centũ. Præter hæc Nota nummũ argenteũ Romanũ quattuor scrupulis æquipollere, & inde reduc pondera ad nummorum vsum, & valorem. Hæc & multò plura tibi suggeret Budæi nostræ ætatis doctissimi lectio in libro, cui titulum fecit de Asse & partibus eius.

IVDICIORVM, ET SVFFRAgiorum notæ.

CAlculus Albus in absolutione, in dãnatione Niger, dicẽte Ouid. 5. Met. Mos erat antiquis niueis atrisq; apillis, His damnare reos, illis absoluere culpa.

Fabæ Sic. Plutarchus de liberis educandis.

Littera K. in damnatione nota fuit. Crin. lib. 6. cap. 6.

Littera A. in absolutione. idem eodem.

Littera L. & N, in causæ ampliatione, quibus notabatur Non liquet. Idem eodem.

Littera T. Quum tribuni senatusconsulta sibi placere notabant. Val. de instit. antiq.

Thita Damnationis nota (Persio dicente) Et potis es nigrum vitio præfigere Thita. Pers. Sat. 4.

In comitijs circumferri tabella consueuit, in qua puncta appositа significarent, cui candidatorum suffragarentur. Eras. in adag. Omne tulit punctum.

T. olim absolutionis nota fuit. Asconius Pædianus in suis commentarijs.

Pollex pressus, fauoris signum est. Pol. in misc. cap. 17.

Pollex versus, Denegantium. Idem eodem.

Cerula miniatula, quæ parum probantur in librorum correctione, notari solita sunt. Cic. lib. 16. ad Atticum.

Creta notarunt veteres, quæ sequenda forent; quæ viciſſim fugienda, carbone. Persius Sat. 5.

Pedibus nô nunquam ferri iudicia solita sunt, quũ à suo loco discedentes senatores ad illorũ sedes pedibus ibant, quorũ sententiam volebant sectari. vnde Pedarij fortasse dicti sunt: quanquam non me fallit, aliter sentire Gellium. Blond. lib. 4. Rom. trium.

Obelo, id est signo oblongo, in modũ hastæ, impobantur, & notantur codicum errores. Cicero epist. 162.

Signo vngui appositο vbi quid non placet obseruatur. Eras. in Adagijs, Vngui notatur.

Ægyptij iudices sententiam ferũt, impresso veritatis signo, quod aurea catena ex iudicum principis collo pendet. Diod. lib. 2.

Cicero consul (vt auctor est Becichemus in præfatione facta in Plinium) docuit per signa quædam, & notas, multarum simul litterarũ vim habẽtes senatorũ dicta colligere.

Britannicus, Persij interpres, à Criniti opinione multùm recedit. dicit enim K, in absolutione subscribi solere, quod interpretatur calon, id est, bonum.

RITVS CANDIDATORVM, seu Magistratus petentium.

QVi magistratus populi suffragijs petebant, albam vestem induere, & vrbem supplicantes ambire soliti sunt: quãquam legem à Tribuno in cõtrariũ aliquãdo latam ait Liuius lib. 4. Blon. lib. 3. Rom. triumph.

Absque interiore tunica in forum veste operti descendebant, vt eo habitu ad supplicandum modestiores accederent. Plutar. in vita Coriolani.

Deprehensos dextra ciues benignis orabant verbis. Idem eodem.

Multi candidati nobiles fecerunt, vt quum minus suffragijs valuissent, prosternerent se populo, fracto animo, atque humili, supplicarent. Cic. pro Plancio.

Candida veste induti ambiunt, ad animi integritatem denotandam: nam solus hic color sincerus, & purus, ac minimè inquinatus est. Blon. vbi suprà

Qui consulatum petituri in campum Martium candidati descendebant, deductores, suffragatoresque suos circa se habebant. Liuius lib. 4. decados. 2.

Consueuere candidati, qui cicatrices haberent ad allicienda populi suffragia, nudato corpore manifestè ostendere. Plutar. ubi suprà.

In candidatorum ambitum his versibus Lucan. inuehitur: Hinc rapti fasces pretio, sectorque fauoris Ipse sui populus letalisque ambitus vrbi Annua venali referens certamina campo. Vbi sectorẽ fauoris populum intelligit venditorem suffragiorum. Annua verò certamina, quia vt Plut. ait, non suffragiis, sed arcu, gladio, fundaque pro largitore ad comitia descendentem, & decertare populum cerneres, & tribunalia sæpenumero sanguine fœdantem. Adde translatione admodum eleganti ad rerum aliarum petitionem transferri candidatum, vt annotauit Beroaldus in primum Asini aurei, sicuti Plinio panegyrista gloriæ & immortalitatis candidatus, Hieronymo candidatus fidei, Quinctiliano candidatus eloquentiæ, qui eloquentiam auspicatur: & Apuleio libro primo Asini aurei lepido dicto candidatus crucis appellatur, qui petit crucem, quive futurus est iamiam crucifixus.

FINIS.

Universidad de Deusto Biblioteca

INDEX TOMI SECVNDI.

Abstemii 190
Adulatores & Scurræ 85
Ædificia sumptuosa 143
Æmuli alienæ laudis aut uirtutis 204
Ambitiosi, & glorioſi 220
Amor coniugalis 216
Amor mutuus fratrum & sororum 217
Amor & indulgentia parentum in liberos 218
Amor liberorum in parentes 219
Amici arctiſsimi 213
Animalia diuersa 115
Animalia mansuefacta quorũ ministerio usi sunt homines 129
Animi substãtiæ diuersæ philosophorũ opiniones 264
Animarum sedes apud inferos nouem 266
Anima quid recipit ab influxu Planetarum 264
Animæ principatum in qua corporis parte philosophorum iudicia ponant 264
Anima corporeis absoluta uinculis, quò pergat, ex multiplici ueterum iudicio 265
Anni partes quattuor 80
Apophtegmata conuicia retorquentium 267
Aquarũ mirabilis natura 238
Arbores diuersæ 245. Deorum & dearum 154
Architecti nobiles 140
Arrogantes, & superbi 220
Artifices & fabri 138
Astrologi 54
Astuti 225
Augures & haruspices 39
Auari, & feneratores 178
Audaces, & temerarij 222
Aues deorum 114
Auium nomina 102
Auium & aliorũ animalium uoces & inimicitiæ 114

B

Belluarum domitores 84

C

Cælatores 133
Calceamentorum genera 26
Candidatorum petentium ritus 426
Caritatis ĩ patriã exẽpla 210
Cẽsorũ iura & potestates 267
Cẽsoria pœna in quos & qualis ferebatur 168
Centaurorum nomina 93
Clementes & humani 166
Cibi & panes diuersi 194
Cibi electiles & delicati 197
Cibi quibusdam hominibus grati cum diuerso populorum ritu ead.
Citharœdi 56
Coci 157
Colores uestimẽtorum 25
Colorum genera 137
Constantes & patientes in rebus aduersis 205
Conditores diuersorum locorum & ædificiorum 140
Contemptores honorum & diuitiarum 168
Corporis partes unicuiq; signo zodiaci tribuũtur 266
Corporis partes unusquisq; planeta tribuit ead.
Crudeliſsimi 159

D

Deorum contemptores 33
Deorũ & dearũ arbores 145
De deis 64
Diuitiarum & honorum contemptores 168
Diuites. 170

E

Edaces & gulosi 186
Elementa quattuor 85
Excrementa & fœces diuersarum rerum 83
Exẽpla caritatis ĩ patriã 210
Exsules non nulli 31

F

Fabri & artifices 138
Famuli & serui 90
Fames memorabiles 88
Fæces & excrementa diuersarum rerum 83
Feneratores & auari 178
Festa deorum quibus nominibus uocentur 75
Fideliſsimi 231
Filij deorum & heroum 69
Flores & uiolæ 156
Fluuij p̃cipui nominis 233
Auriferi & gẽmiferi 237
Infernales 233
Fontiũ quorũdã nomina 239
Fortuna humili qui clari aut diuites euaserunt 175
Fortunati & felices 232
Fortuna prospera quos ad miseram redegerit 177
Fratrum & sororum mutuus amor 217
Feneratores & auari 178
Fraudulenti 225
Frumenta diuersa 185
Frutices diuersi & odorati pag. 155
Fullones 88

G

Grammatici 244
Geometræ 55
Gulosi & edaces 186
Glorioſi 220

H

Harpyiæ 84
Hæretici non nulli 36
Herbarũ diuersa nomina 156
Herculis columnæ 88
Heroum & deorum filij 69
Hesperides 80
Hieroglyphicarum notarum exẽpla aliquot, quibus Ægyptij utebantur 26
Historiographi Græci & Latini 241
Homines pingues & mæcilenti 87
Crudeliſsimi 159. Humani, & clementes 166
Modesti & uerecundi 168

Universidad de Deusto
Biblioteca

Solitariæ uitæ, & austeræ. pag. 191
Liberæ & importunæ loquacitatis 224
Horti celebres & memorabiles 87
Hospitales 198
Hyades 80

I

Ianitores 158
Illiberales & auari 178
Inferorum iudices 79
Ingrati 227
Inuidi 203
Ira & odium 201
Inuētores diuersarū rerū 61
Iudiciorum notæ 269
Iura & potestates cēsorū 268
Iustissimi 228
Iniusti 229

L

Lacus & stagna 240
Latrones & sacrilegi 27
Laudis alienæ, aut virtutis æmuli 204
Legati & nuntii 198
Legislatores 198
Legumina diuersa 155
Liberatores quorundam hominum à periculis 84
Liberti & famuli 90
Liberales 181
Liberorum amor in parentes 219
Litigiosi 223
Loca deis sacra 70
Locorum diuersorum conditores 140
Loquacitatis importunæ & liberæ homines 224

M

Magi & alii venefici 52
Magnanimi 109
Magones & aliæ professionis homines 158
Marmorarii & cælatores 133
Macilenti 87
Memoria qui exciderūt 232
Memoria clari 231
Montes præcipui nominis pag. 240
Montes flammiferi 241
Meticulosi 222
Menses, anni 81
Mensuræ quædam 91
Miracula quædam naturæ cū aliquot aliis prodigiis 47
Miracula orbis septem 142
Munifici 18
Modesti 168
Monstrorum domitores & belluarum 84
Musici & cantores 56
Mutati in varias formas 81

N

Nuntii & legati 198
Nymphæ diuersæ 82

O

Obliuiosi 232
Odium & ira 201
Oratorum quorundam nomina 247

P

Paludes & lacus 240
Panes & cibi diuersi 194
Parcæ fatales deæ tres 79
Parentū indulgentia & amor in liberos 218
Patiētes in rebº aduersis 205
Pastores & armentarij 158
Pauperes 173
Pictores diuersi 136
Pigmenta 138
Pingues 81
Pyratæ 29
Pleiades 80
Poetæ Græci & Latini 248
Ponderum nomina 268
Potestates tribunorum 267
Prodigia & portentia diuersa 44
Prodigi 184
Proditores, Periuri & Perfidi 230
Precones 87

Q

Qui ex Humili fortuna cari & diuites euaserunt 175
Qui ex prospera fortuna ad miseram deuenerunt 177
Qui de modicis rebus opera scripserunt 261

R

Religiosi 233
Ritus candidatorum, seu magistratus petentium 269

S

Sacrilegi 27
Sacrificiorum genera diuersa 75
Sacerdotes deorum 77
Sculptores 133
Septem orbis miracula 142
Septem montes, in quibus Roma sita est 262
Serpentū quorūdā nomina 2
Serui diuersi & liberti 90
Seruorū i dños fidelitas 231
Seueriſſimi & tetrici 200
Sirenes 92
Sobrij & temperantes 190
Somni ministri 93
Solitariæ vitæ homines 191
Sororum & fratrum mutuus amor 217
Sophistarum nomina 262
Somnolenti 87
Statuarii 131
Stagna & paludes 240
Suppliciorum diuersa genera 29
Subselliorum genera 197
Suffragiorum notæ 269
Superbi & arrogantes 220
Sinonyma quędā poetica 92

T

Taciturni 224
Temperantes 90
Temperatissimi 191
Temerarii 223
Tetrici 200
Timidi 222
Tondendi ritus varii apud varios 267
Tribunicii magistratus iura pag. 267
Tubicines 61
Tyranni plerique 213

V

Vates, augures & haruſp. 39
Vasorū diuersa genera 9
Vehiculorum genera 6

Universidad de Deusto
Biblioteca

Venti diuersi 262
Venefici 50. 52
Veracissimi 225
Verba qui facturi memoria exciderunt 232
Verecundi 186
Vermes diuersi 132
Versiformes 226
Vespillones 157
Vestimentorum genera 16
Vestes gentium propriæ 25
Vestes quædam memorabiles ead.
Victimæ deorum 74
Victimarum genera diuersa pag. 75
Vinolenti 186
Vincula diuersa 92
Viri celebres mortui in aliena terra 33
Violæ & flores 136
Virtutis alienæ æmuli 204

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca